

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

T *Vlit asinum plenum panibus.* Alij, *Asinum panis.* Sept. *Gomor panum.* Aliqui, vt Magister Historiæ, arbitrantur per asinum panis, non debere intelligi asinum panibus oneratum, sed sacco ex asini pelle confectum, quem panibus impleuit Isai: sed standum nostræ translationi, cuius sensus, tantum esse missum panis, quantum communiter asinus vnus portare potest, quasi diceret missum esse plenum, atque legitimum asini pondus, quod vt exponatur, obserua Corum mensuram esse amplam, tam aridorum, quam liquidorum. Porro Corus dicitur Hebr. *כומר Chomer*, de cuius mensura non eadem Interpretum sententia, quidam tamen frumenti aut panis tantum capere putant, quantum camelus, alij quantum asinus portare possit: Et ideo putant asinum dictum *כומר chamor*, quia chomer vnus, id est, corus vnus pondus est eius. Quare asinus plenus, plena mensura est quæ communiter imponi solet asino, quam dum portat, satis censetur esse onustus, non quidam sacco ex asinina pelle. Et in hunc sensum loqui debent Sept. pro chomer habentes Gomor, nam si loquerentur de Gomor decima parte Ephraim, leuissimum donum regi fuisset, nisi velint dicere, id prouisum in victum Dauid ad iter. *Refocillabatur*, Alij, erat ipsi respiratio: *רוח*, quod est respiratio, refrigerium, refocillatio.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ψ. 20.** **T** *Vlit, &c. Asin. pl.* id est, oneratum panibus, vel secundum alios, sacco factum ex corio asini, plenum panibus: cætera patent vsque ibi.
- MENOC.** *Plenum panibus, onustum*, vt habet Chaldaeus. *Misit Sauli*, in obseruantia signum, ex illorum temporum consuetudine.
- MENOC.** **ψ. 21.** *Factus est eius armiger*, Quia minus honorificum fuisset Regi, si ea tantum causa habuisset apud se Dauid, vt morbum leniret, & arreptio occineret.
- MENOC.** **ψ. 21.** *Stet Dauid in conspectu meo.* Reuocat Dauid quem remiserat putans se morbo solutum; vel quia bellum aliquod ingrueret, & locus musicæ in castris esse non videbatur; vel quia melancholicorum ingenia morosa sunt, & eadem modò quærunt, & volunt, modò refugiant, & respuunt.
- LYRAN.** **ψ. 13.** *Igitur quodcumque, &c.* Quia non affligebat eum continuè, per interualla temporis.
- Tollebat citharam*, id est, accipiebat, & percutiebat manu sua, quia tactu digitorum fit talis melodia.
- Et refocillabatur Saul, &c.* Cuius causa subditur. *Recedebat enim ab eo spiritus malus.*
- Quodcumque spiritus Dei malus arripiebat Saul, tollebat Dauid cytharam.* Primum nota, quod malignus spiritus vocatur spiritus Dei, vel propter naturam, quæ à Deo est, vel potius, quia in eo quod Saulem affligebat, diuinæ iustitiæ minister erat: id quod clarius exprimitur, dum dicitur.
- ESTIVS.** **ψ. 23.** **A** *Dauid citharam percutiebat, & refocillabatur Saul: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Sane vim ad sedandas componendasque passiones tum animi, tum corporis, magnam esse in concentu & numeris musicis, sicut est in lituis & tubis ad easdem excitandas inflammandasque, plurimis rationibus & exemplis docent Plutarchus, Seneca, Basilias, Cassiodorus, Valesius, Matthiolus, Abulensis, Serarius, & Delrio. Consequenter etiam valent ad compescendam agitationem dæmonis, qui passionibus istis & humorum commotionibus sese ingerit, iisdemque vtitur ad animum vel occupandum, vel magis exagitantum, vt patet cap. 18. v. 10. Sed hæc Saülis refocillatio non à sola melodia proficisci potuit, cum spiritus malus dicitur etiam recessisse à Saule, seu fugatus fuisse per Dauidem, quod nullis sonis quantumcumque numero se modulatis conuenire potest. Purarim ergo id potius adscribendum sacris psalmorum & hymnorum verbis, quin & piis precibus ac votis, quibus Dauid pro regis incolumitate Deum interpellabat: penè eo modo quo nunc Ecclesia per preces & sacra verba, per adiuuationes & exorcismos expellit cacodæmonas ex energumenis. Ita ferè Theodoretus, & alij iam citati.
- Allegoricè S. Prosper & Angelomus per Dauidem Christum, per citharam crucem, per neruos seu fides extensa Christi in cruce brachia reliquaque membra intelligunt. Tropologicè, dulcedo & suauitas prædicantium peruersos animi motus compescit & sedat.
- TIRINVS**

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS.

G *igantem Goliath solâ fundâ superat Dauid. Fugiunt, caduntur & castris exuuntur Philisthai.*



1. Congregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ: & castrametati sunt inter Socho & Azeca, in finibus Dommim. 2. Porro Saül & filij Israël congregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim. 3. Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, & Israël stabat supra montem ex altera parte: vallisque erat inter eos. 4. Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi: 5. & cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur, porro pondus lorice eius, quinque millia siclorum æris erat: 6. & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius. 7. hastile autem haste eius, erat quasi liciatorium textentium, ipsum autem ferrum haste eius, sexcentos siclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum. 8. Stansque clamabat aduersum phalagas Israël, & dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, & vos serui Saül? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen. 9. si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui: si autem ego præualuero, & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis no-

bis. 10. Et aiebat Philisthæus: Ego exprobraui agminibus Israël hodie: Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen. 11. Audiens autem Saül, & omnes Israëlitæ, sermones Philisthæi huiuscemodi, stupebant, & metuebant nimis. 12. Dauid autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est, de Bethleem Iuda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saül senex, & grandæuus inter viros. 13. Abierunt autem tres filij eius maiores post Saül in prælium: & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertiusque Samma. 14. Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus secutis Saülem, 15. abiit Dauid, & reuersus est à Saül, vt pasceret gregem patris sui in Bethleem. 16. Procedebat verò Philisthæus manè & vesperè, & stabat quadraginta diebus. 17. Dixit autem Isai ad Dauid filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos, 18. & decem formellas casei has deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt, disce. 19. Saul autem, & illi, & omnes filij Israël in Valle terebinthi pugnabant aduersum Philistiim. 20. Surrexit itaque Dauid manè & commendauit gregem custodi: & onustus abiit, sicut præceperat ei Isai, & venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. 21. Direxerat enim aciem Israël, sed & Philistiim ex aduerso fuerant præparati. 22. Derelinquens ergo Dauid vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad farcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat si omnia rectè agerentur erga fratres suos. 23. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum: & loquente eo hæc eadem verba audiuit Dauid. 24. Omnes autem Israëlitæ, cum vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valdè. 25. Et dixit vnus quispiam de Israël: Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum enim Israël ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris sui faciet absque tributo in Israël. 26. Et ait Dauid ad viros qui stabant secum, dicens. Quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuientis? 27. Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro qui percusserit eum. 28. Quod cum audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus est contra Dauid, & ait: Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia, vt videres prælium, descendisti. 29. Et dixit Dauid: Quid feci? numquid non verbum est? 30. Et declinauit paululum ab eo ad alium: dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius. 31. Audita sunt autem verba, quæ locutus est Dauid, & annuntiata in conspectu Saul. 32. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersum Philisthæum. 33. Et ait Saul ad Dauid: non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersum eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. 34. Dixitque Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: 35. & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. 36. Nam & leonem & vrsus interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuientis? 37. Sic ait Dauid: Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid: Vade, & Dominus tecum sit. 38. Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica. 39. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere, quia non vsum habeo. Et deposuit ea, 40. & tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastorem, quam habebat secum, & fundam manu tulit: & processit aduersum Philisthæum. 41. Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersum Dauid, & armiger eius ante eum. 42. Cumque inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus, & pulcher aspectu. 43. Et dixit Philisthæus ad Dauid: Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus Dauid in diis suis: 44. dixitque ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli & bestiis terræ. 45. Dixit autem Dauid ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie, 46. & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philistiim hodie volatilibus cæli, & bestiis terræ: vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israël. 47. Et nouerit vniuersa ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras. 48. Cum ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi. 49. Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram. 50. Præualuitque Dauid aduersum Philisthæum in funda & lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, 51. cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius & eduxit eum de vagina sua:

& interfecit eum, præciditque caput eius. Videntes autem Philistiim, quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. 52. Et consurgentes viri Israël & Iuda vociferati sunt, & persecuti sunt Philistheos vsque dum venirent in vallem, & vsque ad portas Accaron, cecideruntque vulnerati de Philisthiim in via Saraim, & vsque ad Geth, & vsque ad Accaron. 53. Et reuertentes filij Israël postquam persecuti fuerant Philisthæos, inuasert castra eorum. 54. Assumens autem Dauid caput Philisthæi, attulit illud in Ierusalem: arma verò eius posuit in tabernaculo suo. 55. Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hîc adolescens, Abner? Dixitque Abner: Viuit anima tua, rex, si noui. 56. Et ait nec Interroga tu, cuius filius sit iste puer. 57. Cumque regressus esset Dauid, percusso Philisthæo, tulit eum Abner & introduxit coram Saule caput Philisthæi habentem in manu. 58. Et ait ad eum Saul: de qua progenie es, ô adolescens? Dixitque Dauid: Filius seruitui Isai Bethleemite ego sum.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 1. 2. & 5.*

Vulg. Congregantes autem Philistiim agmina sua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ: & castrametati sunt inter Socho & Azeca, in finibus Dommim. *Malu.* Collegerunt desideria suas castronem, & collecti fuerunt, &c. in defectu Dommim. *Sept. Rom.* In Socoth Iudæ, &c. Et inter Azem Ephernem. *Reg.* In Soco Iudæ, &c. In Aphas Dommim. *Syr.* Pugnam intenterunt in extremitate Iudæ. *Arab.* In extremo limite familiæ Iuda, &c. Inter Arca in Pharsamin. *Vulg.* Porro Saül & filij Israël congregati venerunt in Vallem Terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnan-

dum contra Philistiim. *Pag.* In valle Elah & disposuerunt. *Arias.* Et ordinauerunt bellum. *Malu.* Castronem. *Sept. Rom.* In valle ipsi & instruuntur in prælium, ex aduerso alienigenarum. *Reg.* In valle quercus Hiechi. *Cald.* In planitie glandis. *Vulg.* Et Philistiim stabant super montem ex parte hac, & Israël stabat supra montem ex altera parte, vallisque erat inter eos. *Malu.* Stantes ad montem de isto.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In Socho Iudæ. *Sept. Iudæa.* Sed non ita legendum. In aliis enim omnibus exemplaribus non Iudæa, sed Iudæ habetur. Soco enim & Azecha erant duo oppida fortis Iudæ. In finibus Dommim. Alij, In dammim. *Sept.* & alij utramque vocem pro nomine proprio loci acceperunt, qui i. Paralip. 11. v. 13. contractè vocatur דַּמִּימַס pas dammim. Pas Hebr. particulam seu defectum significat, vt Ephes, defectum, terminum, finem, In vallem Terebinthi. Alij, Elah, quercus. Elah quidem est loci nomen pro quo alij Terebinthum, vt cum vulg. Syr. Arab. Alij. Quercum, vt *Sept. Reg.* Quam interpretationem aliquando etiam *Vulg.* sequitur. *Sixt.* habent, *Ipsi,* nempe tam Philistæi, quam Israëlita, sed omiserunt quercum vel therebinthum.

ANNOTATIONES.

Congregantes. Postquam descripta est ipsius Dauid electio, hic consequenter describitur contra eum Saülis æmulatio. & primò ponitur huius æmulationis causa, 2. Inuidiæ subsecutio, c. 28. Circa primum sciendum quod causa æmulationis fuit laus ipsius Dauid ex victoria quam habuit contra Philistæum, prout exprimitur cap. 18. & ideo in hoc cap. 1. describitur belli apparatus, 2. ipsius Dauid aduentus, ibi: *Dauid autem.* 3. Dauid conflictus, ibi: *Audita sunt.* 4. Triumphus ibi: *Prævaluitque Da.* Circa primum præmittitur vtriusque exercitus situatio, cum dicitur. *In So.* Hoc dicitur ad differentiam illius Socho, quæ est ultra Iordanem, vbi Iacob mansit declinans ab

A Esai, vt habetur Genes. 33. *In Socho Iudæ.* Est Socho trans Iordanem, Gedeonis vltione nobilitata. *Iudic.* 8. 15. 16. *Azeca,* Locum iam olim clarissima Iosue victoria insignem. *Iosue* 10. 11. *Et Philist.* Ad hoc enim vterque exercitus stabat in monte, valle existente in medio, vt si vnus exercitus vellet venire ad alium, ille exercitus, qui stabat in monte opposito haberet auantagium interficiendi aduersarios de valle ascendentes ad eum. 2. Ponitur ipsius Goliath gloriatio vbi præmittitur eius statura, & armatura.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 4. ad 7.*

Vulg. Et egressus est vir spurus de castris Philistinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi. *Pag.* Vir stans inter duas acies. *Arias.* Intermedius. *Clar.* Vir inter vtrofque. *Varab.* Inter duo. *Sept. Rom.* Vir potens ex acie alienigenarum, altitudo eius quatuor cubitorum. *Syr.* Vir quidam gigas, &c. Cum sphitama. *Vulg.* Et cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur, porrò pondus lorice eius, quinque millia siclorum æris erat: *Pag.* Et galea ærea. *Caiet.* Lorica hamata. *Ita etiam Reg. Lat.* *Varab.* Galea chalybæa. *Malu.* Thoraca squamarum ipse vestitus, & libratio thoracis, &c.

Sept. Rom. Thoracem hamatum ipse indutus, pondus thoracis eius, &c. *Ætis & ferri.* *Syr.* Lorica in laminam ducta vestitus tegebatur lamina ænea. *Vulg.* Et ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius. *Pag.* Lamina ærea in pedibus eius &c. Inter humeros eius. *Arias.* Et frontale æris super pedibus. *Caiet.* Et spiculum chalybis inter humeros. *Varab.* Et lamina lata ferrea, vel chalybæa. *Malu.* Romphæa æris inter scapulas eius, & leuans scuti. *Sept. vt vulg.* *Cald.* Et hasta ærea exiens ex galea gestata inter humeros. *Syr.* Thybilia ærea &c. Et humerale æneum. *Arab.* Super caput suum tegmen æneum, ad humeri sui extremitatem demissum. *Vulg.* Hastile autem haste eius erat quasi liciatorium te-

xentium, ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos fidos habebat, & armiger eius antecedebat eum.
Arias. Et flamma lanceæ eius, &c. Et ferens scutum vādens ad facies eius.
Vatab. Tanquam iugum liciatorium.

Malu. Et lignum hastæ eius sicut iugum textorium.
Cald. Et acies hastæ eius.
Syr. Mucro.
Arab. Lignum lanceæ eius par erat crassitie iugo liciatorio.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Egressus est vir spurius. Alij, *Vir inter duas acies, inter duo, &c.* Hebr. est אִישׁ הַכְּנִיּוֹת *is habbenaim*, quod variè vertitur, scilicet vir de medio castrorum, &c. Id est, qui stetit inter medias acies sed hi בֵּן *ben*, præpositionem esse putant, quæ significat inter, & Iod, quod inter duas litteras medium esse debuit, expunctum arbitrantur: Ex hac verò præpositione dualem formant numerum בְּנַיִם *benaim*, quod inter duos significat, nempe inter duos montes aut exercitus: Alij, בֶּן *ben* filium interpretantur, & variè exponunt, vel esse duorum filiorum, vel virorum, seu parentum filium, quia duobus aut pluribus viris mater illius succubuerat, atque adeo spurius, id est confuso semine natus, qui autem sic natus, his notabatur litteris f. p. Id est sine patre, nempe certo, & hoc sensu loquitur noster Vulg. Alii autem volunt vnum Goliath esse instar duorum aut plurium: quia cum esset gyganteæ molis duobus hominibus in vnum compactis corpore non erat inferior, in hac significatione videntur sumpsisse Sept. dum reddunt δὴ ἄριστος, id est, *potens, robustus*, & Arab. *Gigas*.

Lorica squamata induebatur. Alij, *hamata*, sed squamata legendum. R. Sal. interpretatur, habens squamas in morem piscium, factas è ferro, ac superficièi lorice incumbentes, vnicuique scilicet foramini squamam: quod clariùs explicat R. Esaias. Quemadmodum squamæ piscis clausæ sunt, vt nullum inter eas sit interstitium, ita lorica eius erat constructa, lamina enim ferrea sita erat inter annulum & annulum, quæ foramina obstrueret. Idem voluisse videtur Interp. Syr. cum vertit, *Loricâ in laminam ductâ vestitus*, sed R. kimhi præter annulos laminam nullam cognoscere videtur, quæ foramina obturaret, sed ipsos annulos squamarum instar ita fuisse intertextos, vt foramina nulla paterent. Id videntur voluisse quum vertunt thoracem hamatum, & antiqua Bibl. *Altitudinis sex cubitorum*. Sept. *quatuor*. Sed cur ita reddiderint, ignoratur, nisi alios maiores cubitos agnouerint, & ita quatuor sex æquialerent. *Et palmi.* Alij, *Cum spitama*. Hebr. est זֶרֶת *zereth*, quæ vox maiorem palmum valet, qui 12. constat digitis, id est tribus minoribus palmis, pro quo Sept. reddunt σπυδάμν. *Et ocreas areas habebat.* Alij, *Lamina area in pedibus eius, frontale*. Hebr. מִצְחָה *mitschah* quam vocem deducunt à צַחָה *tsachach*, à candore & nitore, frontemque interpretantur, quod glabra, & nitida sit. Hic frontem fictitiam & artificialem exponunt, quæ est ante crura, quam Latini dicunt *Ocream*, quod sit tersa & polita, & in anteriori parte crurium. *Clypeus areus tegebat.* Alij, *Spiculum chalybis*. Hebr. כִּדּוֹן *cydon*. Vide Concord. v. 18. cap. 8. libri Iosue, Noster Lyranus ait, Secundum Hebræos, Cidum est quædam lamina descendens à casside procedens in acutum inter scapulas, vt sic protegeret collum & iuncturam armorum capitis, & corpori Malu. *Rompheam* vertit. *Hastile autem illius erat quasi liciatorium*, Alij, *Lignum hastæ eius quasi iugum textentium*. Licia vocantur fila, quibus in parmis textores implicant & intexunt stantina, idque circa lignum crassum, quod ab iis liciatorium dicitur, vel iugum, eò quod textores telam illi iungant, & circa illud conuoluant.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T egressus, Hebræi verò dicunt hîc *Et egressus est* *vir intermedius de aciebus Philistinorum*. Et dicitur, *intermedius*, Homo fortis & audax, confidens de fortitudine sua, qui egreditur ante aciem suorum, paratus præliari contra alium venientem de acie opposita, sicut solent facere in exercitibus aliqui volentes ostendere suam potentiam, & littera sequens consonat huic dicto.

Altitudinis, Cubitus secundum vnam opinionem continet duos pedes vsuales, secundum aliam verò pedem & dimidium: & sic secundum vtramque expositionem, vel opinionem, patet altitudo ipsius.

MENOC. *Vir spurius*, Hebr. est אִישׁ הַכְּנִיּוֹת *isc habbenaim*, quod aliqui vertunt *vir intermedius*, siue, *stans inter duas acies*. cur S. Hieron. verterit spurius non est facile diuinare. Fortasse dici posset idem esse spurium, & intermedium, quod quasi inter duos, aut plures patres positus, non facile esset dicere cuius filius esset. LXX. habent δυνατός *potens*, fortis. Cum hæc scripsissem animaduerti S. Hieronim. in traditionibus Hebræicis in cap. 17. 1. Regum, docere Goliath spurium appellatum, quia ex patre gigante, matre verò Gethæa, aliena scilicet muliere natus esset. Comestor, quod ex patre gentili, matre Iudæa.

Altitudinis sex cubitorum & palmi, statura gigantæ, communi nostri æui hominum fere duplo maior.

Palmi. Heb. זֶרֶת *zereth*, quæ vox palmum maiorem significat, qui duodecim constat digitis.

TIRINVS *Vir spurius*, seu illegitimus, ex incerto patre gigante, verosimiliter de stirpe Enabim, & matre Gethæa. Nam reliquias Enakim seu gigantum permansisse in Geth, constat ex cap. 11. Iosue. Et incertum ignotumque fuisse illius patrem vel inde colligitur, quod cum

A generis illius & parentum sit mentio in scripturis, nunquam patris nomen exprimitur, sed solius matris, nempe Arapha. Quod nomen quia videtur aliquam habere similitudinem cum Orphâ nuru Noemi, hinc Thalmudistæ & quidam alij Rabini occasionem fingendi ceperunt, hunc Goliathum fuisse filium Orphæ. Sed neque nominum magna est similitudo, neque temporum ratio id permittit, cum secundum hunc calculum Goliath esset centenario iam maior, vt patet ex dictis c. 1. libri Ruth.

Et cassis Hîc dicunt aliqui, quod nomine æris intelligitur omne genus metalli: & sic in hoc loco pro ferro accipitur æs, ita quod cassis area idem est quod cassis ferrea, quia non solet fieri de ære, sed de ferro.

Et lori. Id est, concatenata, quia fit de annulis ad modum catenæ coniunctis. Hebræi autem hîc dicunt: *Et lorica squamata induebatur*, quia super lorica habebat armaturam factam de laminis ferreis per modum squamarum ordinatis, sicut est genus armaturæ quod vocatur *plates*, gallice, & hoc erat ne per foramina lorice sagitta, vel spiculum, aut gladius posset transire.

Lorica squamata, thorax è ferreis laminis squamatim contextis.

Quinque millia siclorum æris, siclus erat ponderis semiuncia, hoc est, quatuor drachmarum. Itaque quinque millia sicli efficiunt libras ducentas & octo, & insuper uncias quatuor, assignando singulis libris uncias duodecim.

Lorica squamata, seu thorace ex æneis laminis squamatim contextis, induebatur. Eratque pondus lorice quinque millia siclorum æris, id est librarum ducentarum & o-

Et o, cum vncis quatuor, computatis in singulas libras vncis duodecim. Hastæ vero illius hastile æquabat crassitie liciatorium, seu iugum circa quod textores telam circumuoluunt, sexcentorum siclorum, seu viginti quinque librarum mucrone præferratum.

LYRAN. *Et ocreas.* In Hebræo habetur. *Et vasaria, vel frontaria versus pedes eius.* quia de galea quæ erat ærea super verticem descendebat quædam lamina operiens nasum & tendens deorsum vsque ad collum versus pedes, sicut solebat fieri in antiquis galeis. 2. *Et clypeus æreus teg. hum.* Hebræi dicunt. *Et spiculum æreum inter scapulas eius.* Et dicitur hic spiculum secundum eos quædam lamina descendens à casside procedens in acutum inter scapulas, vt sic protegeret collum & iuncturâ armorû capitis & corporis.

MENOC. *Tegebat humeros.* Deiectus in humeros interim dum non

A pugnabatur, reuocandus ad pectus tempore confictus.

Et armiger. In Hebræo habetur. *Et portans peltam suam* **LYRAN.** *vel scutum ante eum,* sicut solet fieri pugilibus quando **V. 7.** vadunt ad congregandum, sed quando debent actu congregari, tunc traditur eis scutum. Ex hoc etiam patet, quod prædictum est, scilicet quod illud, quod pendebat à galeo inter humeros, non erat propriè clypeus: secundo ponitur ipsius Goliath gloriatio, cum dicitur 4. *Stans.* vt magis videretur. 5. *Clama.* vt à longe audiretur. 6. *Auers.* i. agmina armatorum.

Liciatorium textentium. Iugum circa quod textores telam circumuoluunt, quod intellige quoad hastilis crassitiam.

Sexcentos siclos ferri. Libras nimirum viginti quinque.

VARIETAS LECTIIONVM. à Vers. 8. ad II.

Vulg. Stansque clamabat aduersum Phalangas Israël, & dicebat eis. Quare venistis parati ad prælium? Nunquid ego non sum Philistæus, & vos serui Saül? Eligite ex vobis virum, & descendite ad singulare certamen.

Pag. Vt descendat ad me.

Mont. Vt quid egrediemini ad ordinandum prælium?

Caiet. Ad disponendum.

Tigur. Cur egressi congregari prælio?

Malu. Vocauit ad ordinationes &c. Ad quid exhibitis ad ordinare cætionem?

Sept. Rom. Nonne ego sum alienigena, & vos Hebræi ipsius Saül?

Vulg. Si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui, si autem ego præualuero, & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis nobis.

Malu. Si poterit ad cædere me.

Sept. Rom. Si autem ego potuero.

Reg. Oppressero eum,

Cald. Si ego valebo.

Syr. Si autem vincam.

Arab. Si autem trucidauero.

Vulg. Et aiebat Philistæus, Ego exprobraui agminibus Israël hodie, date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.

Pag. Et pugnemus pariter.

Tigur. Probro affeci.

Malu. Ego perfodi ordinationes, &c. Et cædemus vnitè.

Cald. Venire facite virum, & inibimus prælium.

Vulg. Audiens autem Saül, & omnes Israëlitæ sermones Philistæi huiusmodi, stupebant & metuebant nimis,

Pag. Territi sunt.

Mont. Consternati,

Caiet. Fracti sunt.

Tigur. Perculsi sunt pauore.

Sept. Rom. Expauerunt.

Syr. Trepidarunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

D Escendat ad singulare certamen, Alij, descendat ad me, Sed maiore cum emphasi **Vulg.** *Erimus vobis serui.* **Sept. Hebræi.** Vide quæ à nobis dicta cap. 13. *Si præualuero.* **Sept. Rom.** *Si potuero,* sed **Reg.** addidit *eum,* *si oppressero eum,* vel ipsi vitam adimens. Vnde **Arab.** *Si trucidauero eum,* vel victoriam ab eo referens, morte non sequuta. Hinc **Syr.** *Si vincam ego.* **Exprob. ani.** Alij, *Perfodi:* **chereph.** hæc omnia complectitur, conuitiis perfodi, dehonestati, deuoui, Probris affeci. **Stupebant.** Alij, **Consternati, fracti:** **chatat** significat animo solui consternari, præ terrore nimio in stuporem adduci.

ANNOTATIONES.

Q Vare. Scilicet in tanto numero, quasi dicat, cito potest finiri negotium per singulare certamen inter me, & vnum de vestris à vobis electum, & sequitur:

Stansque clamabat, iactabundus, & Hebræis timorem & ignauiam exprobrans: quod indicat **Ecclesiasticus** 47. 5. ubi de Dauid: *In tollendo,* inquit, *manum in saxo fundæ,* *deiecit exultationem Goliae.* Goliath scilicet exultantem, & superbientem virium fiducia.

Nunquid ego non sum Philistæus, & vos serui Saül? quasi dicat, ego sum Philistæus; vos Hebræi: inter has duas gentes bellum est, congregiamur singulari certamine, & populus ille vincat, cuius propugnator aduersarij vicerit.

Si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui, si autem ego, &c. Ita quidem loquitur Philistæus Goliath; sed hanc conditionem non legimus à partibus hinc inde fuisse pactam. Quamuis enim Dauid à Saüle missus est ad singulare certamen, (quod Regi licuit in bello iusto, maximè cum Dauid ultro se offerret) factum id tamen est sine pacto; neque debuit Saül, qui de euentu certus non erat, totum Dei populum exponere periculo ser-

uitutis Philistinorum. Vnde nec Philistæi tanquam ex pacto conuenti fuerunt, postquam cecidit Goliath; sed tantum dicit scriptura, quod videntes cecidisse fortissimum suorum, fugerunt, cum satis perciperent diuina virtute ab adolescente eum cæsum, eamque sibi imminere porrò metuerent.

Neque tamen propterea verum est quod ipse Dauid temerariè se obtulerit, eo quod, ipso superato, intendebant Philistæi omnes Israëlitas habere seruos; Dauid enim non humano consilio, sed occulto instinctu spiritus Dei hoc certamen suscepit, sciens Deum euentu huius certaminis velle declarare iustitiã, & innocentiam populi sui contra Philistæos. Vnde confidèter dicit inter alia: *Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistæi huius.* Et ad ipsum Philistæum; *Dabit te Dominus in manu mea: & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Quæ sanè verba, vt manifestum est, sunt prophetantis.

Et aiebat. Se iactando & exercitui Israël exprobrando.

Audiens Propter altitudinem staturæ & robur armaturæ.

Et me. Quia nullus audebat hoc duellum recipere.

LYRAN. **V. 10.**

LYRAN. **V. II.**

VARIETAS LECTIIONVM. Vers. 12. ad 18.

Vulg. Dauid autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est de Bethleem Iuda, cui nomen erat Isai, qui octo habebat filios, & erat vir in diebus Saül senex & grandæuus inter viros.

Arias. Senex veniens inter homines.

Sept. Reg. Qui venit in annis.

Cald. Senex numeratus in iuuenibus.

Vulg. Abierunt autem tres filij eius maiores post Saül, & nomina trium filiorum eius qui perrexerunt ad bellum, Eliab, primogenit, & secundus Abi nadab, tertiusque Samma.

Malu. Et ambulauerunt tres filiorum Isai grandes ambulauerunt post Saül cætionis.

Vulg. Dauid autem erat minimus, tribus ergo maioribus secutis Saulem.

Vulg. Abiit Dauid & reuersus est à Saül, vt pasceret gregem patris sui in Bethleem.
Malu. Et Dauid ambulans & reuertens de super Saül, ad pascere ouem patris sui.
Vulg. Procebat verò Philistiim mane & vespere, & stabat quadraginta diebus.
Arias. Accessit mane surgendo, & vesperscendo.
Malu. Et stare se fecit.
Sept. Reg. Et firmatus erat aduersum Israël.
Arab. Veniens probro afficiebat eos, & manserunt sic 40. diebus.
Vulg. Dixit autem Isai ad Dauid filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos.
Pag. Tolle modium polentæ huius.
Arias. Cape Ephah tosti & currendo defer.
Malu. Accipe euge Ephah torrefacti huius, & curre fac defidentiam.
Sept. Reg. Ephii farinae huius.

Cald. Mensuram tosti huius, & decem tortas panis has.
Syr. Satum tritici tosti.
Vulg. Et decem formellas casei has deferens ad tribunalum: & fratres tuos visitabis, si rectè agant, & quibus ordinati sunt, disce.
Pag. Et decem caseos lacteos hos, &c. Visitabis cum salutatione, & pignus eorum tolles.
Arias. Deferes ad principem mille.
Caiet. Visitabis in pace.
Tigur. Accipe diuersi generis quædam, quæ illis adferas sanctius accipies illorum commercium, consensionem, coordinationem.
Malu. Et decem strutionum lactis istarum venire facies, &c. Et mitionem eorum accipies.
Sept. Reg. Et quibuscumque indigeant cognosces.
Cald. Et bonitatem eorum afferes.
Syr. Et nuntium eorum ad me deferro.
Arab. Visita pacem fratrum tuorum.
Alij. Arrham, arrhabonem, vadimonium accipito.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

David autem erat filius, &c. Hæc à Sept. Sixt. absunt vsque ad v. 32. tamen habentur in Complut. Reg. & apud D. Chryf. Homil. 1. de Dauid, & à S. Aug. 197. & in lib. 50. Homil. Hom. 31. *Ephi polentæ*, Alij, *Ephah tosti*, &c. De *Ephi* diximus v. 36. c. 16. de כליא *keli* vero polentam solet vertere noster Interp. vide v. 14. c. 23. Leu. & alibi. *Et decem formellas casei*. Alij, *Et decem caseos lacteos*: Ex lacte enim coagulantur casei in formas rotundas vel quadratas quæ formellæ vocantur. *Ad tribunalum*. Alij, *Ad principem mille*: Tribunus enim mille præerat militibus. *Visitabis si rectè agant*. Alij, *Pignus eorum tolle, nuntium eorum ad me deferro*, &c. Noster *Vulg.* non est difficilis intellectu, nempe cognosce sub quibus signis militant, quos sortiti sunt commilitones, sed iuxta Hebr. & illius varias lectiones, difficultas non est leuis. Hebr. est תקה ערובתם *harubatam tikach*, ערב *Harab* autem cum multa significet, sic variè redditur, vt videre est in lectionibus huius versus, significat enim pignus, & sensus erit: Redimes quicquid in pignus dederint pro debito aliquo, si pecuniam acceperint mutuo dato pignore, tu pignus redimes, si his pecunia defuerit ad redimendum pignus: solent enim milites deficiente pecuniâ bona sua tradere in pignus. Dedit igitur Isai Dauidi pecuniam, qua fratrum pignora, si quid pignoris loco forte tradidissent à creditoribus redimeret: quod etiam intellexerunt *Sept.* cum vertunt, & quibuscumque indigeant cognosces, nempe si deficiente eis pecunia aliquid in pignus dederint redimes. Significat etiam arrhâ, arrhabonem: Et est sensus, accipe aliquod symbolû ab eis quod me de prosperitate, salute, & incolumitate eorum, & quod missa acceperint certiore reddat, à quo sensu non est alienus, *Syr.* vertens, & nuntium ad me deferro. Sed noster Interp. absque dubio optimè reddidit textum Hebr. ערב *gharab* enim licet multa significet, ea tamen omnia ad commixtionem, consensionem, conuentionem, & commercium referuntur, vt cum aliqui commercij gratiâ res rationesque coniungunt, cum pignus dant, & accipiunt, vt homines stent promissis, cum societatem in rebus contrahendis in eunt, aut in aliquo viuendi genere res habent, rationesque, commoditates, iacturasque communes: quod si ita est, optimè hac voce explicari potest illa societas militum, qui sub eisdem merentur signis, in eodem sunt contubernio, quibus communis est lucri commoditas, aut vitæ periculum: quod לקח *lacach*, quod accipere significat, idem sit quod cognoscere, Latinorum vsus satis ostendit, apud quos frequentissimum est, hoc accepimus à maioribus, hoc est, didicimus, & cognouimus: qui dicendi modus, licet Hebr. non sit admodum familiaris, tamen ipsa translationis expedita ratio suadet illis non esse inusitatum. Accipies ergo illorum commercium, coordinationem, &c. idem erit ac disces, quos habeant socios, in qua sint cohorte, & quomodo sint ordinati, cum quibus mixti, &c.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *David.* Hic consequenter describitur ipsius Dauid aduentus missi à patre: ideo dicitur. *David.* Id est, Bethleemita, quia Bethleem altero nomine vocatur Ephrata, vt habetur Gen. 48. *Qui.* computando Ionatham, qui erat filius adoptiuus, vt dictum est cap. præced. *Senex.* Quia iam erat emerita militiæ.
- LYRAN.** *Abiit.* Quia non habebat officium coram eo citharizando, ideo ad officium pristinum reuersus est in domum patris sui.
- TIRINVS.** *Dauid reuersus.* Cum psalteres esset regius, & tamen necessarius, tam carus Saüli, imò armiger iam illius, vt constat ex c. præc. cur iussus vel permissus est aulâ excedere, & ad pascua reuerti? Respondeo, ex parte Dauidis facile est cõiectare, pertæsum illum vitæ aulicæ, & impietatis Saülis, quam primus potuit occasionem captasse subducendi se, & ab aulæ strepitu, ad pristinam nemorum quietem reuertisse. Ex parte etiam Saülis iam meliusculè habentis, vt putat Serarius, facile fuit veniam obtineri. Et forsan, vt moroso, & mutabili erat ingenio, iam amorem conuerterat in odium, & abscedere coegerat Dauidem non satis suo genio respondentem, ita Sanctius. Qui etiam hinc, & ex sequentibus colligit, nesciisse fratres Dauidis, quando viderunt eum à Samuèle inungi, quem in finem adhiberetur illa vntio; sibi que persuasisse, inunctum fuisse in Prophetam, aut in aliquod aliud sacrum ministerium: Et licet Iosephus asserat, saltem vni parenti eius Isai Samuëlem de regno filij consilium communicasse; negat id tamen Caiet. qui vult A soli Dauidi id innotuisse. Et hoc puto longè verisimilius.
- Procebat.* Bis in die ad sui iactantiam, & Israëlitis vituperationem. *Et stabat.* Exercitus enim Philistinorum stabat in vno monte, & exercitus Israël in monte alio opposito: & vallis erat intermedia, & ideo quilibet exercitus sic diustabat in loco suo, quia nec iste exercitus, nec ille audebat in vallem descendere ad procedendum contra aduersarios, quia exercitus stans in loco suo statim posset alium lapidibus obruere.
- Accipe.* In Hebræo habetur *ephi granata*. Id est, granorum tritici decoctorum. *Ephi* autem quædam mensura est, continens decies Gomor, prout dictum fuit Exod. 16.
- Ephi polenta.* Polenta aptus cibus iis, qui agunt in castris, fit autem ex hordeo madefacto, deinde siccato, molaque in farinae modum comminuto, ex hac farina recentes cibos quotidie sibi parate poterant milites in castris. Porro ephi est mensura aridorum, de qua vide quæ dixi lib. Ruth c. 3. n. 17. & c. 4. n. 15.
- Accipe.* Polenta est hordeum adhuc viride, vel certè madefactum, dein siccatum, & tostum, denique molis contusum, & in farinam comminutum. Et hoc solent matres familias domi, milites in castris, pastores ruri, & viatores per iter liba, placentas, & alios varios sibi, recentesque ac delicatos cibos facili negotio parare, admixta vel aqua, vel lactè, vel butyro, vel melle, vel saccharo, vel oleo, vel alio simili condimento. Est verò ephi mensura quæ decem viris pro victu diurno sufficiat.

LYRAN. *Et decem formellas casei*, id est, decem caseos paruos C quibus Virgilius.

Y. 18. habentes formam paruam.
Has deferet; Qui præerat millenario, in quo erant filij sui ordinati, vt sic tribunus magis condescenderet eis, & præcaueret eorum periculo. Cætera patent vsque ibi.

ME NOC. *Tribunum*. Tribunus ille est qui mille præest militibus Græci *χιλιάρχη* vocant, vt hîc LXX.

TIRINVS. *Et decem formellas casei*, Id est decem caseolos recentes, qui ex forma vasis plus minusue concaui, in quod compinguntur, vti formam seu figuram, sic & nomen suum acceperunt, vocanturque formæ seu formellæ. De

Sunt & caseoli, quos iuncea fiscina seccat.

Quos Hispani *requesones* vocant, Itali *ricottas*. Ex hac tam sedula Isai cura, vt filiis suis de alimentis prospiciat, colligi posse videtur, Israëlitas primis illis regij imperij temporibus non regio sumptu, sed propriis stipendiis militasse. Secus est de Machabæorum temporibus & deinceps, quibus stipendia à regibus fuere militibus constituta, i. Machabæorum 14. v. 32. & Apostolus dicit, neminem suis stipendiis militare.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 22.

Vulg. Saül autem & illi, & omnes filij Israël in valle Therebinthi pugnabant aduersam Philistiim.

Pag. In valle Elah.

Sept. In valle quercus.

Cald. In planitie grandinis.

Vulg. Surrexit itaque Dauid mane, & cõmendauit gregem custodi, & onustus abiit, sicut præceperat ei Isai, & venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam, vociferatus erat in certamine.

Pag. Et oneravit se, & venit ad vallum &c. & vociferati erant in prælio.

Arias. Et portauit: exercitus egressus fuerat ad ordinem.

Caiet. Gens fortitudinis egrediens in aciem.

Tigu. Egressus erat exercitus vt acies instruerent, classicumque canebant ad pugnam.

Malu. Strenuitas exiens ad ordinationem, & tarantariabant in cassione.

Isid. Clar. Et venit intra circulum castrorum.

Sept. Reg. Venit in rotunditatem.

Cald. Clanxerunt in prælio.

Syr. Cumque peruenisset ad castra, in vallemquæ portigebatur ad aciem.

Vulg. Direxerat enim aciem Israël, sed & Philistiim ex aduerso fuerunt præparati.

Arias. Ordinem in occursum ordinis.

Sept. Direxerunt aciem ex diuersa acie.

Vulg. Derelinquens ergo Dauid vasa quæ attulerat sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat si omnia rectè agerentur erga fratres suos.

Pag. Ad manum custodis suppellectilium, &c. Et salutauit fratres suos pacificè.

Arias. Optauit fratribus pacem.

Caiet. Interrogauit fratres suos in pace.

Sept. Quæ ad pacem.

Cald. Cucurrit ad ordinem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Venit ad locum Magala. Alij, ad vallum. *מגלה* Mahaglah plerique pro appellatiuo capiunt, & sic reddunt vallum, circulum, hoc est ad fossam circularem cingentem exercitum, vt moris est: Alij verò pro nomine proprio. Si omnia rectè agerentur erga fratres. Alij, Postulauit fratribus suis ad pacem, hoc est salutauit eos, eis pacem dixit. De manu custodis ad sarcinas. Alij, In manu custodis suppellectilium: Aliqui enim destinati ad suppellectiles militum seruandas, dum alij pugnarent.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T venit. Et secundum hoc Magala est nomen propriu: A Hebræi dicunt quod est nomen commune, & significat circulum, quia in situatione castrorum debet fieri fossatum in circumitu, secundum quod docet Vegetius in lib. de re militari. Quia quantumcumque sit paruum, tamen castra intrà locata, sunt magis secunda contra repentinum hostiu incursum, & ideo subditur. 22. Et venit ad. e. Extra

prædictum circulum, in quo remanserunt sarcinæ, & aliqui eas custodientes, Sequitur.

Ad locum Magala. Magala circulum significat. Aut ergo est nomen proprium loci, aut idem est, ad locum Magala, quod ad locum castrorum.

Et interrogabat, Secundum mandatum patris sui.

LYRAN.
Y. 2.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 23. ad 30.

Vulg. Cumque ille adhuc loqueretur eis, apparuit ille vit spurius ascendens, Goliath nomine, Philistæus de Geth de castris Philistinorum. & loquente eo hæc eadem verba audiuit.

Pag. Ecce vir stans inter duas acies.

Alii vt vers. 4.

Malu. Ascendens de effusionibus Philistiim.

Arias. De Graminetis.

Alij. De aciebus.

Alij. De nuditatibus, detectionibus,

Vulg. Omnes autem Israëlitæ cum vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde.

Cald. Verterunt ab ante illum.

Vulg. Et dixit vnus quispiam de Israël: Num vidistis virum hunc qui ascendit? Ad exprobandum enim Israël ascendit: virum ergo qui percussit eum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israël,

Pag. Num vidistis, &c. Domum eius faciet liberam.

Malu. Ad perfodere Israëlem ascendens.

Cald. Domum patris sui faciet magnates in Israël.

Syr. Nobilem reddet.

Arab. Augebit opes eius, familiam eius immunem faciet, ita vt nulli rei subiiciatur.

Vulg. Et ait Dauid ad viros qui stabant secum dicens: Quid dabitur viro qui percussit Philisthæum hunc, & tulerit opproriu ex Israël? Quis enim est hic Philisthæus

incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?

Pag. Remouerit opprobrium.

Arias. Quoniam quis præputiatus hic, quia exprobrauit ordines diuorum viuentium?

Arab. Qui probra obiecit aciei Dei?

Vulg. Referebat autem ei populus eundem sermonem dicens, hæc dabuntur viro qui percussit eum.

Cald. Et dixit illi, sicut verbum hoc ad dicendum, sic fiet viro qui occiderit illum.

Vulg. Quod cum audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus est contra Dauid, & ait, quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium, descendisti.

Pag. Iratus est furor eius.

Arias. Nafus eius.

Tigur. Apud quem abiecasti pauculas illas oues?

Malu. Cognoui tumorem tuum.

Cald. Inualuit indignatio: noui præsumptionem tuam.

Arab. Audaciam tuam.

Vulg. Et dixit Dauid; quid feci? Numquid non verbum est?

Arias. Quid feci nunc?

Cald. Nonne fuit verbum quod dixi?

Syr. Iam verò hæc verba sunt.

Vulg. Et declinauit paululum ab eo ad alium, dixitque eundem sermonem, & respondit ei populus verbū sicut prius.

Dd iij



Arias. Et vertit se ex apud ipsum contra alterum.
Malu. Et circumgyrauit de reſeruatione eius ad è regione alterius, & dixit ſecundum verbum iſtud, & reuertere fecerunt eum populus verbum ſecundum verbum

primum.
Cald. Et reuerſus eſt ab illo ad è regione aliorum.
Arab. Sicut primum reſponſum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Spurus. Alij, *Inter duas acies.* Vide Concord. v. 4. *Apparuit de caſtris,* Alij, *de Graminetis effuſionibus, &c.* Duplex hęc lectio, Prior in contextu ממערתו *mimmagharoth*, quæ redditur vel de graminetis, de vallibus, id eſt, de loco vbi poſita erant caſtra Philiftæorum, quæ erat conuallis graminofa, & herbâ plena, vel de detectionibus nuditatibus, id eſt campis patentibus: Altera lectio marginalis ממערתו *mimmagarchot*, de aciebus, de caſtris, &c. *Domum patris eius faciet abſque tributo.* Alij, *Nobilem,* id eſt, dabit ei, quæ hodie appellantur nobilitatis præmia, & priuilegia, vt ſi quis pugnaturus eſt contra Goliath, iam ſit nobilis, & immunis à tributo, inter magnates regni ſui conſtituet: ſic enim *Cald.* *Faciet familiam ſuam magnatos populi.* *Exprobrauit,* Alij, *contumeliis affecit, confodit,* Vide ſuperius. *Noui ſuperbiam tuam,* Alij, *Audaciam, præſumptionem:* Qui enim ſuperbus de ſe multa præſumit, & audet plurima. *Numquid non verbum eſt?* Alij, *Non fuit verbum quod dixi?* quaſi dicat. Numquid quod dixi, non eſt merus ſermo, merum verbum, ſine facto, ac ſine re? quaſi dicat. Num vltra progreſſus ſum?

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A**pparuit, In Hebr. habetur, *Intermedius,* & exponatur ſicut ſupra.

LYRAN. **O**mnes. Non eſt intelligendum quod totus exercitus faceret, ſed intelligendum eſt quod nullus audebat egredi aciem ad obuiandum illi, & pugnandum inter acies duorum exercituum.

MENOC. **A**ſcendit, Potius deſcenderat in vallem, ſed hęc *Aſcendit* idem eſt, ac progreſſus eſt.

Qui percufferit. An ita loqueretur miles ex priuata ſua opinione, gregaliumque ſuorum, an verò Saül hoc promiſerit quod iactabatur, non ſatis colligi poteſt ex ſcriptura. Videtur tamen omnino promiſſio interceſſiſſe, quia Dauidi non ſemel interrogati conſtanter idẽ redditũ reſponſũ.

LYRAN. **E**t ait Dauid ad viros. Licet enim iam auდიſſet Dauid, vt dictũ eſt, tamen volebat à pluribus requirere ad maiorem certitudinem, nec quærebat iſta Dauid cupiditate lu-

cri, vel honoris principaliter: volebat enim pugnare cum eo propter gloriam Dei, vt videbitur, & propter liberationem populi. Libertas autem à tributo, & alia regis promiſſa, non alliciebant eum ad hoc, niſi tantum conſequenter.

Et dixit, quaſi dicat, adhuc nihil reprehẽſibile attentauit.

Numquid non. Quid dicat, non poſui me ad pugnam, ſed ad audiendum verba de ſtatu exercitus, ad referendũ patri.

Numquid? quaſi dicat, quid aliud quam bene locutus ſum? Chaldaicè, *nonne verbum fuit quod dixi?* Italicè fortãſſe diceremus, *non ſi pro dir una parola?* Annon licet verbum effari? vel etiam ſententia eſt, an non licet loqui de re vulgata, & quæ in omnium ore verſatur?

Nunquid non verbum eſt? id eſt, imperium & mandatum parentis, quo mittor ad caſtra.

Et declinauit. In quo apparet humilitas Dauid, quia reprehẽſionem fratris irrationabilem patienter portauit.

VARIETAS LECTIONVM à Verſ. 31. ad 37.

Vulg. Audita autem ſunt verba, quæ loquutus eſt Dauid, & annuntiata ſunt Saül.

Vulg. Ad quem cum fuiſſet adductus, locutus eſt ei, Non concidat cor cuiuſquam in eo, Ego ſeruus tuus vadam, pugnabo aduerſus eum.

Malu. Non cadet cor hominis ſuper eum, ſeruus tuus ambulabit & cædet cum Philiftæo.

Sept. Non concidat cor Domini mei.

Cald. Non frangetur cor hominis ab eo.

Arab. Ne timeas, neque trepidet cor tuum more hominis imbecilli.

Vulg. Et ait Saül ad Dauid, Non vales reſiſtere Philiftæo iſti, nec pugnare aduerſus eum quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.

Arias. Et ipſe vir belli à pueritiis ſuis.

Malu. Quia excuſſus tu, & ipſe vir caſionis de excuſſis ſuis.

Arab. Ille vero gigas à pueritia ſua.

Vulg. Dixitque Dauid ad Saül, Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrfus, & tollebat arietem de medio gregis.

Vulg. Et perfequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & ap-

prehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.

Arias. Apprehendebam in mentum eius, & percutiebam eum, & mori faciebam eum,

Sept. Et ſi inſurgebat in me, & tenui guttur eius.

Cald. Apprehendi in maxilla eius.

Vulg. Nam leonem & vrfum interfeci ego ſeruus tuus. Erit igitur & Philiftæus hęc incircumciſus, quaſi vnus ex eis, nunc vadam, & auferam opprobrium populi, quoniam quis eſt iſte Philiftæus incircumciſus qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuẽtis?

Mont. Et præputiatus iſte erit tamquam vnus ex eis, quia probriis affecit ordines diuorum viuẽtium.

Malu. Quia perfodit ordinationes Elohim,

Cald. Dei manentis.

Arab. Quoniam contumeliõſè inſultauit ordinibus & militibus Dei.

Vulg. Et ait Dauid, Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrfi, ipſe me liberabit de manu Philiftæi huius, dixit autem Saül ad Dauid, vade, & Dominus tecum ſit.

Malu. Et Ihuſ erit tecum.

Cald. Dictum Domini erit in auxilio tuo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non concidat cor cuiuſquam in eo, Alij, *Non frangetur cor hominis ab eo,* pro in ſeipſo, nemo animo deficiat, vel propter ipſum, nempe Goliath. *Nunc vadam & auferam,* &c. vſque *Incircumciſus,* hæc verba in aliis exemplaribus non habentur, nec in Latinis Reg. nec Græcis: Et Louanienſes ea obolo confodiunt: tamen in Sixt. habentur. *Qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuẽtis.* Alij *Probris affecit ordines diuorum viuẽtium.* Verum eſt eſſe pluraliter אלהים חיים Elohim Chaiim. Dicuntur in plurali diui viuẽtes, non quia dij plures eſſent, ſed quia Deus Iſraël omnium qui à Gentibus credebantur ſupremus eſſet, vel quia honoris gratiã aliquem pluraliter nominamus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A**udita. Hęc conſequenter deſcribitur ipſius Dauid conſtitus. Ad maiorem tamen ſequentium intelligentiam hęc quæritur, Vtrum duellum ſit licitum, & videtur quod ſic, per factum ipſius Dauid, qui ad duellum voluntariè iuit, vt patet in textu, nec ex hoc reprehenditur in ſcriptura, ſed magis cõmendatur. ergo &c. Contra, quia in duello datur poteſtas vel ſaltem conceditur licentia vri-

que interficiendi ſe mutuo. cum igitur alter illorum ſit innocens, præſtatur autoritas, vel ſaltem datur licentia interficiendi innocentem, quod ſimpliciter eſt illicitum, quia contra dictum iuris naturalis, & contra diuinum præceptum ergo &c. Reſponſio, duellum poteſt accipi dupliciter. Vno modo proprie, & ſic duellum eſt ſingularis pugna duorum, vt per victoriam vnus appareat eius iuſtitia tan-

quã per diuinum iudiciũ, & alterius iniustitia: & sic secundum omnes Doctores, duellum est illicitum, tam ex parte appellantis quã etiam recipientis, & etiam iudicantis, & consulentium, & fauorem præstantium, quia ibi est manifestè tentatio diuina, & hoc modo videntur loqui de duello iura ipsum prohibentia. 2. qu. 5. de Monomachia, & extra, de pur. Vulg. Cura suscepti. Nisi per reuelationem diuinã manifestum fuerit quod Deus velit sic indicare suam iustitiam. Et hoc modo dicunt sancti, & Doctores Catholici, Dauid singulare certamen iniit cum Golia, quia sibi mandatum fuit à Domino quod sic volebat indicare suam iustitiam contra Philistæos, vnde procedens contra Philistæum dixit, *Ego venio contra te in nomine Dei viventis, &c.* Et sic non fuit propriè duellator, sed magis diuinæ iustitiæ executor. Alio modo potest accipi duellum largè, prout est bellum singulare vnus cum vno absque expectatione diuini iudicij, sed vt per virtutem, artem vel fortunam, vel omnibus istis, vel aliquibus eorum concurrentibus aliqua controuersia inter eos criminalis vel civilis terminetur. Et sic adhuc dicunt aliqui quod duellum est omnino illicitum, non solum à parte appellantis, & iudicantis, sed etiam recipientis: ita quod magis debet sustinere rerum suarum spoliationem, & suæ personæ despectionem, & mortem, quã duellum recipere, etiam dato quod se sentiat innocentè. Cuius ratio est, quia intentio sic intrantis duellum, est interficere aduersarium suum, quod nulli personæ priuata licitum est, quia est contra præceptum diuinum. Et ad hoc inducunt verbum beati Aug. lib. de libero arbitrio, dicentis sic. Quomodo possum arbitrari istos carere libidine, qui pro his quoque rebus gladiantur quas possunt amittere inuiti, & inter istas res secundum ipsum ponitur vita propria, vt ibidem præmittitur, ergo, &c. Sed ista sententia videtur aliis nimis dura, propter quod dicunt, quod si appellatus de duello non possit declinare, vt pote quia denegantur sibi probationes aliæ, & si appeller non defertur appellationi suæ, potest licitè se defendere duellando, & non solum in causa criminali pro vita sua defendenda, sed etiam in causa civilis: Quia sicut licitum est alicui bellare ad sui corporis defensionem, ita etiam ad rerum suarum conseruationem. Nec valet vt videtur, quod alij arguunt, quod intendere alium occidere, est contra dictamen naturæ. Dicendum quod hoc verum est, si per se intendatur: sed in hoc casu non intenditur nisi per accidens, si non possit aliter vitam suam, vel res suas seruare, ad quorum conseruationem per se dirigitur intentio sua: quod patet ex hoc quod declinat duellum quantum potest, & ad conseruationem vitæ propriæ, & rerum suarum magis inclinat natura, propter quod argumentum quantum ad hoc videtur magis ad oppositum. Quod autem additur, hoc esse contra præceptum; Dicendum quod præceptum diuinum quod est, *Non occides*, intelligitur de occisione innocentis. Appellans autem in hoc casu non est innocens, nec per consequens iste se defendens de mandato, & voluntate iudicis non videtur peccare, maximè pro suæ vitæ tuitione: ad dictum verò Aug. potest dici, quod loquitur inquisitiuè, & dubitatiuè, & non determinatiuè. Dicunt tamen isti quod licet appellatus in duello in hoc casu excusetur à peccato, appellans tamen, & iudex auctoritatem vel licentiam præstans, semper peccant mortaliter. Sed quia multi principes sanctæ vitæ, & qui bonorum consilio utebantur, aliquando duella sustinuerunt, seu concesserunt vt beatus Ludouicus rex Franciæ, Carolus magnus, & plures alij, & Archiepiscopi, & Episcopi iustitiam temporalem habentes, videtur durum duella condemnare in omni casu ex parte iudicis. Ideo absque assertionem aliqua, & per modum collationis potest dici, quod in aliquo casu à iudicibus possunt permitti, vt pote quando aliqui nobiles habent inter se bellum quod possunt mouere ex longa consuetudine, quamuis superiorem habeant, vt patet in pluribus terris, & regnis, & ex hoc vnus vastat terram alterius ferro & igne, in quo subditi qui sunt innocentes in rebus, & corporibus multipliciter affliguntur, & aliquando contingit

A quod vnus coram superiori principe prouocat alium ad duellum, & alius statim recipit absque vlla recusatione. Si iudex in tali casu probabiliter videat, quod prædicta vastatio subditorum innocentum, per duellum istud debeat terminari, non videtur peccare, tale duellum permittendo. Quia ei qui habet curam alicuius communitatis, licitum est minora mala permittere ad euitandum maiora. Sicut licitè permittuntur meretrices in ciuitatibus, ne omnia turbentur libidinibus, vt etiam dicit Aug. sic autem videtur esse in proposito, vt patet ex prædictis. Et eadem ratione videtur esse de ignobilibus bellum ad inuicem mouere non potentibus in aliquo casu, vt sic per hoc, quod nullus posset alium prouocare ad duellum, multiplicarentur homicidia occulta in terra, eo quod homicidæ tales non timerent ad duellum ab aliquo prouocari. In tali casu non videtur illicitum principi aliqua duella permittere, vt prædicta homicidia cessent, quæ sunt maiora mala. Huic autem dicto videtur concordare dictum S. Thom. de Aquino in sua summa, vbi dicit, quod quando in duello non expectatur aliquis euentus miraculosus, sicut est in proposito, vt patet ex supradictis, tunc tale duellum appropinquat ad communem rationem sortium: sortibus autem licitum est vt in pluribus casibus, vt ipse ibidem dicit. Ad primum argumentum de Dauid, patet solutio ex prædictis. Ad argumentum alterius oppositæ partis, potest dici, quod non datur licentia occidendi innocentem in casibus prædictis, quia nullus duellantium prædicto modo est immunis à culpa, eo quod voluntariè ponunt se ad hoc prætermittis aliis viis secundum ordinem iuris. His dictis ad expositionem literæ reuertamur. *Audita sunt, &c.* Hic describitur ipsius Dauid conflictus: & primò bellum ab eo petitur, cum dicitur.

Ego seruus tuus. Constanter enim se obtulit propter reuelationem Dei sibi factam, vt prædictum est. Sed quia Saül nolebat ei concedere, eo quod timebat ne vinceretur, quia adhuc erat iuuenis in ætate, nec videbatur ad robur viri peruenisse, ideo Dauid bellum desiderans, declarat suam fortitudinem, & audaciam, dicens.

Pascebat seruus. Nec dicebat hoc Dauid ad iactantiam, sed ad Dei gloriam, cui hoc principaliter attribuebat, de quo etiam adiutorio contra Philistæum istum confidebat. Ideo subditur.

Erit igitur Philistæus. Quod autem vtrumque Dauid attribueret Deo principaliter, patet ex hoc quod subditur.

In eo. Propter eum, Goliath scilicet.

Puer. Adolescens. Theodoretus, & S. Aug. quatuordecim, aut sexdecim annorum faciunt, Sahanus contendit 22. annorum fuisse, à Saüle vocatum puerum, quia comparatione Saülis, qui procera admodum erat statura, puer videbatur.

Quia puer es. Non ætate, sed vsu, & peritia rei militaris. Patet ex antithesi. *Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua*, vbi ætati Dauidis opponitur peritia, & diuturnus vsus rei militaris. Patet secundò, ex v. 33. vbi Saül induit Dauidem suis quibus ipsemet vti consueuerat, vestimentis, & armis: Atqui Saül procero erat corpore, *altior vniuerso populo ab humero & sursum*, ergo, & Dauidem matura quoque ætate, & corpore procero tum fuisse fateamur necesse est, cui tam procero hominis vestes, & arma aptarentur. Neque Dauid cum illa exueret, negabat quadrate suo corpori, sed solum se non assueuisse eiusmodi armis, neque incedere posse grauatum tanto pondere, & quasi ferreis quibusdam vinculis constrictum. Denique idem colligitur ex eo quod gladio Goliath, vtique valdè longo & graui, Dauid expedite vteretur, neque inconcinne cingeretur, infra c. 21. v. 9. ita S. Chrysostomus, Abulensis, Dionysius & Hugo.

Dominus qui, &c. Id est, de potestate eius. Secundò bellum ipsi Dauid conceditur, cum dicitur.

Dixit autem. Ex hoc dicunt aliqui quod reuelatum fuit Saüli quod Dauid vinceret Philistæum. Fiunt enim aliquando reuelationes diuinæ, etiam malis hominibus propter commune bonum.

MENOC.

v. 32.

MENOC.

v. 33.

TIRINVS

LYRAN.

v. 37.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 38. ad 40.

Vulg. Et induit Saül Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica.

Malu. Vestiuit vestibus commensuratis suis, &c. & vestiuit eum thorace.

Sept. Rom. Induit vestimentum, & cassidem æneam circa caput.

Cald. Dedit galeam chalybis.

Vulg. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saül: Non possum sic incedere, quia non usum habeo. Et deposuit ea.

Pag. Voluit enim ire, non enim periculum fecerat, &c. & remouit ea à se.

Arias. Accinxit gladium suum, quia non expertus erat.

Malu. Accepit gladium desuper vestes commensuratas suas, & resoluit ad ambulare, quia non eleuauit, & dis-

cedere fecit ea Dauid desuper se.

Sept. Rom. Cinxit Dauid gladio suo, &c. & laborauit cum ambulasset semel, & bis, non potero ire in his.

Reg. Accinctus est, &c. super thoracem suum, & laborauit circum ambulans Dauid cum ambularet in eis, quoniam inexpertus erat.

Cald. Non potuit ad eundem, quia non doctus.

Syr. Voluit abire, quod eis non esset assuetus.

Vulg. Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit: & processit aduersum Philistæum.

Pag. Lapidés leues, & posuit eos in vase pastorali, quod erat ad collectionem.

Cald. Elegit quinque læuitates lapidum.

Syr. Et areptis quinque glareis lapideis ex arena sibi delectis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Induit vestimentis suis, Alij, Vestibus commensuratis. Vox Heb. *mad*, significat vestem commensuratam, iustam, nimirum, quâ arma iustè, & commodè superindui possent, vt fit in armatis. *Accinctus Dauid gladio eius*, nempe Saülis, nam Dauid pastor è grege veniens gladium armis, & bello aptum gestasse non videtur. *Lapides limpidissimos*, Alij, *Lenes, politos, aptos*, nempe ad iaculandum funda. *Et peram pastoralem, quam habebat secum*, Alij, *In vase pastorum, quod sibi, & in pera*. Collectionem omisit Interpres: *יקוט* *iakut*, quod plerique censent esse etiam peram sic dictam à collectione, quòd in ea res necessariæ colligantur, & reponantur; & quod priùs dixerat vas pastorale, expositiuè dixere peram: alij tamen putant fuisse singularem capsulam, qua fundibularij pro lapidibus utebantur, quodque in utramque Dauid lapides collegerit, tam in peram pastoralem, quam in alteram, quæ colligendis lapidibus ad iaciendum funda fuerat destinata, sed ad quid tot peræ, cum vna sufficeret?

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET induit.* Non est intelligendum, quod arma Saülis facta pro suo corpore tradita fuerint Dauid, quia ab humero, & supra eminebat super totum populum: vt dictum est supra 10. capitulo. Illa enim arma omnino fuissent improporcionata ipsi Dauid. Et si dicatur quod propter hoc ea dimisit postea, non est verum quia in dimittendo non allegauit armorum impromptitudinem, sed incon-suetudinem portandi vt patet infra. Arma igitur Saül quibus Dauid fuit indutus intelliguntur, quia erant de armamentario suo, & dedit ea Dauid, quia tunc cum militem fecit. Tertio Dauid cum Philistæo congredditur: qui congressus describitur, cum dicitur.

ESTIVS. *Et induit Saül.* Per vestimenta Saulis arma intelliguntur. Neque tamen verisimile est, quod Dauid indutus sit armis corpori Saülis aptatis. Nam Saül multo maior erat Dauide, utpote, vt supra scriptura commemorauit, etiam

A supra omnem populum eminens ab humero & sursum; ac proinde multo magis supra Dauidem adolescentem, sed significatur tantum quod ex armamentario regis Saülis (in quo erant multiplicia arma in variorum militum usus) arma hæc deprompta sint. Quem sensum confirmat illud: quod Dauid iis armis indutus, non attulerit pro ratione, quod eius corpori non congruerent, tanquam nimis magna, sed tantum, quod consuetudinem armorum non haberet.

Et tulit, &c. Id est, consuetudinariè.

Et elegit, &c. Id est, duos & planos, & rotundos sine angulis: quia tales magis directè proiciuntur, & maiore impetu.

Et processit, &c. Constantè, & intrepide de Dei auxilio confidens.

Limpidissimos lapides, &c. Politos non asperos.

LYRAN
V. 40.

MENOC

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 41. ad 47.

Vulg. Ibat autem Philistæus incedens, & appropinquans aduersum Dauid, & armiger eius ante eum.

Pag. Et vir ferebat scutum ante eum.

Malu. Leuans scuti faciebus eius.

Malu. Accurrit ad Dauidem.

Alij. Indefinenter pergebat appropinquare.

Vulg. Cumque inspexisset Philistæus, & vidisset Dauid, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus, & pulcher aspectu.

Pag. Rubicundus.

Malu. Quia fuit excussus, pulcher visionis.

Sept. Rom. Cum pulchritudine oculorum.

Vulg. Et dixit Philistæus ad Dauid: Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philistæus Dauid in diis suis.

Pag. Venis cum baculis.

Malu. Et leuifecit Dauidem in diis.

Sept. Rom. Quia tu venis super me in virga, & lapidibus, & dixit Dauid, nequaquam, sed peior cane.

Cald. Maledixit in errore suo.

Arab. Imprecatus est allegato Deo suo.

Vulg. Dixitque ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestiis terræ.

Pagn. Et animalibus agrestibus.

Cald. Feris agri.

Vulg. Dixit autem Dauid ad Philistæum: Tu venis ad me cum gladio, & hasta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobraſti hodie.

Malu. In hasta, & in romphæa, &c. in nomine elohim ordinationum Israël quas perfodisti.

Vulg. Et dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philistiim hodie volatilibus cæli, & bestiis terræ: vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israël.

Malu. Die ista cludet te Ihuh in manu mea, discedere faciam caput desuper te, &c. quia existentia, &c.

Cald. Quia est Deus permanens in Israël.

Vulg. Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Incedens, & appropinquans, Alij, *Indefinenter pergebat appropinquare*. Vnde illa geminatio *vadens, & appropinquans* significat, vt arbitror, Philistæum intrepidè concitato gressu incessisse ad contundendam audaciam Dauid. *Despexit eum: erat enim adolescens, Alij, Spernebat, eo quod esset puer, &c.* Vnde ætas, color, & pulchritudo inducebat Philistæum ad contemnendum Dauid. *Cum baculo. Alij, Cum baculis*: sed indefinitè dictum plurale pro singulari, Sep. *habent & in lapidibus*, quod non obest, sicut & quæ sequuntur. *Nequaquam, sed cane peior*, licet absint ab aliis exemplaribus. *Ipsius enim est bellum, Alij, Quia ipsi Ithub casio*, id est, quia vos Deo bellum infertis, nos pro eo gerimus, vel potius, quia in potestate Domini est bellum, & non in vi lanceæ & gladij.

ANNOTATIONES.

IBat autem. Scilicet planè, propter pondus enim armorum non poterat currere sicut Dauid. *Despexit eum*. Reputans eum nullius momenti ad pugnandum secum. *Numquid*. Quasi diceret, canis qui est inermis potest timere baculum, non ego. Cætera patent vsque ibi. *Maledixit Dauid in diis suis*. Sic olim apud Romanos vsitatum illud, *Dij te, Deaque perdant*. Ita mali aliquid à Dagon Deo suo, aut Baalim Dauidi imprecatus est Goliath.

A liath.

Tu venis ad me. Id est, confidens de armis, & virtute tua. LYRAN. 45.

Ego autem venio ad te. Confidens de virtute diuina.

Et dabit te. Ex hoc patet quod super hoc diuinam reuelationem habuerat, quia futurum contingens certitudinaliter prænuntiat. LYRAN. 46.

Ecclesia hæc. Congregatio hæc populorum. MENO C. 47.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 48. ad 51.

Vulg. Cùm ergo surrexisset Philistæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, festinavit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philistæi.

Pag. Cucurrit in aciem.

Arias. In ordinem, in occursum Philistæi.

Malu. Currit ordine, dispositione.

Sept. Rom. solum habent. Surrexit alienigena, & iuit in occursum Dauid.

Reg. vt Vulg.

Vulg. Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram.

Arias. Misit manum ad vas.

Malu. Et fundibulavit, &c. immerfus fuit lapis.

Sept. Rom. Infixus est lapis per cassidem in frontem eius.

Cald. Conuoluit, & percussit, &c. super domum oculorum eius, & infixus est lapis in domo oculorum eius, & cecidit super nasum.

Vulg. Præualuitque Dauid aduersum Philistæum in funda, & lapide, percussumque Philistæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu Dauid,

Pag. Et robustior fuit Dauid.

Malu. Et obtinuit Dauid de Philistæo, & mori eum fecit.

Syr. Valentior fuit.

Vulg. Cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditque caput eius. Videntes autem Philistæum, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.

Malu. Quia mortuus est præualidus eorum.

Sept. Rom. Et ascendit super eum, &c. potens eorum.

Cald. Euaginavit eum è theca sua, &c. robustus eorum.

Syr. Videntes mortuum esse gigantem suum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cucurrit ad pugnam ex aduerso Philistæi. Aliqui, *In ordinem, in occursum*, Alij, *In ordine, & dispositione*. Cum hoc sensu, vt non impetu præcipiti, & temerario, sed ordinatè, prudenter, circumspectè processerit ad certamen, vt ictum certius libraret. *Infixus est lapis in fronte eius*, Alij, *Immersus*. Quidam exponunt, in parte illa inermi frontis, erexerat enim partem illam galeæ, quæ tegit frontem. Quid si perfracta galea, lapis in fronte demersus fuerit? nam id significat verbum, *Et immersus fuit lapis*, id est, altius infixus, ac planè perfracta galea, & cranio in cerebro ipso demersus ea facilitate, quâ fuisset aquis immersus. Hunc sensum præ se ferunt Sep. Rom. cùm reddunt, *Infixus est lapis per cassidem in frontem eius*.

ANNOTATIONES.

Festin. Proicere lapidem antequam Philistæus esset sibi nimis propinquus, quia talis ictus fortior est aliquantulum à longè. LYRAN. 48.

Et misit. Matth. 4. dicit quædam Glossa, quod Christus vicit Diabolum tribus tentationibus, sicut Dauid Goliath tribus lapidibus: sed hæc Glossa non est multum autentica, quia non dicitur ibi cuius sit, & ideo videtur esse quædam Glossa magistralis, propter quod magis est ad hærendum textui sacre Scripturæ, quæ videtur hic innuere, quod Dauid vno tantum lapide Philistæum vicit.

Et infixus. Dicunt aliqui quod ferrum galeæ cessit lapidi miraculosè, vel potest dici absque tali miraculo, quod galea sic erat facta, quod facies erat discooperta illa parte excepta, quæ operiebatur lamina ferrea descendente super nasum, vt dictum est supra.

TIRINVS *Infixus est lapis in fronte*. Iosephus dicit, tam valido ictu adactum lapidem, vt ad cerebrum vsque gigantis penetrarit: vnde læso cerebro concidit è vestigio exanimis, & sine motu, ita Abulenſis. Verisimile est superbum gigantem contempſisse quidquid moliretur Dauid, neque

curasse galea clausa frontem contegi, cùm ab inermi, & belli inexperto nihil sibi metueret. Alioqui non erat prudentis sine omni metu esse, frontemque nudam obicere fundæ; cùm constaret, inter Israëlitas non paucos esse fundibularios qui tam certo ictu lapidem iacerent, vt ne vel ad capillum à scopo aberrarent, vt patet ex Iudicum 20. v. 16.

Allegoricè per Dauidem Christum, per Goliath diabolum, per baculum, & fundam crucem intelligunt communiter SS. Patres. Moraliter Goliath symbolum est superbæ, luxuriæ, aliorumque in singulis prædominantium vitiorum, quibus quantumcumque gigantæis, præualere si vis, potes solo obnifu, & meritis Christi. Vide S. Augustinum, Ambrosium, Chrylostomum, Rupertum, Eucherium, Bernardum, Angelomum, & fuscè S. Gregorium.

Præualuitque. Hic consequenter describitur ipſius Dauid triumphus, & patet litera vsque ibi. LYRAN. 50.

Interfecit. Ictu enim lapidis prostratus fuerat, nondum tamen exhalaret animam. Sallianus, & alij, ictu lapidis planè extinctum putant. MENO C.

LYRAN. *Et eduxit.* Philistæus enim adhuc cum non extraxerat, A *Fugerunt.* Territi diuino iudicio, cæterâ patent vsque
 V. 52. quia prius cum hasta pugnare volebat, sicut faciunt mili-
 tes in duellis, prius inuadendo se cum lanceis.
Videntes. Diuino miraculo.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 52. ad 58.*

Vulg. Et consurgentes viri Israël, & Iuda vociferati sunt, & persecuti sunt Philistæos vsque dum venirent in vallem, & vsque ad portas Accaron, cecideruntque vulnerati de Philistiim in via Saraim, & vsque ad Geth, & vsque ad Accaron.

Malu. Et taratantarizauerunt, &c. & ceciderunt perfossi.

Sept. Rom. Vsque ad portas Ascalonis.

Cald. Et iubilauerunt, & secuti sunt vsque ad interitum Gia.

Vulg. Et reuertentes filij Israël postquam persecuti fuerant Philistæos, inuaserunt castra eorum.

Arias. Reuersi sunt ab ardendo post Philistiim.

Malu. Diripuerunt defidentias eorum.

Sept. Rom. Et diripuerunt castra eorum.

Arab. Prædati sunt.

Vulg. Assumens autem Dauid caput Philistæi, attulit illud in Ierusalem: arma verò eius posuit in tabernaculo suo.

Malu. Venire fecit illud in Ierusalem, & vasa eius po-

suit, &c.

Sept. Rom. hunc versum, & alios vsque ad finem capituli omiserunt.

Vulg. Eo autem tempore, quo viderat Saül Dauid egredientem contra Philistæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Viuit anima tua, rex, si noui.

Malu. Filius quis iste excussus?

Cald. Filius cuius hic adolescens?

Vulg. Et ait: interroga tu, cuius filius sit iste puer.

Alij. Adolescens.

Vulg. Cumque regressus esset Dauid, percusso Philistæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saüle, caput Philistæi habentem in manu.

Malu. Venire fecit eum faciebus Saüli.

Vulg. Et ait ad eum Saül: de qua progenie es, ô adolescens? Dixitque Dauid: Filius serui tui Isai Bethleemitæ ego sum.

Pag. Filius cuius es puer?

Malu. Filius quis tu excusse.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vociferati. Alij, *Iubilauerunt*: Voces enim potuerunt esse iubili, & lætitiæ, propter tam insignem victoriam adeptam. *Postquam persecuti sunt Philistiim*, Alij, *Ab ardendo*. Ardenti enim animo eos persecuti sunt: *דלדל* enim denotat non quomodocumque persequi, sed infesto, & irato animo infectari. *Vsque ad Accaron*, *Sept. Rom.* *Vsque ad portas Ascalonis*, sed Accaron legendum, sic enim alia exemplaria. *Cuius filius sit iste puer*, Alij, *Adolescens*. Non erat eo tempore Dauid adeo puer vt tractare arma non potuerit: quod ad ætatem attinet, & corporis molem. Ideo ergo puer appellatur à rege, non solum hîc, sed & v. 33. quia rudis erat in ea arte, cuius tunc studebat specimen reddere, quod ex habitu coniectabat pastoritio, à quo procul abesse solet vsus, & disciplina militaris, quod ex eo coniecitur, quia Dauidis ætati, si de ea loqueretur Saül, ætatem opponeret Goliath, diceretque, tu puer, ille autem vir, sed addidit illum esse bellatorem ab adolescentia sua, quare aliquid tunc considerabat in Dauid, cui opponit in Philistæo peritiam, & vsus in re militari: facit ad rem, quod ex vsu tam sacræ Scripturæ, quam prophanæ, ætas non tam ex annis, quam ex qualitate, & meritis computari solet. Mirum vero quærere Saülem, de qua stirpe ortus sit, cum paulo ante domi habuerit psallentem: Variæ adhibentur rationes, sed fortè scriptura more suo non seruat ordinem, narrauitque prius, quod postea factum fuerat.

ANNOTATIONES.

MENOC. **A**D portas Accaron. Quæ vna est ex quinque Philistæorum satrapiis. LYRAN. *Assumens.* Non tunc, sed postea ad terrendum Iebusæos ibi habitantes, in fortalitij fortitudine confidentes. V. 52.

Arma vero. Scilicet Domini, quod patet ex hoc quod dicitur infra 21. quod gladius Goliath erat inuolutus post Ephod in templo Domini.

MENOC. *Attulit illud in Ierusalem.* Præcipuam urbem. Nec obstabat quod adhuc Iebusæi arcem illius, Sion scilicet tenebant; imò triumphus hic Dauidis ad illos terrendos faciebat. Circumtulit etiam idem caput per alias ciuitates, per quas victor exercitus transibat vt constat ex sequenti c. n. 6. Nam ex urbibus dicuntur egressæ mulieres, & epinicium Saüli, & Dauidi cecinisse.

Posuit in tabernaculo suo. Vbi ad aliquod tempus fuerunt, deinde translata videntur in Domini tabernaculum ad æternum rei monumentum, nam petente Dauid gladium ab Achimelech sacerdote, Goliæ gladium ex tabernaculo accepit.

TIRINVS *Caput Philistæi.* Per plures ciuitates, quas victor exercitus transibat, circumtulit Dauid, gladio eiusdem aut hasta infixum. Tandem in vrbe Ierolimytana, quæ iam pridem Iudæorum erat, nobile illud trophæum reliquit, vt Iebusæi, qui vrbis illius arcem etiam tunc obstinatè tuebantur, ex hoc spectro discerent, se quoque ab eodem duce, eadem manu, eadem arte, expugnari posse vt post

nouennium expugnata est arx illa ab eodem Dauide, 2. Reg. 5.

De qua. Licet autem Dauid fuisset cum Saül, vt patet ex prædictis c. 16. tamen nunc non cognoscebat, quia sicut dicit Aug. interim barba creuerat adolescenti quæ notabiliter mutat aspectum faciei. Potest etiam dici, quod Saül ex dæmonis afflictione habebat memoriam, & phantasiam perturbatam, & impeditam à cognitione.

Dixitque. Modus est iurandi, & est sensus. Sicut verum est, quod ego desidero vitam tuam: sic verum est quod ego non noui: & accipitur, si, pro, non. Nec mirum si Abner non cognoscebat Dauid: quia erat princeps militiæ, & sic erat occupatus contra aduersarios in extremitatibus regni, rege in domo manente, & Dauid adhuc cum Saüle parum fuerat, ita quod forsitan Abner eum non viderat.

De qua stirpe descendit hic adolescens? Et paulo post rursum: *De qua progenie es ô adolescens?* Vtrobique est in Hebræo atque etiam apud Sept. *Cuius filius es?* Nec mirum id Saülem ignorasse, licet Dauid in eius aliquando fuisset familia, ac proinde confusè saltem familiæ regiæ, ipsique regi debuerit esse notus; Nempe, quia reges non solent semper exactè inquirere de progenie, & parentibus suorum familiarium. Sed iam cum pollicitus esset se filiam suam daturum vxorem ei, qui Philistæum superasset, & cereret Dauidem adolescentem tam præclarum facinus designasse, merito exactius quærir, de qua progenie sit; aut (vt Hebræa, & Septuaginta loquuntur:) *Cuiusnam sit filius?* ESTIVS.

GENOC. De qua stirpe descendit hic adolescens? Aliquandiu abfuerat Dauid ab aula Saülis, & vt fit in adolescentibus, statura corporis procerior facta, & barbæ aliquid natum, & cultus corporis pastoritij, nõ vt prius aulico congruens, efficiebant ne facillè agnosceretur. Sunt etiam qui dicant infirmam Saüli à morbo fuisse memoriam. Adde fieri potuisse, vt Saül Dauidis non omnino oblitus esset, sed iam voluisse cognoscere singula minutatim; pollicitus enim fuerat occidenti Goliath filiam suam in matrimonium, itaque distinctius futuri generi genus, & dotes inuestigandæ, quam cum in aulam admissus vt cytharædum ageret, aut vt esset armiger.

Vinit anima tua. Quasi dicat, per vitam tuam.

Si noui. Non noui.

TIRINVS. De qua stirpe descendit hic adolescens? Quomodo id potuit ignorare Saül, cum Dauidem haud ita pridem psalterem suum, & cytharædum, & armigerum habuerit? Respondent primò Procopius, Dionysius Carthusianus, & Lyranus, phantasiâ Saülis, cum Dauid illi in aula adesset, ex frequenti dæmonis vexatione, & vehementiore melancholia perturbatam fuisse: ac proinde nullam eius memo-

riam retinuisse. Respondet secundò Abulensis; id prouenisse ex mutatione habitus, & vestium: nam qui prius lautiore utebatur cultu, more aulicorum, iam rusticis pellibus, & pastoritio sago indutus erat cum baculo, furda, & pera, alius planè ab eo qui fuerat ante. Addit Sanctius, reges non solere vel prope, vel attente, vel otiose intueri, ac consequenter neque nosse famulos suos, neque vllius rei facilius obliuisci, quàm obsequij sibi præstiti, maximè si contingat famulos non diu in famulatu perseuerare, vti contigisse in Dauidè diximus v. 15. Nam reip. cura, bellorum perturbatio, & aliæ infinitæ occupationes mentes regum alio rapiunt. Denique responderi posset, non ignotam fuisse Saüli personam Dauidis, sed solam stirpem, tribum & familiam: nam de his solis iam inquirat. Et verò intererat plurimum Saülis hæc nosse, cum ex pacto filiam illi suam daturus esset vxorem, ita Mariana & Sanctius.

Et ait. Fecerat enim proclamari quod filiam suam daret ei qui Philistæum percuteret, vt dictum est supra: & ideo **LYRAN.** volebat scire, si esset de bono genere, ita quod filia sua esset ibi competenter assignata. **v. 56.**

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

SYNOPSIS.

Ionathas arctissimo fœdere iungitur Dauidi: sed Saül pessimè illum odit: vnde & lancea configere nititur, sed frustra. Porro Merobem filiam suam Dauidi ante promissam elocat alteri viro: loco tamen illius dat illi iuniorem filiam suam Michol.



I. Factum est cum compleisset loqui ad Saül: anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam. 2. Tulitque eum Saül in die illa, & non concessit ei vt reuerteretur in domum patris sui. 3. Inierunt autem Dauid, & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam. 4. Nam expoliavit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad balteum. 5. Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcumque misisset eum Saül, & prudenter se agebat: posuitque eum Saül super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximeque in conspectu famulorum Saül. 6. Porro cum reuerteretur percusso Philistæo Dauid, egressæ sunt mulieres, de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saül regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. 7. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. 8. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste: dixitque; Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum? 9. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps. 10. Post diem autem alteram inuasit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies: tenebatque Saul lanceam, 11. & misit eam, putans quod configere posset Dauid cum pariete: & declinavit Dauid à facie eius secundo, 12. Et timuit Saul Dauid, eo quod Dominus esset cum eo, & à se recessisset. 13. Amouit ergo eum Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros: & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi. 14. In omnibus quoque viis suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo. 15. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, & cœpit cauere eum. 16. Omnis autem Israël, & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos. 17. Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum. 18. Ait autem Dauid ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vitæ mea, aut cognatio patris mei in Israël, vt fiam gener regis? 19. Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Hadrieli Molathitæ vxor. 20. Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera: Et nuntiatum est Saul, & placuit ei. 21. Dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philistinorum. Dixitque Saul ad Dauid: In duabus rebus gener meus eris hodie. 22. Et mandauit Saül seruis suis: Loquimini ad Dauid clam me, dicentes; Ecce places regi, & omnes serui eius diligunt te. Nunc ergo esto gener regis. 23. Et loquuti sunt serui Saül in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid: Num parum videtur vobis, generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis. 24. Et renuntiauerunt serui Saül, dicentes: Huiuscemodi verba loquutus est Dauid. 25. Dixit autem Saül: Sic loquimini ad Dauid:

Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum: ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saül cogitabat tradere Dauid in manus Philistinorum. 26. Cumque renuntiasset serui eius Dauid, verba quæ dixerat Saül, placuit sermo in oculis Dauid, ut fieret gener regis. 27. Et post paucos dies surgens Dauid, abiit cum viris qui sub eo erant, & percussit ex Philistiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea regi, ut esset gener eius. Dedit itaque Saül ei Michol filiam suam uxorem. 28. Et vidit Saül, & intellexit quod Dominus esset cum Dauid. Michol autem filia Saül diligebat eum. 29. Et Saül magis cœpit timere Dauid: factusque est Saül inimicus Dauid cunctis diebus. 30. Et egressi sunt principes Philistinorum: à principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat Dauid, quam omnes serui Saül, & celebre factum est nomen eius nimis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 9.

Vulg. Et factum est cum compleisset loqui ad Saül: anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.

Pag. Ligata est anima Dauid.

Arias. Et fuit secundum consummare loqui ad eum.

Sep. Six. hunc versum, & alios 5. subsequentes omiserunt.

Reg. Dilexit secundum animam suam.

Cald. Adiuncta fuit in anima Dauid.

Syr. Adhæsit.

Vulg. Tulitque eum Saül in die illa, & non concessit ei ut reuerteretur in domum patris sui.

Malu. Et non dedit eum ad reuertere ad domum, &c.

Vulg. Inierunt autem Dauid, & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.

Malu. Et excidit fœdus.

Vulg. Nam expoliavit se Ionathas tunica, qua erat in-

durus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, usque ad gladium, & arcum suum, & usque ab balteum.

Pag. Exiit se pallio.

Cald. Et usque ad armam suam.

Vulg. Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcumque misisset eum Saül, & prudenter se agebat: posuitque eum Saül super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximeque in conspectu famulorum Saül.

Arias. Intelligens agebat.

Malu. Bonus fuit in oculis, &c.

Syr. Prohibebat Dauid quocumque mittebat eum Saül, idem præfixit eum viris militantibus.

Arab. Dilexit eum populus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Anima Ionathæ conglutinata est anime Dauid, Alij, Ligata, adiuncta: Sed magis Vulg. illius vim amoris exprimit, significat enim Ionatham intimè, & tenerrimè Dauidem dilexisse, ita ut videretur anima ipsius glutino affixa, & quasi in vnum compacta cum anima Dauidis; Prudenter agebat, Alij, Intelligens agebat. Est futurum hiphil, verbi כָּלֵל *facal*, quod multifariè redditur, grauitè, prudenter, consideratè, callidè, intelligens agebat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **ET** factum est, &c. Descripta ipsius Dauid victoria, hic consequenter describitur ex hoc inuidia subsecuta. Et primò describitur circa Dauid omnium gratia. 2. Saülis inuidia, ibi: Porro cum reuerteretur. Tertiò effectus malitiæ, ibi: Post diem. Circa primum describitur primò gratia acquisita ipsi Dauid erga Ionatham filium regis, cum dicitur.

Anima Ionathæ, &c. Id est, coniuncta indissolubili glutino charitatis: huius autem dilectionis subditur effectus, cum dicitur.

MENOC. Cum compleisset loqui ad Saül. Qui post pugnam de illa videtur quæsiuisse aliqua, ut etiam de genere ipsius, illique gratulatus, &c.

LYRAN. Inierunt, &c. Fœdus, iurando perpetuam amicitiam, & in signum huius amicitia, subditur.

MENOC. Inierunt Dauid, & Ionathas fœdus. Perpetuæ amicitia. Amorem conciliabat strenuitas Dauid, & rei bellicæ studium, & patriæ, religionisque tuendæ contra hostes Israël.

TIRINVS Inierunt Dauid, & Ionathas fœdus. Scilicet arctissimæ amicitia, quam duo isti principes inter se habere voverunt perpetuam. De quo fœdere pluribus infra c. 20. Sed quæ causæ tanti amoris inter filium regis, & vilem opilionem? Respondeo, Virtutes insignes atque heroicæ quas Ionathas suspiciebat in Dauid. Aderat inter illos duos morum studiorumque similitudo maxima, vterque fortis erat, & strenuus: vterque patriæ, religionis, & Israëliti nominis ac gloriæ studiosus: vterque ingenio candido, non inuido; non æmulo, non malo. Neque dubitabat Ionathas sceptrum Israëliticum à suo iam reiectio patre, & familia ad alios breui transferendum: & verò

ad quem potius quam ad Dauidem, quem Deo tam carum esse sentiebat? Id certè sibi constare clarè dicit Ionathas c. 23. v. 17. & Saül quoque aperte affirmat c. 24. Scio quod certissime regnaturus sis, &c.

Expolia Reputans eum quasi seipsum.

Vsque ad, &c. Ly vsque secundum aliquos hic tenetur exclusiue. Ita quod ista non dederit Ionathas ipsi Dauid, quia non poterat bono modo ipsis carere. Alij autem dicunt, quod tenetur inclusiue, ita quod ista etiam dederit Dauid in signum perfectæ amicitia, & hoc videtur verius: nec valet ratio aliorum: quia filius regis de facili poterat talia abundè habere. 2. describitur gratia ipsius Dauid erga populum, cum dicitur.

Vsque ad balteum. Ita loquitur sacer textus ut ostendat nullam vestimentorum partem etiam minimam Dauidi datam non esse, vel quia baltei olim pretiosi, ut honoris insigne fuerunt, ad exaggerandam benevolentia magnitudinem. Certè in lib. Iob c. 12. 18. dicitur, Balteum regum dissoluit, & praeingit fune renes eorum. Potuit Ionathas alia munera amico dare, sed maluit vestes, ut quam primum aulico cultu ornaret, ne pastoritio habitu despiceretur, voluitque tanquam alterum Ionatham ab omnibus honorari, & se quasi in illo agnoscere, & contemplari, & existimare Dauid pluris se à Ionatha fieri, diligique vehementius, quam seipsum.

Et acceptus erat. Quia omnia negotia sibi imposta pro bono, & defensione regni feliciter consummabat.

Egrediebatur quoque Dauid. Hæc per anticipationem dicuntur, præcesserunt enim quæ num. 6. sequenti narrantur.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 6. ad 9.*

Vulg. Porrò cùm reuenteretur percusso Philistæo Dauid, egressæ sunt mulieres, de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saül regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris.

Pag. Cum tympanis, cùm lætitiâ, & canticis.

Arias. In trifidis instrumentis.

Caiet. Et cum tertiis.

Teste Malu. aliqui. In magnificis, loco sistrorum.

Sep. Rom. Et in cymbalis.

Arab. Cymbalis, & sistris quadratis, cymbalis, & gaudio.

Vulg. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saül mille, & Dauid decem millia.

Arias. Et respondebant, &c. Percussit Saül in decem millibus suis, & Dauid in denis millibus suis.

Malu. In multiplicatibus suis.

Vulg. Iratus est autem Saül nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste: dixitque; dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum re-

gnum?

Arias. Et malum fuit verbum, &c. & ultra ei certè regnum.

Caiet. Dederunt Dauidi myriades.

Tigur. Hoc Saüli vehementer iram commouit.

Malu. Et exarsit Saül valdè, & adhuc ei profecto regnum.

Sep. Reg. Apparuit prauum verbum in conspectu Saül de verbo isto.

Reg. Duruit Saüli nimis.

Cald. Tribuerunt Dauidi acies, mihi vero millia.

Vulg. Non rectis ergo oculis Saül aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps.

Pag. Toruè aspiciebat.

Arias. Malignè.

Caiet. Et fuit Saül oculator Dauidis.

Malu. Oculans ad Dauidem.

Sep. Reg. Et fuit Saül, intuens Dauid à die illa.

Cald. Insidians Dauidi.

Syr. Arab. Cæpit odio prosequi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In sistris, Alij, In ternariis, magnificis. Vocem Heb. שַׁלִּיִּשִׁים *salischim*, quam *Vulg.* interpretatus est in sistris, variè aliq̄ elucidant. Certum est à ternario numero nomen habere, vade plures vertunt trifides, ternarios, & aiunt esse instrumenta musica quæ constant tribus neruis, seu chordis, aut fidibus. Aliqui à *schalischim* ducibus, principibus deriuant significationem, redduntque *magnificis*, voluntque intelligi eximia, & magnifica cantica, quæ principatum inter alia obtineant. Arab. plura instrumenta musica posuit.

Non rectis ergo oculis Saül aspiciebat Dauid, Alij, *Toruè, malignè aspiciebat*. Alij, *Oculator Dauidis*. Participium *גָּוֹן ghonen* quod variè redditur, vt vidimus, nihil aliud significat, nisi quod maligno, & inuido oculo eum aspiciebat: Nonnulli à *גָּוֹן ganah* deducunt, exponuntque, & fuit Saül iniquitatem tendens, seu intendens, in Dauidem iniquè.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *P*orrò cùm reuenteretur. Hic consequenter describitur A
 y. 6. ipius Saüli inuidia, cuius seminarium fuit laus ipsius data in cantilenis communibus de victoria Philistinorum, in quibus cantabant.

MEN OC. *De vniuersis vrbibus.* Per quas victores transibant cum irent in Ierusalem. Canunt mulieres, id enim fuit illo æuo solemne, vt in victoriis virgines læto carmine, Dei, victorumque laudes exequerentur. Sic Maria soror Moïsis cum reliquis cecinit, mari rubro extinctis Ægyptiis Exodi 15. 20.

In sistris, &c. sistra sunt crepitacula, quæ quodam artificio digitis, aut manibus impulsa resonant, sic dicta à *אָוֶן* *auv*, quod est quaterere, concutere, agitare.

TIRINVS. *Egressæ mulieres de vniuersis vrbibus.*] Nempe quæ in transitu erant inter vallem terebinthi, vbi duello victus fuerat Goliath, & Ierosolymam vbi pro trophæo fixum fuit caput gigantis, vt vidimus capite præcedenti. Porrò virginibus proprium erat, si quid lætum esset, verbi gratia nuptias, & victoriam, vel si quid triste, verbi gratia funus, vel acceptam cladem, cantu solemni celebrare, seu læto, seu lugubri, læta, epithalamio, vel epinicio, tristia, epicedio, næniis.

LYRAN. *Percussit, &c.* Sic plus honoris attribuebant Dauid quam Saüli. Dicebant autem Dauid percussisse 10000. eo quod percusserat Goliath, qui pro 10000. computabatur, eo modo loquendi, quo de Dauid dicitur 2. Reg. 18. *Tu vnus pro decem millibus computaris.*

ESTIVS. *Percussit Saül mille, &c.* Repetitur hic versus infra c. 29. istis verbis: *Percussit Saül in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis.* Et ita habent Hebræa, tam in loco, quam hoc capite, atque etiam c. 21. Quare quidam sic illud interpretantur, quasi sit sensus: Saül tantam fecit stragem hostium, ac si duxisset in prælium aliquot millia pugnantium, Dauid vero, tantam, ac si duxisset aliquot de-

na millia secum. Sic autem interpretantur, propter illud (*suis.*) Verum simplicius, & rectius ad sensum, quem Hieron. hoc loco, & c. 21. reddidit, exponitur hoc modo: Saül percussit millenos suos, id est, aliquot millia; Dauid autem denos millenos suos, id est, aliquot myriades: quasi dicas; qui à Saüle victi sunt, tantum per millenos supputantur; At victoriæ Dauidis in tantum maiores sunt, vt non per millenos, sed per myriades supputandi sint hostes ab eo debellati. Dicitur autem vtrobique (*suos.*) Nempe, victi victorum sunt iure belli.

Percussit Saül mille, &c. Quasi dicerent, multos percussit Saül, sed multo plures Dauid. Vera laus, & Dauidi congruens, cui non decem millium tantum cædes, sed totius hostium exercitui illata clades accepta referri debebat. S. Chrysoft. homilia de Dauid, & Saüle, & aliq̄ damnant mulierum imprudentiam, omnis enim comparatio odiosa, etiam inter pares, quanto magis si inferior maiori æquetur, aut anteponatur? Itaque Saül iure mulieribus iratus est, non autem Dauidi innoxio.

Dauid decem millia. Percussisse dicitur, quia sublato gigante, reliqua Philistinorum agmina, quæ multis millibus constabant, abiectis animis, & viribus, & armis, vel internecioni data sunt, vel turpi fuga dilapsa. Neque solum tot millibus hostium ademittit animos Dauid, sed & suorum plurimis millibus, quibus metu gigantis animi defecerant, iisdem prostrato gigante eisdem reddidit: vt constat ex capite præcedenti, atque ita vt hostium mors, sic ciuium suorum vita fuit Dauid.

Quid ei, &c. Ex tunc enim timere cæpit, ne Dauid perueniret ad regnum, quia sciebat se reprobatum, sicut dictum fuit supra 15. cap.

Non rectis, &c. Modus est enim inuidorum, & odientium, respicere eos, quos oderunt, ex obliquo.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 10. ad 16.*

Vulg. Post diem autem alteram inuasit Spiritus Dei malus Saül, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies: tenebatque Saül lanceam.

Pag. Requieuit, &c. sicut consueuerat.

Arias. Et prosperauit, &c. & modulans.

Malu. Perrupit, &c. & prophetare se fecit.

Sept. Reg. Cecidit spiritus.

Cald. Mansit, & insanit intra domum.

Arab. Ut occuparet Saülem spiritus, &c. & prophetaret, hoc est pythonum verba proferret, Dauid autem fides pulsaret.

Vulg. Et misit eam, putans quod configere posset Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius secundo.

Pagn. Iaculatus est & dixit. Percutiam Dauid & parietem.

Arias. Sustulit.

Malu. Protelauit hastam, &c. & circumgyrauit Dauid de faciebus eius duobus ictibus.

Cald. Quatiam eam in Dauid.

Vulg. Et rimuit Saül Dauid, eo quod Dominus esset cum eo, & à se recessisset.

Sept. Rom. Timuit Saül à facie Dauid: *Sequentia omittunt.*

Cald. Quia fuit verbum Dei in auxilium eius, & Saülem elongauit.

Vulg. Amouit ergo eum Saül à se, & fecit eum tribunum super mille viros: & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi.

Pag. Recedere fecit eum à se.

Arias. Et exposuit eum principem mille.

Sept. Rom. Constituit eum Chiliarcham.

Cald. Et exiuit, & intrauit in capite populi.

Vulg. In omnibus quoque viis suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.

Arias. Et fuit intelligens.

Malu. Intelligere faciens.

Cald. Prosperauit.

Arab. In omnibus negotiis prudens.

Vulg. Vidit itaque Saül quod prudens esset nimis, & cœpit cauere eum.

Pag. Et timuit à facie eius.

Malu. Et traxit de faciebus eius.

Sept. Reg. Quod ipse intelligat nimis.

Malu. Quod ille prosperans valdè.

Vulg. Omnis autem Israël, & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos.

Cald. Quia exiens, & intrans in capite populi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Inuasit Spiritus Dei malus. Alij, *Requieuit, prosperauit.* Vide Concordiam paulo ante. *Et prophetabat,* Cald. *Insanuit intra domum:* Vnde hic prophetare idem quod insanire, delirare, bacchari, absurda, & aliena spiritus mali impulsu loqui, & agere. Vnde Arab. *Prophetabat, hoc est pythonum verba proferebat. Et declinauit à facie eius,* Alij, *De faciebus eius,* non lanceæ, sed Saülis vibrantis lanceam: Particula enim *eius* in Heb. est masculini, non fœminini generis, ac proinde Saüli, non lanceæ congruit. *Prudenter agebat.* Alij, *Intelligens.* Vide dicta superius. *Ingrediebatur ante eos.* Cald. *In capite populi.* Id est, educebat populum ad bellum, & reducebat: erat omnium dux. Alij volunt quod domi, forisque, bello, & pace rempublicam administrabat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Post diem autem alteram, &c.* Hic consequenter describitur prædictæ inuidiæ effectus malignus. Et primò Dauid inuadendo. 2. filiam suam ei inuidiosè promittendo, ibi: *Dixit autem Saül.* Circa 1. dicitur, *Post diem autem.* Grauius antea propter odium contra Dauid conceptum.

ESTIUS. *Inuasit Spiritus Dei malus Saül, & prophetabat.* Prophetasse dicitur improprie, nempe quia more arreptiorum aliena, & absurda loquebatur, sicut & absurda visa fuerunt hominibus carnalibus multa, quæ veri Prophetæ loquebantur. Alij volunt eum etiam verè prophetasse, sicut antea quoque fuerat inter Prophetas. Vide supra 1. Reg. 6.

MENOC. *Prophetabat.* Agitabatur corpore à maligno spiritu quo erat obsessus; qui ita mouentur, & agitantur, prophetare dicuntur, vel quia etiam veri Prophetæ irruente in eos diuino spiritu cum entusiasmo concitate loquebantur, & ad populum concionabantur, vel quia Prophetæ vulgo censentur insanire, quod ignota, & abstrusa pleraque dicerent. Sic Prophetæ quidam insanus vocatur 4. Reg. 9. vers. 11.

Psallebat manu sua. Musicum instrumentum manu pulsabat. Psallere proprie significat voce canere, sed transferretur etiam ad instrumenta, sic etiam Latini dicunt, *canere fidibus.*

TIRINVS. *Inuasit Spiritus Dei malus Saül.* Nempe inuidia, ira, furore turbatum, quæ passiones viam dæmoni sternunt. Vide c. 16. v. 14. & 23.

A *Et prophetabat.* Id est, more prophetantium, carmina, & psalmos, seu sacros, seu profanos, sibi antea, nec notos, nec auditos, fortè etiam lingua ignota, & gestibus inconcinnis, decantabat, vt solent insani, & energumeni nunc cantores, nunc concionatores, nunc comædos agere. Vnde Caldæus vertit, *Et insaniebat Saül.*

Putans quod configere. Id est, perforare lancea, sic quod transiret vsque ad parietem.

Et declinauit. Prius enim recesserat ab eo rediens ad domum patris vt dictum fuit c. præc. & nunc iterum rediit ad patrem, ostendens periculum in quo fuerat, sed Saul reuocauit eum, fingens quod non fecisset ex proposito; nec ex odio: sed nesciens quid faceret agitatus à dæmonio.

B *A facie eius.* Saulis.

Secundo. Bis enim telum in Dauidem contorsit Saul, licèt semel tantum à scriptura narretur.

Timuit Saül Dauid. Eius incrementa suspecta habere cœpit.

Et fecit eum. Non propter honorem suum: sed vt egrediens ad belli pericula occideretur, sed Dominus istud conuertit in bonum ipsius Dauid, vt patet ex litera sequenti.

Egrediebatur, &c. Ingredi, & egredi est ducem agere, & cum potestate præesse, expeditiones iussu recipere, cohortem suam educere ad bellum, & reducere.

Cœpit canere eum. Idem est quod num. 10. dictum est. *Timuit Saül Dauid.*

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 17. ad 21.*

Vulg. Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens, Non sit manus mea in eum, sed sit su-

per eum manus Philistinorum.

Arias. Esto mihi in filiam virtutis.

Caiet. Fortitudinis.

Malu. Strenuitatis.

Cald. Esto mihi viro facienti bella.

Syr. Esto mihi dux militiæ.

Vulg. Ait autem Dauid ad Saül: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israël, vt fiam gener regis?

Sept. Reg. Quæ vita cognationis patris mei?

Vulg. Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saül Dauid, data est Hadrieli Molathitæ vxor.

Cald. Et fuit eo tempore, quo pertinuit dari, &c.

Vulg. Dilexit autem Dauid Michol filia Saül altera: Et nuntiatum est Saul, & placuit ei.

Mont. Fuit rectum verbum in oculis eius.

Cald. Et pulchruit verbum.

Arab. Rem approbavit.

Vulg. Dixitque Saül: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philistinorum. Dixitque Saül ad Dauid: In duabus rebus gener meus eris hodie.

Pag. Dabo eam, vt sit ei laqueus: In duabus contrahes mecum affinitatem.

Sept. Rom. Scandalum. Et fuit super Saül manus alienigenarum.

Cald. Erit ei in offendiculum, & ait Saül, in vno de duobus gener fies mihi.

Arab. Calamitatem pariat per manus, &c. & erit mihi hodie gener.

Vulg. Et mandauit Saül seruis suis: Loquimini ad Dauid clam me, dicentes; Ecce places regi, & omnes serui eius diligunt te. Nunc ergo esto gener regis.

Pag. Complacuit in te rex, & nunc affinitatem contrahes cum rege.

Sep. Ecce vult in te rex.

Syr. Ecce gratus es regi.

Arab. Sane rex te diligit.

Vulg. Et loquuti sunt serui Saül in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid: Num parum videtur vobis, generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.

Pag. Et despectus.

Tigur. Obscurus.

Malu. Leuifactus.

Sep. Rom. Sileue in oculis vestris, &c. & ego vir humilis, & non honoratus,

Cald. Et idiota.

Arab. Vilis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN duabus rebus gener meus eris hodie. Alij, In duabus contrahes affinitatem mecum. Plures ex Hebraicantibus volunt illud *rebus* redundare, vt pote quod non sit in aliis exemplaribus; sed si rectè expendatur, reperietur in Hebræo: Notum est enim apud Hebræos qui genere carent neutrali, genus fœmineum, sicut & neutrum substantiue sumi, quod Hebræorum idioma aliquando seruaui Interpr. in Psal. Vnam petij à Domino, hanc requiram, pro vnum petij. Hebraicè fœminea ponitur terminatio *תַּיִם* *setaim*, quæ exponenda neutraliter, & dicendum, in duobus, id est in duabus rebus, sicut eleganter, & communiter Latini faciunt, qui raro dicunt duas res, sed duo: & quidem apud Hebræos cum *duo* sine certo aliquo adiuncto ponitur substantiuo, fœmineam terminationem sortitur; quo posito Hebraizantes, qui solum ponunt, In duabus, volunt intelligi id de personis, & non de rebus, vnde quidem dicunt in duabus filiabus Dauidem fuisse generum Saülis, quia altera promissa est, atque adeo contractum intercessisse sponsalium, cum altera vero coniugali vinculo fuisse coniunctum. Alij illud *In duabus*, singulariter capiunt, in hunc sensum. In vna duarum filiarum, id est, in altera è duabus. Sed cum dixerimus rectè vertisse Interpretem in duabus rebus, asseremus non de personis sermonem esse, sed de duabus rebus, nempe duobus titulis, & meritis Dauidis, propter quæ illi regia puella matrimonio copulari debuerit, nempe, & quia Philistæum occidit, cuius præmium fuerat sibi promissa filia regis, & quia centum Philistæorum præputiis, nuptias illas coëmit. *Tenuis*. Alij, *Obscurus, non honoratus*, qui enim tenuis est fortunæ, facile despiciatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Dixitque.* Hic consequenter ponitur effectus malitiæ Saül, filias suas Dauid promittendo, & primo primam, secundo, secundam, ibi: *Dilexit.* Circa primum dicitur.

Ecce filia mea. Quasi diceret, volo te honorare dando tibi primogenitam, malitiosè cogitans, vt ad consequendum hoc matrimonium Dauid audacius se periculis exponeret, & sic periret, sicut patet in litera.

MENOC. *Filia mea maior.* Quam ei antea promiserat, vt diximus c. 17. n. 25.

Non sit manus mea in eum. Vt illum interficiam, sed potius gladiis Philistæorum obiiciatur, & eorum manu cadat.

LYRAN. *Quis ego sum.* Hoc dixit Dauid non renuens matrimonii, sed vt magnificaret ipsius Saülis beneficium, vnde subditur.

LYRAN. *Factum est autem.* Vt Dauid eius amplexibus fruere-tur.

Data est Hadrieli. Et sic apparuit non solum inuidia Saül, sed etiam eius falsitas, non implendo promissum: maximè cum Dauid iam hoc meruisset ante in occisione Goliath, vt patuit ex suprascriptis.

MENOC. *Factum est, &c.* Temporis aliquod spatium, quo elapso Merob Dauidi nuberet.

Data est Hadrieli. Contra fidem datam; & cum insigni Dauidis iniuria.

TIRINVS. *Cum deberet dari Merob filia Saül* Ex pacto, & condito, *Dauidi*, sub tempus nuptiarum *data est Hadrieli.* Quæ sanè singularis fuit iniuria, & perfidia, cum sponsam iure belli debitam, & toties vitro oblatam, non iam

A à spe coniugij, sed ab ipso penè sponsi complexu tyrannus distraheret, & alteri nescio cui in sinum daret. Quæ quidem in casu simili sic affecerunt Samsonis animum, vt non nisi exultis fugibus, oliuetis, vineis, & ingenti hostium edita strage conquiescere potuerit, Iudic. 15. Sed Dauid prudenter compresso dolore, dissimulatâ iniuriâ, deuoratâ ignominia, vindictam vni Deo transcripsit. Quam & suo tempore sumpsit iudex, cum Saülis omnem familiam excindi passus est, & nominatim filios omnes huius Merob, & Hadrielis è patibulis suffigi voluit, 2. Reg. 21. v. 9.

Dixit autem. Hic describitur promissio secundæ, quæ **LYRAN.** etiam data fuit Dauid malitiosè, vt patet ex sequentibus, *ψ. 20.* cum dicitur,

Dabo, &c. Id est, occasionem, irruendi gladiis Philistinorum. Scandalum enim propriè significat impactio-nem pedis ad lapidem, vel aliquid huiusmodi quod facit hominem ruere.

In duabus rebus gener meus eris hodie. In aliquibus libris additur *rebus*, sed non est in Hebræo: nec de textu. Vnde hic est sensus secundum Hebræos. In duabus filiabus meis eris gener meus: quia in prima fuisti gener meus quantum ad sponsalia, & in secunda eris gener meus quantum ad sponsalia, & matrimonium sequens: quasi diceret, vtrumque cedit tibi ad honorem: & ideo debes te magis opponere aduersariis meis.

Fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philistinorum. Vt sit illi mortis occasio, obiiciendo illum rursus Philistæorum armis.

In duabus rebus gener meus eris hodie. Quasi dicat, pro-

pter duplex meritum, occisionem scilicet Goliæ, & præputia, quæ adnumerabis mihi. Vel sensus est, in vno duorum eris gener meus, scilicet dote danda, vel præputiis, quorum posterius Saül postea elegit, cum Dauid paupertatem suam causaretur.

TIRINVS *Dabo eam illi. Michol secundò genitam meam, ut fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philistinorum.*] Instar alterius *Dalila*, quæ suis illecebris prodidit amicum suum Philistæis. Mihi enim ut obnoxia, sic fida erit filia in Dauide prodendo, & quibus voluero viis perdendo. Sic postea Antiochus rex Asiæ filiam suam Cleopatram Ptolomæo regi Ægypti uxorem dedit, ut per eam aditum sibi ad alienum regnum aperiret, Danielis II. v. 17. *Filiam foeminarum pulcherrimam dabit ei, ut euertat illud.* Sed & Cleopatra maluit videri Ptolomæi vxor, quàm Antiochi filia: ita quoque apud Michol plus valuit coniugis amor, quàm patris obseruantia.

In duabus rebus gener meus eris hodie. Id est, duplici titulo, duplici merito. Primò, quia Gigantem strauisti, cuius præmium erat regia sponsa. Secundò, quia noua victoria ex Philistæis quærenda, quorum opto cæsorum centum videre præputia, eandem sponsam tibi, quasi dote coèmes: neque aliam abs te volo harum nuptiarum dorem. Ita Rupertus, Angelomus, Hugo, Dionysius, Abu-

lensis, Emanuël Sa, & Sanctius.

Nota, ut apud Romanos, ita & apud Hebræos, nuptias coëmptione fieri solitas. Sic Osee emit fornicariam sibi uxorem quindécim argenteis: Iacob, Liam & Rachel duplicis septennij seruitute: Christus sanguine suo, & 34. annorum labore, Ecclesiam sibi sponsam emit, Actorum 20. Sic modo iubet Dauidi tyrannus, & sanguinis, & vitæ suæ prætio sponsam sibi secundò emat Michol: neque enim poterat sine præsentis vitæ periculo centum Philistinorum, præputia, quæ petebantur in dorem apprehendere. Sed cur præputia deposcit Saül, & non capita? Respondeo ne qua fraus irreperet, neue pro Philistæis hostibus Israëlitas aliove amicos inuaderet Dauid: quod iam facere non poterat, quia Israëlita carebant præputio. Ita Sanctius.

Loquimini ad Dauid clam me. Hoc dixit ut Dauid magis crederet Saülem honorem eius quærere, & non mortem.

Ego autem sum vir pauper & tenuis. Quasi diceret, non habeo vnde possim regi conuenientia dona dare, quæ antiquitus fiebant in matrimoniis Hebræorum sicut patet Gen. 24. quia seruus Abrahæ in matrimonio Rebecæ patri, & matri eius obtulit munera: & ideo ad hoc respondit Saül, dicens.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 30.

Vulg. Et renuntiauerunt serui Saül, dicentes Huiusmodi verba loquutus est Dauid.

Vulg. Dixit autem Saül: Sic loquimini ad Dauid: Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum: ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saül cogitabat tradere Dauid in manus Philistinorum.

Pag. Non est voluntas regis in dote, &c. cogitabat ut mortem faceret Dauid.

Arias. Deicere.

Tigur. Non detrectatur donatione propter nuptias.

Malu. Non beneplacitum regis in dote, &c. ad vindicari in maleuolentibus regis.

Sep. Sixt. Non vult rex in dono.

Reg. Sponsalia.

Cald. Paraphr. Latin. qua æsseratur M. S. in Biblioth.

Complur. Non vult rex in dotibus, sed in centum præputiis, &c. Cognouit Dauid in pacto de nuptiali dote quod centum petebat Philistinorum præputia, errorem esse grauem, quia centum præputia non æquabant prætium denarij; nulla autem censetur desponsatio valida, si dos oblata minor esset denario, cum nemo si centum præputia vernalia prostant, pro illis vnum impenderet denarium, ducenta protulit, hæc enim pro canum, & catorum Saülis alimento vnus denarij prætium habere videbantur, neque enim plus carnis emeret denario Saül, pro canum catorumque domesticorum vilissimo pabulo.

Syr. Arab. Sed ducenta præputia ex præputiis Palæstinorum.

Vulg. Cumque renuntiauerunt serui eius Dauid, verba quæ dixerat Saül, placuit sermo in oculis Dauid, ut fieret gener regis.

Pag. Ut contraheret affinitatem cum rege.

Alij ut supra.

Vulg. Et post paucos dies surgens Dauid, abiit cum viris qui sub eo erant, & percussit ex Philistiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea regi, ut esset gener eius. Dedit itaque Saül ei Michol filiam suam uxorem.

Pag. Et non completi erant dies.

Arias. Et impleuerunt ea regi ad contrahendum affinitatem, &c.

Varab. Ad plenum tradiderunt ea regi.

Sep. Rom. Percussit in alienigenis centum viros.

Reg. Ducentos. *Ioseph.* 660. capita.

Cald. Venire fecit præputia.

Vulg. Et vidit Saül, & intellexit quod Dominus esset cum Dauid. Michol autem filia Saül diligebat eum.

Vulg. Et Saül magis cœpit timere Dauid: factusque est Saül inimicus Dauid cunctis diebus.

Pag. Et addidit Saül timere à facie Dauid.

Malu. Fuit Saül maleuolens.

Cald. Fuit author inimicitia Dauidi.

Vulg. Et egressi sunt principes Philistinorum, à principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat Dauid, quàm omnes serui Saül, & celebre factum est nomen eius nimis.

Pagn. Magnificatum est nomen eius nimis.

Arias. Intellexit præ omnibus seruis, magnificatum est nomen eius.

Tigur. Illustre.

Malu. Præciosum fuit, &c.

Sep. Et honoratum est.

Cald. Prosperè egit Dauid, & magnum, &c.

Arab. Nactus est felicitatem quam nemo seruorum Dauid, nactus est, itaut summum honorem adipisceretur.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non habet rex sponsalia necesse, Alij, Non est voluntas regis in dote. Vulg. vocat sponsalia dorem, siue prætium sponsæ. Non est immorandum in Cald. Paraph. Quis enim non videt tam aniles nugas? Aut quis non doleat tantum esse in his qui sapientes existimantur, insipientia? *Percussit ducentos viros.* Sept. Rom. *Centum:* sed interfecti fuere à Dauide, sed solum 200. *Annuerunt ea regi.* Alij, *Impleuerunt ea.* Id est, numero pleno, & completo tradiderunt ea. *Post paucos dies,* Alij, *Et non sunt impleti dies.* Hi vero dies, aut sunt quos rex adducendis Philistinorum præputiis, præscripsit, aut qui temporis nuptiarum designati fuerant, sanè à rege, vel à consuetudine. *Prudentius se gerebat,* Alij, *Intellexit, prosperè egit.* Vide dicta superius.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 25.** **N**on habet rex sponsalia, &c. Hoc est dona pretiosa auri vel argenti quæ solent regibus dari, quando filias suas dant sponfis.

Nisi tantum. Hoc autem petiit Saül duplici ratione. Vna est quia per illas partes amputatas, & sibi apportatas certus erat Saül, quod illi interfecti non erant de filiis Israël qui sunt circumcisi. Alia ratione fuit, quia Philistæi horrebant circumcisionem tanquam mortem, & ideo per hoc conciperent maius odium contra Dauid propter tale opprobrium illatum eis per ipsum: & sic magis mouerentur ad interficiendum Dauid, quod intendebat Saül.

MENOC. *Non habet rex sponsalia necesse.* Munera sponsalitia, aut dotem, aut dotis augmentum, quod Dauid pauper pro regis dignitate dare non poterat.

LYRAN. **Y. 26.** *Placuit.* Tum quia Michol diligebat: Tum quia Philistæos idololatrias odiebat. Cætera patent vsque ibi.

ESTIVS. **Y. 27.** *Et attulit eorum præputia, &c.* Obseruandum quod

Dauid Philistæos mortuos circumcidens, id est, præputia eorum refecans, nullum tamen sacrilegij crimen admisit, quasi ceremoniam legalem circa mortuorum corpora adhibuisset. Nam non fecit hoc, quasi ceremoniam sacram exercens, sed tantum voluit conditioni propositæ satisfacere, quæ non erat de ceremonia, sed tantum de præputiis adferendis vt constaret hostes incircumcisos tanto numero esse ab ipso interfectos.

Et Saül. Tum quia iam erat gener regis, & per consequens de maioribus in regno. Tum quia Michol filia regis eum diligebat, & Ionathas filius eius erat ipsi Dauid confœderatus, vt patet ex prædictis.

Et egressi sunt principes Philistinorum, &c. Ad bellum contra Israëlitas, vel antiquis incitati offensionibus, vel recentibus damnis à Dauide illatis, ac nominatim quod illa præputiorum numeratione se ludibrio habitos intelligerent, quod circumcisi non essent.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS.

Iubet Saül occidi Dauidem, sed voce Ionathæ placatus reconciliatur illi: paulo post tamen lancea rursus configere conatur Dauidem. Is ope, & industria Michol uxoris suæ è manibus satellitum elapsus, ad Samuëlem profugit, quem persecutus Saül, prophetat cum Prophetis.

1.



Locutus est autem Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid. Porro Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde. 2. Et indicauit Ionathas Dauid, dicens: Querit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te, quæso, manè, & manebis clam, & absconderis. 3. Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum, in agro vbiicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcumque videro, nuntiabo tibi. 4. Locutus est ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde. 5. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israël: vidisti: & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens Dauid, qui est absque culpa? 6. Quod cum audisset Saül, placatus voce Ionathæ, iurauit: Viuit Dominus, quia non occidetur. 7. Vocauit itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saül, & fuit ante eum, sicut fuerat heri, & nudius tertius. 8. Motum est autem rursus bellum: & egressus Dauid, pugnavit aduersum Philistiim: percussitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius. 9. Et factus est Spiritus Domini malus in Saul, sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porro Dauid psallebat manu sua. 10. Nisusque est Saül configere Dauid lancea in pariete, & declinavit Dauid à facie Saül: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa. 11. Misit ergo Saül satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur manè. Quod cum annuntiasset Dauid Michol vxor sua, dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris: 12. Deposuit eum per fenestram, porro ille abiit, & aufugit, atque saluatus est. 13. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis. 14. Misit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid: & responsum est quod ægrotaret. 15. Rursusque misit Saul nuntios vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur. 16. Cumque venissent nuntij, inuentum est simulachrum super lectum, & pellis caprarum ad caput eius. 17. Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum vt fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te. 18. Dauid autem fugiens, saluatus est, & venit ad Samuëlem in Ramatha, & nuntiauit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse & Samuël, & morati sunt in Naioth. 19. Nuntiatum est autem Sauli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha. 20. Misit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuëlem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. 21. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuntios: prophetauerunt autem & illi. Et rursus misit Saul tertios nuntios: qui & ipsi prophetarunt. Et iratus iracundia Saul, 22. abiit etiam ipse in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam, quæ est in

Socho, & interrogauit, & dixit: In quo loco sunt Samuël, & Dauid? Dictumque est ei: Ecce in Naioth sunt in Ramatha. 23. Et abiit in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vsque dum veniret in Naioth in Ramatha. 24. Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuële, & cecidit nudus tota die illa, & nocte. Vnde & exiuit prouerbum: Num & Saul inter Prophetas?

VARIETAS LECTIONVM à Vers. i. ad 5.

Vulg. Locutus est autem Saül ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid. Porrò Ionathas filius Saül diligebat Dauid valdè.

Pag. Complacuit in Dauid valdè.

Tigur. Egregio fauore Dauidem prosequabatur.

Cald. Affectus est in Dauid valdè.

Arab. Summa gratia, & fauore prosequabatur eum.

Vulg. Et indicauit Ionathas Dauid, dicens. Querit Saül pater meus occidere te: quapropter oblerua te, quæso, manè, & manebis clam, & absconderis.

Malu. Obseruatus esto in manè, & sedebis in absconsonone, & absconditus eris.

Cald. Nunc cautus esto.

Arab. Delitesce, & ne conspiciaris.

Vulg. Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum, in agro vbicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum, & quodcumque videro, nuntiabo tibi.

Pag. Stabo ad manum patris mei.

Sep. Adhærens patri meo.

Syr. Stabo ad latus.

Arab. Præsentiam, quid sit in animo cras.

Vulg. Locutus est ergo Ionathas de Dauid bona ad Saül patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valdè.

Malu. Non errabit rex in seruo tuo, quia non errauit tibi, & quia factura eius bonum.

Cald. Et quia facta eius parata tibi valdè.

Syr. Acta eius satisfacere tibi deberent.

Arab. Eumque ob id laudare.

Vulg. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israël: vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens Dauid, qui est absque culpa?

Pag. Vt interficias gratis.

Vatab. Sine causa.

Malu. Ad quid errabis in sanguine vacuo?

Sep. Rom. Vniuersus Israël viderunt, & gauisi sunt.

Cald. Quare tu culpabis in sanguine innocentis?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Obserua te quæso mane. Alij, *Observatus esto vsque ad mane.* Ne scilicet à satellitibus patris mei opprimaris; sed melius est: Mane ne compareas, scilicet tantisper dum ego patrem de te alloquor. *Stabo iuxta patrem meum,* Alij, *Ad manum patris.* Quod quidam sic exponunt, ad manum, cui scilicet inniti pater meus solet, quando ambulat; sed melius per manum intelliges latus, vnde *Syr. Stabo ad latus,* vel vt Septuag. *Adharebo patri. Quare ergo peccas?* Alij, *Ad quid errabis?* vnde *Vulg.* sic exponendus. *Quare peccas?* Id est, cur peccare proponis? Cur decernis effundere sanguinem innoxium? Vnde *peccas* significat actum destinatum, & inchoatum, sed nondum perfectum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **V. 1.** **L**ocutus est autem Saül, &c. Videns Saül, quod non A poterat occidere Dauid per malitiam occultam, vt pater ex prædictis, processit ad persecutionem eius manifestam, inuidia ipsum stimulante: eo quod fortuna Dauid crescebat quotidie. Et more malefactorum, persecutus est eum ordinatè, 1. ipsum inuadendo. 2. de regno expellendo, c. 21. 3. fugitiuum persequendo, c. 23. & 4. ipsum exulando, cap. 27. Prima in duas, quia primò Saül inuasit Dauid personaliter. 2. Ionatham filium suum propter ipsum. cap. 20. Circa primum sic proceditur: quia 1. consilio Ionathæ Dauid absconditur. 2. in gratiam Saülis ad horam recipitur, ibi: *Locutus est ergo.* 3. à Saüle personaliter inuaditur, ibi: *Motum est autem.* 4. vxoris industria à morte eripitur, ibi: *Misit ergo.* 5. malitia Saülis diuinis laudibus impeditur, ibi: *Nuntiatum est autem.* Prima pars patet ex prædictis, vsque ibi.
- MENOC.** *Locutus est Saül ad Ionatham.* Sperauit Saül se facinus hoc per Ionatham confecturum, quia eius maximè interesse videbatur mors Dauidis, qui Saülis regnum ipsi tanquam primogenito debitum erat occupaturus.
- MENOC.** *Observa te quæso.* Custodi te, caue tibi.
- V. 2.** *Manè.* Craftina die manè, vt habent LXX.
- LYRAN.** **V. 3.** *Ego autem egrediens.* Ad hoc enim fuit Dauid absconditus de consilio Ionathæ, vt exploraret voluntatem patris de receptione Dauid in gratiam, vt sic posset in curia absque periculo stare. Expectauit autem Ionathas loqui de hac materia patri suo, quousque esset in agro, vbi ire confueuerat causa spatiandi, vt tunc in loco recreationis acquiesceret verbis suis.
- Stabo iuxta patrem meum.* Hæc verba legenda sunt per parenthesim, quasi dicat, vbi stetero iuxta patrem, & eius animum intellexero, egressus in agrum tibi indicabo.
- Locutus est.* Hic consequenter ponitur reconciliatio ipsius Dauid cum Saül, per Ionatham, ipsum multipliciter commendantem. Et primo de innocentia puritatis, cum dicitur.
- Ne pecces rex in seruum tuum Dauid, &c.* Secundò, de vniuerso opere, cum dicitur, *Et opera eius bona sunt valdè.* Tertiò, de animositate, cum dicitur: *Et posuit animam suam in manu sua.* Id est, exposuit vitam suam periculo quantum apparebat humano iudicio, quia inermis iuit ad præliandum cum Philistæo, vt patet ex supradictis c. 17. Quartò de reipublicæ utilitate, cum dicitur. *Et fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israël.* Et subditur.
- Vidisti.* Quasi dicat, non possunt ista negari.
- Et lætatus es.* Quasi dicat, ex quo dedit tibi lætitiæ materiam, non debes quærere mortem suam.
- Posuit animam suam.* Hebræa phrasis, qua significant periculo se ponere.
- In sanguine innoxio.* Innoxium sanguinem effundere cupiens.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad 10.

Vulg. Quod cum audisset Saül, placatus voce Ionathæ: iuravit, vivit Dominus quia non occidetur.
Malu. Et iuramento obstrictus fuit Saül, vivens Iuh. si mori fiet.
Cald. Accepit dictum, &c. Permanens ipse Dominus.
Arab. Vivus est Dominus per quem iuro.
Vulg. Vocavit itaque Ionathas David & indicavit ei omnia verba hæc, & introduxit Ionathas David ad Saül & fuit ante eum, sicut heri & nudius tertius.
Malu. Venire fecit Davidem, & fuit faciebus eius sicut heri.
Cald. Et fuit ministrans ante eum.
Vulg. Motum est autem rursus bellum, & egressus David pugnavit adversus Philistiim, percussitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius.
Pag. Additum est bellum.
Malu. Et addidit cæsis ad esse, & percussit in eis cæsi-nem grandem.

Sept. Rom. Et processit bellum fieri, & inualuit David.
Vulg. Et factus est spiritus Domini malus in Saül, sedebat autem in domo sua: & tenebat lanceam: porro David psallebat manu sua.
Arias. David modulans.
Malu. Pulsans.
Sept. Psallebat manibus suis.
Cald. Mansit spiritus malus ab ante Dominum.
Arab. Fides pulsabat.
Vulg. Nisusque est Saül configere David lancea in pariete, & declinavit David à facie Saül, lancea autem castro vulnere prolata est in parietem, & David fugit, & saluatus est illa nocte.
Pag. Et quæsiuit percutere, &c. Et parietem.
Arias. Dimisit se faciebus Israël.
Malu. Et aperuit de faciebus.
Tigur. Subdixit se coram eo.
Sept. Confixit in parietem.
Syr. Tentavit vibrare.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fuit ante eum, sicut heri, & nudius tertius. Alij, fuit ministrans ante eum, Id est, restitutus honori & loco: Ministrabat ei ut antea solebat. Motum est autem rursus bellum. Alij, Additum est bellum, nempe priori, sic enim Philistiæ mouent bellum adversus Israëlitas. Psallebat manu sua. Alij, Modulans pulsabat. Psallere hîc & voce canere, & instrumentum pulsare significat. Declinavit à facie Saül, Alij, Dimisit se, aperuit. Verbum פשר pathar multifariè redditur, significat enim dimisit, discessit, aperuit nempe sibi locum; viam sibi inter eos, qui aderant, fecit ad fugiendum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **ψ. 6.** **Q**uod cum audisset. Silicet ad horam.
Iuravit. Ut daret David maiorem securitatem.
Vivit Dominus, id est, per viventem Deum.
MENOC. *Vivit Dominus quia non occidetur,* Ex animo iuravit, non fictè, & simulatè, ut indicat scriptura, quæ illum placatum fuisse dicit.
Et intro. Credens quod ipsum stabiliter in gratiam recepisset.
LYRAN. **ψ. 7.** *Sicut heri, & nudius tertius.* Sicut prius.
LYRAN. **ψ. 8.** *Motum.* Hic consequenter David à Saüle rursus impetitur. Habitus enim inclinatur per modum naturæ. Saül autem erat habituatus in odio contra David, & ideo licet recepisset eum in gratiam ad preces Ionathæ filij sui, habita tamen occasione, licet irrationabili rediit ad eius perfe-

actionem, quæ quidem occasio fuit victoria David de nouo habita contra Philistæos, quæ nominatur cum dicitur.

Et egress. De quo Saül torquebatur invidia, quamvis deberet gaudere, ideo, subditur.

Et fa. Quia crescente eius malitia dabatur dæmoni maior potestas in persona sua.

Tenebat lanceam. Id illi erat penè perpetuum, adeo ut etiã in mensa, ut videbimus capite sequenti num. 33. in promptu habuerit lanceam, quam vibraret in Ionatham; & rursus ad cubile inter dormiendum infra cap. 7.

Nisusque est Saul conf. Ex odio inueterato.

Nisusque est Saul configere David. Prosperis Davidis successibus irritatus videtur Saul, & novis incrementis illius.

LYRAN.
ψ. 9.
MENOC.

LYRAN.
ψ. 10.
MENOC.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 11. & 12.

Vulg. Misit ergo Saul satellites suos in domum David ut custodirent eum, & interficeretur manè, quod cum annuntiasset David Michol vxor sua, dicens, nisi saluaveris te noctè hac, cras morieris.
Pag. Misit nuntios.
Arias. Si tu non euadere faciens.
Malu. Misit apparitores, &c. Crastino tu mori factus.
Cald. Nisi tu liberaveris animam tuam.
Syr. Nisi teipsum eripias.
Vulg. Deposuit eum per fenestram, porro ille abiit, & au-fugit, atque saluatus est.
Pag. Descendere fecit.
Arias. Et euasit.
Cald. Et catena dimisit Michol Davidem ex fenestra.
Vulg. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.
Pag. Posuit simulachrum, & puluinare pilis caprarum posuit sub capite.
Arias. Cepit imagines, &c. Posuit capitibus eius.
Caiet. Tulit teraphim.

Tigur. Et vitram ex pellibus.
Malu. Et multiplicatam caprarum posuit capitale eius.
Sept. Rom. Sumpsit Melchol cenotaphia, iecur autem caprarum posuit ad caput.
Reg. Simulachra vana, & stragulum pilorum caprarum.
Aquila. Formas & effigies.
Theod. Vestium multitudinem, & stragulum capillorum.
Arab. Supposita capiti eius pelle ouina.
Vulg. Misit autem Saül apparitores qui raperent David; & responsum est quod egrotaret.
Pag. Misit nuntios. *Arias.* Et dixit, Egrotus ipse.
Vulg. Rursusque misit nuntios, ut viderent David dicens, Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur.
Cald. Ad visitandum David.
Vulg. Cumque venissent nuntij, inuentum est Simulachrum super lectum, & pellis caprarum ad lectum eius.
Arias. Et ecce imagines ad protentionem & pellis caprarum capitibus eius. *Alij ut vers. 13.*

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tulit statuam. Alij, *Symulachrum* &c. Hebr. תְּרָפִים *theraphim*, de qua voce pluries dictum: significat ergo imagines aut alia signa, quæ Aquila, vt Hyer. refert, *μορφωματα* transtulit: Quæ imagines licet interdum aliquid significant impium, quale est idolum, sicut Gen. 31. v. 19 vbi Rachel dicitur furata idola patris sui, Hebr. *theraphim*, tamen non raro significant aliquid honestum, vt patet ex hoc loco, & Osee 3. Sept. pro statua *κατασκευασια* supponunt: Vnde id sumplerint, difficile est assequi, nisi ex similitudine duarum vocum, quæ sono sunt quamsimillimæ כָּבָר *cabar* קָבַר *kabar*, è quarum altera כָּבִיר *cebir*, deducitur, quod stragulum seu operimentum significat, ab altera קָבַר *keber*, quod Græci cenotaphium appellant, id est, sepulchrum vacuum, seu tumulum inanem. Dicitur autem figmentum istud, id est statua hominis *κατασκευασιας*, cenotaphium vt inquit Theod. q. 48. Quia sicut cenotaphium dicitur sepulchrum, quod cum speciem ostendet continentis cadauer, à cadauere tamen vacuum est; sic statua cum imago sit hominis, cum tamen ibi nihil præter vmbra habeat, humanum cenotaphium vocatur, quia non magis continet viuum, quam cenotaphium hominis cadauer.

Pellem pilosam caprarum. Posuerunt Sept. Rom. *Et iecur caprarum posuit*, quos sequitur Ioseph Theod. Addit Ioseph ideo iecur caprarum posuisse, quia aliquandiu postquam excisum est, palpitare solet, vt ex illius motu Regis satellites cubare ibi suspicarentur Dauidem, & sub stragulis illius viscera respiratione moueri, sed ex script. sacra non colligitur, nec vox apparet in Hebr. textu, quem nunc habemus, quæ iecur significet: tum nec illa iecoris palpitatio sub stragulis posita potuisset foras prodere, ita vt speciem hominis dormientis & respirantis referret: Vbi habemus *pellem pilosam caprarum*, Sept. Reg. habent, *stragulum pilorum*, quod idem valet atque pilorum globus, aut glomus, aut quod idem est, pili aut globi ad similitudinem capitis coacti: Siue ergo pellis, siue caprarum glomerati capilli, eo loco positi sunt, vt Dauidis caput, quod ad cervical è lecti stragulis extabat, simularet.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **M**isit ergo. Hic consequenter Dauid vxoris industria A
v. II. de periculo liberatur. Videns enim Saül quod Dauid lectum eius declinauerat & fugerat, misit post eum vt caperetur & occideretur, sed per eius vxorem eripitur: quod notatur cum dicitur.

Quod cum. Per hoc enim quod à Dauid audierat, quod Saül cum configere voluerat, & consequenter viderat homines armatos post Dauid missos, coniecurauit quod mortem eius quærebant. Vel fortè aliquis de famulis Saül ad hoc missus, secretum aperuit ipsi Michol, vt Dauid per eam saluaretur, quia erat acceptus maximè in conspectu famulorum Saül, vt dicitur in ca. præce.

MENOC. *Interficeretur mane.* Potuisset nocte occidere, sed hoc turpe videbatur, & proditorium hominem domi suæ, & in lecto agentem opprimere: cædem in auroram dilatam putant Iosephus, & Tostatus vt hominem in iudicium euocatum, & calumniis circumuentum capitali sententia damnaret, quod probabile censet Salius, qui tamen putat id potius factum ne per tenebras noctis fugâ elaberetur.

LYRAN. *Tulit autem Michol statuam.* Ad representandum corpus Dauid.

v. 13. *Et pel.* Ad representandum eius capillos, vt sic quærentes mortem Dauid deluderet, & interim Dauid fugeret quia primi nuncijs à Saüle missi habebant in mandatis, vt ipsum vsque mane custodirent: & tunc occideretur cum de lecto surrexisset, quia turpe erat occidere hominem in lecto iacentem. Cætera patent vsque ibi.

ESTIVS. *Tulit Michol statuam & posuit eam super lectum.* Qualis fuerit hæc statua, aut in quem vsus eam haberet Michol, scriptura non explicat. Minimè tamen verisimile est fuisse idolum, quod illa domi seruaret ad adorandum. Neque enim Dauid maritus eius, & cum ea in eadem domo cohabitans tolerasset idolum in domo sua. Proinde omnino apparet, fuisse tale simulachrum quod licite haberi posset. Id notandum contra hæreticos nostri temporis, qui contendunt ita prohibitum esse lege Dei habere quamcunque similitudinem hominis, aut alterius rei saltem viuentis, vt nulla ratione & nullo fine eiusmodi aliquid penes se habere liceat, ne quidem ad excitandam in nobis memoriam & imitationem. Obiiciunt contra hæretici, quod pro (statua) Hebraicè habeatur (*teraphim*) quod significet

idolum. Sed non ita est, sed significat simpliciter imaginem. Aliqui etiam volunt statuam hanc fuisse tumuluarie ex stramine compositam ad magnitudinem hominis, & in lecto positam. Sed quidquid sit, nullo modo verisimile est idolum tantæ magnitudinis Michol clam marito habuisse, sed erant ea, quæ priuatim colebantur, parua ex auro, aut argento, vt abscondi possent, vt patet de idolis quæ furata est Rachel à patre suo Gen. 31. vt pote quæ sub vestimentis abscondit.

Tulit Michol statuam. Hebraica vox *Teraphim* licet aliquando significet aliquid impium, quale est idolum, vt Genesis 31. 19. vbi Rachel furata dicitur Idola patris sui, aliquando tamen in bonum accipitur, vt hoc loco, & Osee 3. 4. Porro Michol consilium fuit, ludibrio statuæ tantisper satellites Saülis morari, donec se Dauid fuga eriperet, & longius abiret.

Pellem pilosam caprarum. Putat Sanchez capras illis in regionibus fuluis esse villis, ex eo capiens coniecturam quod Cantic. 4. de capillis sponsæ dicatur: *Capilli tui sicut greges caprarum.*

Statuam posuit super lectum.] Hebraicè *Teraphim* non solum Idolum significat, neque semper in malam partem accipitur, vt fingunt Hæretici: sed sæpè pro vulgari imagine, vel statua, seu sacra, seu profana sumitur, vt pluribus exemplis probat Ribera, & alij in illud Osee 3. *Et sine teraphim.*

Et pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius.] Nota. Capræ in Palestina fuluas alunt lanas, seu villos. Vti & de ouibus quæ ad Betin, Sibarim, Cratin, Xantum & Scamandrum fluuios pascuntur, tradit Plinius, Martialis, Ouidius & Aristoteles. Vnde pellis illa villosa capræ quæ caput statuæ cingebat, fuluam Dauidis cæsariem naturaliter referebat. Addit Iosephus, stragulis quoque subiectum fuisse iecur capræ, quod postquam excisum est, solet adhuc aliquamdiu palpitare, & ex illius motu regij satellites cubare ibi Dauid suspicarentur. Idem tenent Procopius, Theodoretus, Magister historiae Scholasticæ & Hugo.

Nota secundò. Et si sciret Michol non posse diu latere has fraudes, voluit nihilominus eis, vel ad breue tempus vti, vt Dauidi spatium interea fugiendi daret. Ita Abulensis.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 17. ad 20.

Vgl. Dixitque Saül ad Michol, quare sic illusisti mihi, & admisisti inimicum meum vt fugeret? & respondit Michol ad Saül, quia ipse loquutus est mihi, dimitte, alioquin interficiam te.

Pag. Vt quid sic decepisti me?

Malu. Et dimisisti maleuolentem me?

Cald. Quare sic mentita es mihi? & misisti authorem inimicitiae meae?

Arab. Cur imposuisti mihi?

Vulg. Dauid autem fugiens saluatus est, & venit ad Samuël in Ramatha, & nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saül & abierunt ipse & Samuël, & morati sunt in Naioth.

Sept. Et sederunt in Nauoth in Rhama.

Cald. In domo doctrinæ Rhanfara.

Syr. Confederunt in Iouath.

Vulg. Nuntiatum est autem Saüli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha.

Alij ve in præced. versu.

Vulg. Misit ergo Saül lictores vt raperent Dauid, qui cum vidissent cuncum Prophetarum vaticinantium, & Sa-

muëlem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & Prophetare cœperunt etiam ipsi

Pag. Samuël docentem eos.

Arias. Vidit cœtum, &c. Et Samuël stantem constitutum super eos.

Caier. Stantem præidentem super eos.

Tigur. In antistitem super eos.

Malu. Et Prophetare se fecerunt etiam hi.

Sept. Rom. Viderunt Ecclesiam Prophetarum.

Cald. Vidit turmam Scribarum laudantium, & misit super nuntios Saül. Spiritus Prophetæ ab ante Dominum, & laudauerunt etiam illi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quare decepisti me? Alij, *Mentita.* 𐤓𐤓𐤁 *Ramah.* decipere, illudere, mentiri, &c. significat. *Morati sunt in Naioth.* Alij, *in domo doctrinæ,* Quia forte ibi publica scola aut Academia esset, locus studiorum vel collegium aliquod Prophetarum. *Qui cum vidissent,* Alij, *Et vidit,* nempe maximus & præcipuus nuntiorum, vel quilibet eorum vaticinantium, Alij, *Laudantium.* Vide Concord. vers. 5. & 6. cap. præced. *Samuelem stantem super eos.* Alij, *Constitutum, docentem, &c.* Sunt equidem duo participia in Hebr. Ducebat ergo eos Samuël, tanquam magister, chorumque Prophetarum ducebat, eratque eorum princeps. *In Ramatha,* Alij, *In Rama,* sed in veraque voce idem locus est, neque interest quomodo legatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 17.** **D**imitte me. In hoc mentita fuit. Quia per suasionem A
cius Dauid fugit, vt patet ex prædictis, tamen hoc dixit timore patris: istud tamen mendacium fuit officiosum.

MENOC. *Dimittite me, alioquin interficiam te.* Officiosum Micholis mendacium.

Naioth. *Chald. domo doctrinæ.* Vbi collegium Prophetarum erat. Vide dicta cap. 10. num. 5. Abulensis putat Naioth non fuisse locum distinctum à Ramatha, nisi vt partem à toto, & contentum à continenti. Vatablus ait fuisse locum in agro Ramatha, & significare locum studiosorum. Vatablo consentit Serarius.

LYRAN. **Y. 19.** *Nuntiatum.* Hic consequenter ponitur frustratio conatus Saülis persequentis Dauid per diuinas laudes. Saül autem misit nuntios ad interficiendum Dauid, postquam sic euaserat, & hoc ostenditur, cum dicitur.

LYRAN. **Y. 20.** *Misit ergo.* Occisores qui habent officium puniendi malefactores, & dicuntur à lito, ras, quod idem est quod sacrificare, tamen interponitur c. littera. Sed frustrata fuit intentio Saül, per hoc quod subditur.

Quicum. Id est societatem religiosorum Deum laudantium, prout supra dictum fuit. 10. cap.

Et Samuelem stantem, Id est, præidentem eis.

Et factus est etiam spiritus Domini. Id est, deuotionis.

Et prophe. Id est, Deum laudare, omittentes persequi Dauid. Simile habetur Ioan. 7. de ministris missis ad capiendum Iesum, qui cum audissent eum prædicantem, conuersi fuerunt per deuotionem ad ipsum: & reuersi sunt dicentes: Nunquam sic locutus est homo, excusantes se de eius captione. Et eodem modo dicendum de secundis nuntiis, & tertiis à Saüle, missis, & etiam de ipso Saüle, qui desiderio occidendi Dauid, iuit in propria persona, vt dicitur in littera, & patet vsque ibi.

Factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt. Dicitur hoc de lictoribus, qui missi erant à Saüle ad rapiendum Dauid, idemque accidit nuntiis qui secundo & tertio missi sunt, ac denique ipsi quoque Saüli, de quo ita subiungitur. *Et factus est etiam super eum spiritus Domini.* *Et exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit.* Quidam putant eos omnes subito ita animo, & voluntate fuisse mutatos, vt ex vera pietate, ac animi deuotione id fecerint, sicut ministri missi à Pharisæis ad capiendum Christum, ita sermone eius subito transmutati sunt, vt deposita nocendi voluntate dicerent, cum admiratione Ioan. septimo. *Nunquam sic homo locutus est.* Alij (quorum videtur probabilior sententia) dicunt eos diuinitus ita compulsos fuisse ad laudandum Deum cum cæteris Prophetis, quemadmodum Balaam, cum venisset ad maledicendum Israël, à Deo compulsus est Israël benedicere. Et id verisimilius est, quia Saül statim post rediit ad priorem malitiam, & intentandam Dauidi persecutionem, vt patet capite sequenti.

Stantem super eos. Illis præfectum.

Prophetare cœperunt. Vide dicta capite illo 10. num. 6. in

ME N O C. furorem hunc propheticum satellites vertit Deus, vt Saül Dei potentiam, contra quam frustra pugnabat, agnosceret, & vt simul intelligeret quanti Deus Dauid faceret, quem hoc miraculo tuebatur.

Samuelem stantem super eos. Id est, præpositum & TIRINVS præidentem choro prophetantium. Nam, vt supra vidimus cap. 10. Samuël certis locis instituerat sacros cœtus, & quasi scholas prophetantium, id est Deum sacris Hymnis & Canticis laudantium, vt ibidem exposuimus. Et videtur Samuël illorum Religiosorum cœtum non præses modò, sed primus parens & author fuisse. Ita Sanctius.

Et abiit in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vsque dum veniret in Naioth in Ramatha.

Malu. Et ambulavit ambulare, & prophetare se fecit vsque ad venire eum.

Sept. Rom. Ambulabat prophetans.

Cald. Et abiit ille in domum doctrinæ, &c. Mansit super eum spiritus Prophetæ, &c. Et iuit iens & laudans, &c.

Vulg. Et exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nuntios

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 21. ad 24.

Vulg. Quod cum nuntiatum esset Saüli, misit & alios nuntios: prophetauerunt autem & illi: & rursus misit Saül tertios nuntios, qui & ipsi prophetauerunt, & iratus iracundia Saül.

Cald. Et laudauerunt etiam illi.

Sept. Rom. Et indignatus est etiam Saül.

Vulg. Abiit etiam ipse in Ramatha & venit vsque ad cisternam magnam quæ est in Socho, & interrogauit & dixit, in quo loco sunt Samuël & Dauid, dictumque est ei: Ecce in Naioth sunt in Ramatha.

Sept. Venit vsque in puteum areæ, quæ in Sephi.

Cald. Et dixit, Ecce in domo doctrinæ in Ramatha.

Vulg. Et abiit in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vsque dum veniret in Naioth in Ramatha.

Malu. Et ambulavit ambulare, & prophetare se fecit vsque ad venire eum.

Sept. Rom. Ambulabat prophetans.

Cald. Et abiit ille in domum doctrinæ, &c. Mansit super eum spiritus Prophetæ, &c. Et iuit iens & laudans, &c.

Vulg. Et exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nuntios

us tota die illa, & nocte, vnde exiuit prouerbium,
 Num & Saül inter Prophetas?
 Caiet. Et aliqui alij. Et cecinit nudus.
 Sept. Rom. Prophetavit coram eis.

Reg. Coram Samuële.
 Cald. Et misit vestimenta sua & laudauit etiam ipse, &c.
 Num etiam Saül in Scribis?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dictum est ei. Alij, Et dixit. Subaudi, quispiam, vnus de circumstantibus. Rectè Vulg. Hebraïsmum intellexit quo 3. persona actiua verbi solet passiuè, seu impersonaliter sumi. Et dixit, pro & dictum fuit. Et iratus iracundia. Sept. Rom. idem habent, sed in alijs exemplaribus nequaquam id reperitur. Et cecidit nudus, Alij, Et cecinit. Sed malè neque vllò modo consentaneè ad textum Hebraïcum, qui habet *לד'ו' ו'א'י' פ'ו'ל'*. Nudus autem cecidit non quidem omnino, sed solum quoad indumenta Regia, quibus exspoliatus fuit ita vt quasi vnus foret de turba, Prophetavit coram Samuële. Sept. Rom. Coram eis, nempe Samuele & alijs Prophetis, sed dictum est vers. 35. cap. 15. nunquam à Samuële, visum esse Saülem ab illo tempore: & tamen dicitur, quod coram Samuële prophetauerit, sed vide ibi à nobis dicta,

ANNOTATIONES.

MENOC. **I**N quo loco sunt Samuël & Dauid? Ex quo apparet
 v. 22. nuntios illos siue apparitores ad Saülem reuersos non fuisse.

MENOC. Et prophetabat vsque dum veniret, &c. Antequam veniret in Naioth, & in conspectum aliorum Prophetarum, locis illis qui frequenter diuinis laudibus personabant Saülem incitantibus, & spiritu Domini illum agente.

LYRAN. Et ex. Non quod remaneret nudus, sed quia deposuit insignia regalia, quæ erant externa, vt acciperet vestes similes à Religiosis laudantibus Deum. Sicut Dauid Rex vestitus Ephod lineo ante arcam præcedebat cantans in organis laudes diuinas, vt habetur 2. Reg. 6. Propter quod despexit eum Michol dicens: Quod gloriosus fuit hodie rex Israël discooperiens se, quia insignia regalia deposuerat. Ideo subditur, ibi: Et nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris, & eodem modo dicitur hic de Saüle.

Et cecidit. Quia deposuerat insignia regalia, vt prædictum est.

Vnde, &c. Id est verbum commune.

Num, &c. Hoc exponitur aliter quàm supra 10. cap. quia hic accipitur de eo in quo apparet aliqua deuotio ad horam ex insperato, sicut cum aliquis vitæ dissolutæ ostendit aliquod signum deuotionis, dicitur modo, Bernardus factus est monachus: Ita tunc dicebatur de talibus: Num, &c. Quasi dicat, ista deuotio transitoria est & ad horam, non firma.

MENOC. Exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis. Illud, etiam, non significat lictores missos se prius vestibus spoliasse, sed sensus est, duo illi accidisse, quæ licitoribus, qui præmissi fuerant, non acciderant. Alterum, vt prophetaret antequam perueniret in Naioth, alterum vt etiam vestibus suis ipse se exueret.

A Cecidit. Viribus, & sensibus destitutus, & cecidisse etiam prophetantes habemus ex verbis Balaam num. 244.

Nudus. Non omnino nudus, sed superioribus tantum vestibus, cultuque regio detracto.

Num & Saül inter Prophetas? Quasi dicerent: Res mirabilis, & prodigio similis.

Et exspoliavit etiam Saül ipse se vestimentis suis. Non interioribus, sed exterioribus regijs, quibus à vulgo scernebatur. Et hoc sensu dicitur, nudus tota die illa & nocte coram Samuële cecidisse, Nudus enim verè dicitur tum apud sacros, tum apud profanos Authores, qui sui ordinis ac dignitatis ornamentis exutus est. Sic Isaias cap. 20. Nudus incessisse dicitur, quia abiecerat vestem prophetalem, seu cilicinam, sine qua citra notam incedere non poterat. Sic Dauid 2. Reg. 6. dicitur nudus ante arcam saltasse, quia paludamento regio spoliatus. Nam nudum omnino omni veste non fuisse vel inde patet, quod ibidem dicatur indutus fuisse lineo ephod. Sic Seneca dicit; malè vestitum & pannosum, nudum vocari solitum: Sicut, inquit, illiteratum dicimus, non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum. Et sicut Isaiæ 19. Siccus vocatur Nilus, quando minus habet aquæ quàm soleat, aut quàm exigit agri Egyptij necessitas. Et Actor. 27. ieiunasse scribuntur socij sancti Pauli totis quatuordecim diebus, eò quòd toto illo nauigationis tempore, famem tenui admodum cibo sustentassent. Vnde patet, familiari phrasi sæpè aliquem dici talè, cum parum abest ab ea forma, à qua verè & propriè soleat quis talis vocari. Ita Lyranus, Abulensis, & alij Authores recens citati, & 13. Porro cecidisse hic dicitur Saül tota die ac nocte, quia more adorientium, sæpè procidebat in terram, venerationis, & honoris ergo, vt solebant illi prophetantes. Ita Sanctius.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS.

Ionathas repetito fœdere cum Dauide, ipsum cum Saüle reconciliare conatur. sed frustra. Ergo sagittarum indicio euocatum è latebris Dauidem complexus, cum lacrymis vltimum ei vale dicit.

I.



Vgit autem Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha, veniensque loquutus est coram Ionatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? 2. Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel paruum, nisi prius indicauerit mihi: hunc ergo celauit me pater meus sermonem tantummodò? nequaquam erit istud. 3. Et iurauit rursus Dauidi. Et ille ait: Scit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: nesciat hoc Ionathas, ne forè tristeretur. Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vndè tantum (vt ita dicam) gradu ego morsque diuidimur. 4. Et ait Ionathas ad Dauid: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. 5. Dixit autem Dauid ad Ionathan: Ecce Calendæ sunt crastino, & ego ex mo-

re federe soleo iuxta regem ad vescendum: dimitte ergo me vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ. 6. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethleem ciuitatem suam: quia victimæ solemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis. 7. Si dixerit, Bene: pax erit seruo tuo. si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius. 8. Fac ergo misericordiam in seruum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me; tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me. 9. Et ait Ionathas: Absit hoc à te; neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi. 10. Responditque Dauid ad Ionathan: Quis renuntiabit mihi, si quid, fortè responderit tibi pater tuus durè de me? 11. Et ait Ionathas ad Dauid: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum, 12. Ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israel, si inuestigauero sententiam patris mei crastino vel perendie: & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero, 13. hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseuerauerit patris mei malitia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. 14. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si verò mortuus fuero, 15. non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra: auferat Ionatham de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid. 16. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requisit Dominus de manu inimicorum Dauid. 17. Et addidit Ionathas deicere Dauid, eò quòd diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum. 18. Dixitque ad eum Ionathas: Cras Calendæ sunt, & requirèris: 19. requiretur enim sessio tua vsque perendie. Descendes ergo festinus, & venies in locum vbi celandus es in die qua operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel. 20. Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum. 21. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi sagittas. 22. Si dixerò puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, viuit Dominus. Si autem loquutus fuero puero: Ecce sagittæ vltra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus. 23. De verbo autem quod loquuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me & te vsque in sempiternum. 24. Absconditus est ergo Dauid in agro, & venerunt calendæ, & sedit rex ad comedendum panem. 25. Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundùm consuetudinem) quæ erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus Dauid. 26. Et non est loquutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quòd fortè euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus. 27. Cumque illuxisset dies secunda post Calendas, rursus apparuit vacuus locus Dauid. Dixitque Saul ad Ionatham filium suum: Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum? 28. Responditque Ionathas Sauli: Rogauit me obnixè, vt iret in Bethleem, 29. & ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis. 30. Iratus autem Saul aduersum Ionatham, dixit ei. Fili mulieris virum vltro rapiens, numquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem ignominiosæ matris tuæ? 31. Omnibus enim diebus, quibus Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis est. 32. Respondens autem Ionathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? 33. Et arripuit Saul lanceam vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas quod definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid. 34. Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris, & non comedit in die. Calendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eò quòd confudisset eum pater suus. 35. Cumque illuxisset manè, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo, 36. & ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum. 37. Venit itaque puer ad locum iaculi: quod miserat Ionathas, & clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi est sagitta porrò vltra te. 38. Clamauitque iterùm Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, & attulit ad dominum suum: 39. & quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant. 40. Dedit ergo Ionathas arma sua puero, & dixit ei: Vade, & defer in ciuitatem. 41. Cumque abiisset puer, surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad Austrum, & cadens pronus in terram, adorauit tertio: & osculantes se alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius. 42. Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me & te, & inter semen meum & semen tuum vsque in sempiternum. 43. Et surrexit Dauid, & abiit: sed & Ionathas ingressus est ciuitatem.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Fugit autem Dauid de Naioth, quæ est Ramatha, veniensque locutus est coram Ionathæ, quid feci, quæ est iniquitas mea, aut quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?

Malu. Quæ prauitas mea, & quid erratum meum faciebus patris tui?

Sept. Rom. Quæ iniustitia mea, quia inquit?

Reg. Quoniam quærebat.

Cald. Fugit ex domo doctrinæ, quis excessus meus?
Arab. Quid vult animam meam?
Vulg. Qui dixit ei, Absit, Non morieris, neque enim faciet pater meus quidquam grande vel paruum, nisi prius indicauerit mihi, hunc ergo celauit me pater meus sermonem tantummodò? nequaquam erit istud.
Pag. Quam non reuelet auri meæ, cur autem absconderit à me rem hanc, non est mihi cognitum.
Arias. Ecce sibi faciet pater meus verbum grande, & quare absconderit, &c non hoc.
Isid. Clar. Nequaquam erit istud.
Caiet. Et cur non absconderit à me rem hanc & non illam?
Vatab. Non solet facere quicquam.
Malu. Et dixit prophanatio, & quid cognitionis absconderit de à me verbum istud?
Sept. Rom. Nequaquam tibi, &c. Et non reuelabit auriculam meam, &c. Non est istud.
Cald. Tace, non morieris, &c. Non est hoc constans.
Arab. Nullum aggreditur pater meus negotium, &c. Nihil minus.
Vulg. Et iurauit rursus Dauidi, & ille ait, scit profecto pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet, nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur, quin immò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum vt ita dicam gradu, ego morsque diuidimur.

Pag. Et dixit, Sciendo sciuit pater tuus, &c. Ne fortè dolore afficiatur, quia tanquam vna passus inter me & mortem.
Vatab. Ne resciscat.
Tigur. Scit planè quòd ego sum gratus tibi.
Malu. Cognoscere cognouit, &c. Nequando dolore sciabitur.
Sept. Rom. Et respondit Dauid, non cognoscat hoc Ionathas, ne minimè velit, impletum est inter me & mortem.
Reg. Nesciat hoc, vt non nuntiet Dauid, &c. Quoniam impletum est inter me & patrem tuum vsque ad mortem.
Cald. Quod inueni charitates in oculis tuis, &c. Fortè turbaretur.
Syr. Clementiam.
Arab. Passus inter me.
Vulg. Et ait Ionathas ad Dauid. Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.
Malu. Quid dicet anima tua, & feci tibi.
Sept. Rom. Quid concupiscit anima tua, & quid faciam tibi?
Cald. Et fiet tibi?
Arab. Quæcumque rem præceperis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN patrem tuum. Alij, *Coram patre tuo, vel faciebus patris tui.* Sed bene *Vulg.* nempe, quæ in, id est contra patrem tuum feci? *Nisi prius indicauerit mihi.* Alij, *Non reuelet aurem mihi.* Vide Concord vers. 4. cap. 4. Ruth. Id est serio & attente me admonuerit. *Neque enim faciet.* Vatab benè. *Non solet facere quicquam. Nequaquam erit istud.* Alij ex Hebr. *Non hoc,* nempe est quod putas. *Vno tantum gradu vt ita dicam.* Alij, *passu vt ita dicam,* id est parum abest quin interficiat. *Quòd ego sum gratus tibi.* Alij, *Quod inueni charitates in oculis tibi,* nempe quòd à te sum summe dilectus.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 v. 1.

Fugit autem. Hic consequenter describitur quomodo Saul ex odio Dauid filium proprium inuasit. Circa primū sciendum, quod postquam Saul receperat Dauid in gratiam ad preces Ionathæ, vt dictum est cap. 19. Ionathas à patre recessit pro aliquibus negotiis, & sic ignorabat quomodo pater suus postea Dauid inuaserat, & mortem eius quæsterat: propter quod Dauid venit ad Ionatham, rem istam denuntians ei, vt adhuc tentaret, si Saul simpliciter diffinierat eum occidere, quia graue erat ei à Ionatha discedere, & grauius mortem incurrere. Igitur in hoc c. sic proceditur, quia primo ponitur ipsius Dauid petitio. Secundo ipsius Ionathæ concessio, ibi: *Et ait Ionathas.* tertio concessionis executionis executio, ibi: *Et venerunt calenda.* Quarto Saulis indignatio; ibi: *Iratu autem Saul.* Quinto Dauid & Ionathæ lachrimabilis separatio, ibi: *Cumque illuxisset.* Circa primum præmittitur querimonia Dauid de Saule ipsum iniuste persequente, vt ex responsione Ionathæ formet postea suam petitionem.
Non. mo. Hoc dixit Ionathas ignorans quid fecisset pater suus post recessum suum ab eo, vt dictum est propter quod Dauid postea dixit.

MENOC. *Fugit Dauid de Naioth.* Dum scilicet Saul propheta-
 bat.

MENOC. *Neque enim faciet pater meus, &c.* Coniiciebat hoc Ionathas ex eo quod non ita pridem pater ad eum detulisset consilium de occidendo Dauid.

LYRAN. *Quinim.* Modus est iurandi ac si dicatur: per Deum viuentem.
 v. 3.

Quia vno. Id est modicum defuit, quod pater tuus me non interfecit, primo lanceam proiciendo. Secundo per nuntios & per seipsum me ad mortem quærendo, vt patet ex dictis cap. 19. Quo audito dixit Ionathas.

Viuit Dominus, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu, ego morsque diuidimur. Quæritur an non temerè iurauerit Dauid volens confirmare, in quanto periculo versaretur? Fortè dices, non esse iuramentum, sed non aliud significari quam si diceret: Tam verè ego mortis periculo proximus sum, quam verum est Dominum viuere. Sed parum differt hîc sensus à iuramento. Et reuera iuramentum esse in ea loquendi forma (*viuit Dominus*) patet Ieremiæ. 4. & Osee 4. Itaque vel non excusandus est Dauid de leuitate iuramenti, vel dicendum, non temerè ab eo iuratum fuisse, quia, vt ex antecedentibus patet, Ionathas firmiter credebat Dauidem ita grauius de vita periclitari apud Saulem: *Ait enim, Absit, non morieris, &c.*

Vno tantum gradu ego, morsque diuidimur. Quasi dicat, mors in me fertur præcipiti cursu, & vno vix passu à me distat.

Vno tantum gradu ego morsque diuidimur. Prouerbia-
 lis est locutio, qualis apud nos. *Quatuor solis digitis à morte disto,* Quasi dicat. Quæcumque incuria vel error, etsi leuissimus, à me committatur, inferet mihi mortem Saul, cuius tot sunt lictores, tor manus, quot habet suæ potestati atque imperio obsequentes.

Quodcumque. Ad salutem tui & conseruationem. Ex quo Dauid consequenter format suam petitionem, dicens.

VARIETAS LECTIIONVM Vers. 5. 6. 7.

Vulg. Dixit autem Dauid ad Ionathan. Ecce calendæ sunt crastino, & ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum, dimitte me ergo vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ.
Pag. Et sedendo sedere soleo.
Arias. Ecce mensis cras.
Caiet. Vsque ad vesperam tertiam.

Malu. Ecce innouatio crastino, vsque ad vesperam tertiæ
Sept. Ecce Næomeniæ, & ego sedens non sedebo, &c. Vsque ad vesperam.
Reg. vt Vulg. habet tamen vsque ad vesperam.
Cald. Ecce mensis cras, vsque ad tēpus vesperę in die tertiã.
Arab. Ego vero accumbere consueui coram genitore tuo initio cuiusuis mensis ad prandendum.

ESTIV

MENOC

TIRIN

LYRAN
 v. 4.

Vulg. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethleem ciuitatem suam: quia victima solemnem ibi sunt vniuersis contribulibus suis.
Pag. Si recordando recordatus fuerit, &c. Postulando postulauit vt curreret, &c. Quia sacrificium annuale est toti familiae.
Arias. Sacrificium dierum.
Vatab. Obnixè rogauit me.
Tigur. Quoniam sacrificium gentilitium est.
Malu. Si visitare visitabit me, &c. Postulari postulatus fuit de à me Dauid.
Sept. Rom. Si recensens recensuerit me. Deprecatus est.

Cald. Quia appositum oblationis sanctitatis in domo propitia.
Syr. Quoniam sacrificia sunt dierum aliquot.
Vulg. Si dixerit, Benè: pax erit seruo tuo, si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius.
Tigur. Recte habent se res serui tui.
Malu. Si exardescere exardescet ei, nosce quia completa est, &c.
Sept. Rom. Si dure responderit tibi.
Cald. Et si indurescendo indurescit illi, &c. Absoluta est.
Syr. Scito quòd definitum est malum.
Arab. Noueris quod malum iam deliberarit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ecce Calenda sunt crastino. Alij, *Nœomenia*, *innouatio*. Calendæ erant primus dies mensis, qui apud Hebr. non quidem propriè erat secundum aliquos festus, sed tamen sacrificiis celebris: vocabaturque Hebr. *שְׁמִינִי* *chodes*, id est innouatio lunæ & mensis, Græcè *Nœomenia*, Latinè Nouilunium. Hebr. enim habebant menses lunares, adeoque Nouilunium, siue prima dies nouæ lunæ & lunationis erat primus dies mensis. Rogauit me, Alij, *Deprecans deprecatus est*. Verbum *שָׁאָל* *shaal*, in Niphal, vt hîc ponitur, significat precibus impetrare aliquid, enixè aliquem deprecari. Quia *victima solemnem*. Alij, *sacrificium dierum, Anniuersarium*. Vide Concord. v. 12. cap. 9. Appositum oblationis sanctitatis. Quasi dicat, Conuiuium ex victima: dictio enim *זֶבַח* *zebah*, pro conuiuio etiam & epulo sumitur, vt vidimus loco citato.

ANNOTATIONES.

Ecce. Id est festum Nœomeniæ, quod fiebat apud Hebræos in memoriam beneficij diuini in rerum conseruatione; sicut & Sabbatum celebrabatur pro beneficio creationis. Transmutatio autem in istis corporibus sensibilibus multum sequitur motum lunæ, & ideo in nouilunio fiebat festum prædictum.

Et ego. Quia illa die ratione solennitatis notabiles personæ comedebant cum rege, inter quas Dauid sedebat primus, eo quòd erat gener eius.

Dimitte ergo. Vt possis certitudinaliter experiri vel explorare intentionem finalem patris tui de me, per modum qui sequitur.

Ecce Calenda, &c. Non more gentilium calendas obseruabant Hebræi, sed calendas vocat Interpretes, festum Nœomeniæ à Deo institutum. Hebr. est (*mensis*) Nempe diem primum mensis tanquam caput, & principium totius mensis. Hebræi antonomasticè mensem vocabant. Erat autem Nœomenia, seu festum nouilunij (nam erant apud Hebræos menses lunares) institutum in lege in memoriam beneficij Dei, quod præstat in rerum omnium cōseruatione, sicut Sabbatum in memoriam creationis earundem rerū.

Ecce calenda, &c. Calendis siue primo die mensis noui festum agitabant Hebræi, quod Græco vocabulo dicitur Nœomenia, vnde illud Psal. 80. *Buccinate in Nœomenia tuba, in insigni die solennitatis vestra*. Vide num. 10. v. 10. In dieb⁹ autem solemnibus adesse debebant Regis domestici, ac necessarij conuiuio, & in primis Dauid Saülis ipsi⁹ gener.

Vt abscondar in agro. In agri spelunca aliqua facilius cauere potuit insidiantium oculos, & linguas, quam in ciuitate.

Vsq̄ ad vesperam diei tertiæ. Postridie Calendas tota res gesta est, sequenti autem die non latuit, sed summo manè discessit.

Si respiciens. Vtrum autem sic fecerit Dauid, vt hîc dicitur, non habetur ex textu, nec etiam contrarium. Dauid autem tunc loquebatur Ionathæ die immediatè præcedente Calendas, vt patet in textu, & abscondendus erat in

A agro die tertiæ post, ita quòd duæ dies inter & plus erant inter mediæ, vt patebit ex sequentibus. Sortes autem Iudæ & Benjamin erant coniunctæ, ita quòd citò poterat aliquis ire de vna ad aliam & redire: propter quòd Dauid tempore intermedio potuit ire in Bethleem, & redire die determinata ad locum condictum inter ipsum & Ionathã. Si autem non fecit sic, fuit mendacium officiosum, de quo non necessarium excusare Dauid, & Ionathan, quia Apostoli, qui fuerunt multo perfectiores non excusantur omnino à peccato veniali. I. Ioan. 1. d. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c.*

Si requisierit me pater tuus, indicabis ei; Rogauit, &c. **ESTIV 5.** Verè hoc dixerit Dauid an non, scriptura non aperit. Et fieri potuit, vt reuera Dauid in Bethleem profectus fuerit, & redierit ad tertium diem, post calendas, vt patet ex verbis præcedentibus, & Bethleem non ita longè inde fuit distita, quin potuerit facillè Dauid eò proficisci, & ad diem tertium redire. Quod si verò non fecerit Dauid, nec intenderit facere, quod hîc dicit, debemus agnoscere in viro, et si sancto, mendacium otiosum, cuiusmodi & capite sequenti videtur ab eo commissum, vt ibi dicemus.

Victima solemnem contribulibus. Idonea, & probabilis excusatio. Superbum enim huiusmodi inuitationes non admittere. Porro cum ait, *victimam*, intelligit sacrificium, & ex eo conuiuium.

Contribulibus. Hebr. & Chald. *Familia*, seu *cognationi*, Septuaginta *tribui*.

Si dixerit. Id est, signum est quòd non quærit me occidere, cetera patent. **LYRAN. V. 7.**

Pax erit seruo tuo. Erit enim argumentum animi beneuoli. **MENO C.**

Si fuerit iratus, &c. Probabilis admodum coniectura, nam inimicorum dicta, factaque probari non solent. Adde Saüllem aliquo signo edito ostensurum quomodo in Dauidem esset animatus.

Completa est malitia. Id est, decreuit omnino me perdere.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 8. ad II.

Vulg. Fac ergo misericordiam in seruum tuum, quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti, si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas.

Pag. Quia in fœdus adduxisti.

Arias. Et ad patrem tuum, vt quid introduces hoc ad me?
Malu. Facies benignitatem, & si existentia in me prauitatis, mori fac me tu.

Sept. Quoniam induxisti in testamentum Domini, &c. Et si iniustitia in seruo tuo.

Cald. Facies bonum cum seruo tuo.

Tom. IV.

Sir. Hoc exerce beneficium.

Arab. Hanc gratiam præsta.

Vulg. Et ait Ionathas: Absit hoc à te: neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.

Vulg. Responditque Dauid ad Ionatham: Quis renuntiabit mihi, si quid fortè responderit tibi pater tuus dure de me.

Vulg. Et ait Ionathas ad Dauid, veni & egrediamur foras in agrum, cum que exissent ambo in agrum.

Sept. Rom. Vade & maneto in campo. *Reg. vt Vulg.*

F f

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quia fœdus Domini me inire fecisti. Sept. Quoniam induxisti in testamentum Domini. Vocat fœdus, vel testamentum Domini, vel coram Domino, interposito Domini in iuramento fœderati nomine initum. Completam esse malitiam. Alij, Consummatam, definitum esse malum. In vita scil. tibi adimenda. Sept. habent. Et si non fuerit in ciuitatibus tuis. Quæ absunt ab aliis Græcis codicibus. Si quid fortè responderit tibi durè. Alij, si quid responderit tibi durè Alij, si quid boni, Vel si quid responderit durè, concisa oratio in Hebr. Vnde subaudiendum est aliquid vt fecit Pag. qui posuit, Si quid boni, &c. Vel si bono animo fuerit in me, vel si benignè responderit tibi. Veni & egrediamur in agrum, &c. Sept. Rom. pauca hæc habent. Vade, & maneto in campo, tamen alij Codices Græci conformes sunt textui Heb. & nostro.

ANNOTATIONES.

- MENOC.** **Ψ. 8.** **F**ac misericordiam. Confer hoc beneficium. **Fœdus Domini.** Corâ Domino, vel Domini voluntate. **Tu me interfice.** Sic Moses orabat, dele me de libro vitæ. Porro si vel inimici, vel amici manu cadendum sit, optabilior videtur mors illata ab amico, qui mortem quàm posset mollissimam inferret, & casum amici lacrymis prosequeretur, cum contra inimici sæuire soleant in eos, quos occidunt, & odij signa exprimere, quod morientis animum maximè cruciat.
- LYRAN.** **Ψ. 9.** **E**t ait. Hic ponitur ipsius Ionathæ concessio, secundum formam petitionis Dauid, propter quod respondit Dauid.
- MENOC.** **Abstine hoc à te.** Vt scilicet innocens manu mea interficiaris.
- LYRAN.** **Ψ. 10.** **Q**uis renuntiabit? Hoc dixit, quia sibi difficile videbatur, quod filius regis veniret ad ipsum in agro, quin alij comitarentur ipsum, quod posset cedere in periculum ipsum.
- A**lius Dauid ad faciendum voluntatem Regis. Et similiter periculosum sibi videbatur, quod renuntiaret Dauid per alium, eò quod Dauid habebat omnes suspectos ne accusarent eum erga Saül, præter Ionathan, propter quod Ionathas ei dixit.
- Q**uis renuntiabit, &c. Sanè hoc erat difficile, quia nec Ionathas ad Dauidem egredi facilè poterat, ita vt omnium oculos fugeret, nec famulis arcanum tuto committi.
- Veni & egrediamur.** Vt ostenderet ei locum vbi sibi renuntiaret intentionem patris sui per seipsum modo inferrius scripto. Interponitur tamen renouatio fœderis inter Ionathan & Dauid, cum dicitur:
- Cum exissent in agrum.** Ionathas proprio in habitu, Dauid verò in eumentito, vt sentit Serarius, atque adeo sine hasta, aut gladio, quod ex eo colligitur, quia ad Achimelech inermis peruenit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 12. ad 14.

- V**ulg. Ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israël, si inuestigauero sententiam patris mei crastino vel perendie: & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero.
- Pag.** Si inuestigauero patrem meum, iuxta tempus cras diei tertiæ, & ecce bonum fuerit super Dauid, &c. & aperuero aurem tuam.
- Vatab.** Teste, aliqui vertunt. Iehoua Deus Israël viuuit quòd percontabor patrem meum.
- Sep. Rom.** Vouit, quia interrogauero patrem meum prout tempus, ter, & ecce bonum fuerit ad Dauid, & non misero ad te, &c.
- Reg.** Ad tempus tribus vicibus.
- Cald.** Cras aut die tertia, & ecce verba composita super Dauid, &c.
- Syr.** Testis sit Dominus, nisi rem exposuero sub hoc tempus cras hora tertia, & si beneuolus erga te sit.
- Vulg.** Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseuerauerit patris mei malitia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.
- Pag.** Si placuerit patri meo vt adducat malum super te, aperiam aurem, &c.
- Arius.** Quia bonum erit ad patrem meum.
- Calet.** Et erit Iehoua tecum sicut fuit, &c.
- Vatab.** Si bona responsio.
- Malu.** Et fuit Iehoua tecum.
- Sep.** Quoniam deferam malum super te.
- Cald.** Quòd si perfecta à patre meo adueniendo super te malitia, &c. & erit dictum Domini in auxilio tuo, sicut fuit in auxilio.
- Syr.** Nisi præfero malum quod à patre meo vir tibi impender.
- Vulg.** Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si verò mortuus fuero.
- Pag.** Et non tantum adhuc me viuente facies mihi, &c. non moriar.
- Vatab. teste, sic aliqui vertunt.** Si id liberius, si id non præstitero, nec mihi viuo, nec mortuo beneficium mihi præstiteris.
- Malu.** Et non si adhuc ego viuens, & non facies coadstantem mihi benignitatem Iehoua.
- Sep. Rom.** Et si adhuc me viuente facies mecum misericordiam, & si morte mortuus fuero.
- Cald.** Et non quoad ego manens, & non facies mecum bonum ante Dominum.
- Syr.** Atque vtinam me viuente, verum vt ere mecum beneficio Dei antequam moriar.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Domine Deus Israël. Aliqui, Viuit Dominus Deus. Sanè Ionathas ex æstu amoris, perturbatè, interruptè, & incisè loquitur, vt facere solent amantes; nam inuocat Deum, per eumque iurat, nec seipsum explet, sed per Enallagen personæ, mentem, & os à Deo ad Dauidem ad se amatum conuertit, dicens: Et non statim misero ad te. Deinde sensum explet, dicens: Hæc faciat Deus Ionathæ, & Si inuestigauero sententiam patris mei, crastino, vel perendie, Alij, Iuxta tempus cras diei tertiæ, id est crastina die, quæ erit tertia dies Nouilunij. Si perseuerauerit malitia patris mei aduersum te, Alij, Si placuerit, vt adducat malum, Id est, si omnino decreuerit tibi mortem inferre. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini, Alij, Et non si adhuc viuens ego, & non coadstantem facies mihi benignitatem Domini, Misericordiam Domini, seu benignitatem Domini vocat, scilicet magnam & insignem, qualem scilicet Deus seruis suis solet exhibere, quæ enim Domini sunt, magna sunt, vt Cedros Dei, montes Dei dicimus.

ANNOTATIONES.

- MENOC.** **Ψ. 12.** **S**i inuestigauero sententiam, &c. Si cognouero quomodo erga te affectus sit Saül, omnino tibi indicabo quod iuramento tibi confirmo, hoc enim significat vsitata illa phrasis. Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.
- MENOC.** **Ψ. 13.** **R**euelabo aurem tuam. Aperiam tibi. Sic supra capite 9. 15. habemus: Dominus autem reuelauerat auriculam Sa-
- B**muëlis.
- Et si vixero.** Quia Ionathas pro certo tenebat Dauid renaturum post Saül patrem suum, sicut & factum est.
- Aut si non.** Hoc non est in Heb. nec est de textu, sed immediatè sequitur.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 15. & 16.*

Vulg. Non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra, auferat Ionathan de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.

Arias. Non abscindes, &c. Nec abscindendo Dominum virum, &c. Super facies humi.

Malu. Et non excindere facies benignitatem tuam de cum domo mea vsque ad æternum, & non excindere facere Ihu, maleuolentes Dauidis.

Sept. Rom. Non auferes, &c. Et si non in auferendo Dominum inimicos Dauid, vnumquemque à facie terræ.

Cald. Et non finies bonitatem tuam ab homine Domus meæ, vsque in sæculum, nec quando perdiderit Dominus oculos Dauid virum desuper facies terræ.

Arab. Et ne priues domum meam beneficio tuo.

Vulg. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requisit Dominus de manu inimicorum Dauid.

Arias. Et abscidit Ionathan cum domo Dauid, & requirat.

Tigur. Excindat & Dauid Ionathan cum domo sua.

Malu. Et quæret Iehu de manu maleuolentium Dauidis.

Sept. Rom. Inueniatur nomen Ionathan à domo Dauid, & requirat de manibus.

Cald. Et vindicabit se Dominus de manu odientium Dauid.

Syr. Exurgat Ionathan cum familia Dauid, & ultionem Dominus repetat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non auferes misericordiam, &c. Quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, &c. Alij, Non abscondes, &c. Nec in abscindendo Dominum virum, super facies humi. Hic versus, præcedens & subsequens intellectu non satis faciles, cum multa addita sint à Vulg. quæ in Hebr. textu, quem nunc habemus, non inueniuntur. Hæc enim, *Aut si non fecero*, non habentur in Hebr. nec similiter verba illa, *Auferat Dauid Ionathan de domo sua*: Ex Hebræo etiam rediditi, ab aliis implexi sunt, obscuri, sed clariùs redduntur hoc modo, si *וְלוֹ* *velo*, & non quod ter reperitur legas, non assertiuè, sed interrogatiuè, hoc modo; Et non? id est. Nonne cum adhuc fuero viuens, nonne, inquam, facies misericordiam Domini? & nonne si moriar, non excindes misericordiam à domo mea? &c. Quasi dicat, Omnino facies, & non excindes, vt clarè vertit noster Interpres. Sic videntur interpretari Sept. qui pro *וְ* & non, vertunt, & *si*, hoc est, nonne? Si tamen assertiuè malis legere, post *וְ* Et non, subaudiendo tantum, sic ad verbum verte cum Pag. *Et non tantum adhuc me viuente facies mecum misericordiam Domini*, & non moriar, sed etiam non abscindes misericordiam tuam à domo mea vsque in sæculum, nec tum quidem cum absciderit Dominus inimicos Dauid, qui sensus idem est cum priori, & vtrumque clarè reddit Vulg.

Auferat Ionathan de domo sua. Sept. Reg. *Auferetur Ionathan à domo Dauid*, Sept. Sixt. *Inueniatur nomen Ionathæ à domo Dauid*, scilicet, excisum. Hæc autem verba minimè, vt diximus reperiuntur in Hebræo, sed horum sensus est: Si ego Ionathas ô Dauid, tibi non fuerim fidelis, Precor vt Deus me puniat, & meam posteritatem auferat, & requirat Dominus, &c. *Pepigit ergo fœdus.* Alij, *Abscidit cum Domo Dauid*, Sed subaudiendum est fœdus, quæ vox non est in Hebræo, sed est Ecclipsis. *Et requisit Dominus*, &c. Alij, *Requirat*. Sensus nostri interpretis est interrumpens seriem libri & historiæ vt significet id reipsa euenisse, quod imprecarus fuerat Ionathas, Scil. Deum requisuisse, id est, exegisse vindictam de Saule, cæterisque inimicis eius, Versio autem aliorum habens: *Et requirat*, &c. sic exprimenda, vt hæc verba sint quasi materia fœderis, quod Ionathas cum Dauide inuit. Quasi dicat, Pepigit Ionathas fœdus cum domo Dauid, dicendo, requirat, id est, castiget, & vlciscatur Dominus inimicos Dauidis, qui cum iniquè vexant, ac consequenter, castiget quoque, & puniat me, meosque, si fœdifragus fuero.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Y. 15.* **Q**uando. Sciebat enim patrem suum cum domo sua A puniendum propter persecutionem Dauid iniustam. *Et requirat*, &c. Hoc similiter non est de textu, sed immediate sequitur: *Pepigit ergo*, &c.

MENOC. *A domo*, &c. Filios scilicet meos, ac nepotes conseruando. *Quando*, &c. Resumit clariùs imprecationem in se antea paucis prolata, nisi patefecerit malam Regis in Dauidem voluntatem, & sensus est, si quod promisi non præstitero, cum sublatis fuerint inimici Dauid de terra, auferat ipsemet Dauid Ionatham de domo sua, id est, eum perdat.

Et requirat Dominus. Requirit de manu alicuius idem est quod de illo vindictam sumere. Sic Genes. 9. dicitur: *Sanguinem animarum vestrarum*, &c. Id est, vlciscar. Cum ait, *De manu inimicorum Dauid*, idem est ac si dixisset, expetat ultionem etiam de me, qui non detegendo Dauidi quæ contra illum molitur Saül, quodammodo me Dauidis inimicum constituo, & aliis, qui illi malè volunt aggrego.

LYRAN. *Y. 16.* *Et requisit Dominus.* Quod exponunt expositores nostri de vindicta diuina contra Saül & alios inimicos Dauid. Hebræi verò retorquent ad sensum oppositum, dicentes, quod inimici Dauid hic ponuntur pro ipso Dauid, & est, sensus: *Requirat Dominus.* Quia Dauid fœdus istud inuit cum Ionathæ fregit, quando medietatem hæreditatis Miphiboseth filij Ionathæ dedit Sibæ seruo eius, vt habetur

infra 2. lib. 19. cap. vt plenius videbitur, quando erimus ibi Domino concedente. Vnde dicit hic Rab. Sa. quod quando Dauid dixit ipsi Miphiboseth. *Tu & Siba*, &c. Venit vox à Deo dicens, Roboam & Ieroboam diuident regnum, eò quod Dauid fregerat istud pactum quod erat inter Dauid & Ionathan ac posteros eorum. Quod autem ponitur hic.

De manu, &c. Loco huius, *De manu*, Dicunt, quod hoc factum est ad reuerentiã ipsius Dauid, sicut mater maledicens puero suo ex amicitia ad ipsum, statim subdit: huic lapidi dico, vel parieti, vel aliquid huiusmodi: & eodem modo Iob. 2. cap. dicitur: *Benedic Deo & morere*: Propter reuerentiam diuinam ibi ponitur *benedic*, pro maledicendo, secundum omnes expositores, & tali modo loquendi vsus est Dauid, infra 25. iurans destruere domum Nabal. dicens, *Hoc faciat Deus*, &c. Id est, mihi, vt dicitur ibidem. Aliter secundum sensum istum potest exponi: *De manu*, id est, per manus inimicorum Dauid, quia Ieroboam, & alij, qui insurrexerunt contra Salomonem ad diuidendum regnum dicuntur, inimici Dauid, in quantum fuerunt inimici posteritatis suæ.

Cum domo Dauid. Primum fœdus inuitum post Goliam occisum, priuata fuit amicitia, hoc latius patet, & pertinet ad conseruandas mutuo vtriusque familias, **MENOC.**

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 17. 18. & 19.*

Vulg. Et addidit Ionathas deierare Dauid, eò quod diligeret illum, sicut enim animam suam, ita diligebat illum.

Malu. Et addidit ad iurare facere Dauidem in mane cum, Tom. IV.

quia amorem animæ suæ amauit eum

Sept. Rom. Quoniam amauit animo amantis se.

Cald. Iurauit in quo amans eum.

Arab. Amabat eum pari ac seipsum amore.

Vulg. Dixitque ad eum Ionathas, Cras erunt Calenda: & requireris. *Alij, ut vers. 5.*

Vulg. Requiretur enim sessio tuavsq; perendie, descendes ergo festinus, & venies in locum, vbi celandus es in die qua operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel.

Pag. Deficiet, &c. Et manebis tribus diebus, descendes valde, &c. In die operis manebis apud lapidem viatoriu.

Arius. Cras mensis, & visitaberis, quia visitabitur sessio tua, & tertiabis & descendes.

Alij. Quia derecensabitur sessio.

Clar. Per triduum igitur in demissum locum descendes, ibisque, &c. Vbi absconditus eo die fuisti, quando opus fiebat.

Malu. In die facturæ, & sedebis reservationem, lapidis Azel.

Sept. Rom. Visitabitur sedes tua, & tertiabis, & speculaberis, &c. In die operaria, & sedebis apud Ergab illud.

Reg. Et tres dies manebis, & requireris, &c. Quando operari licebat, &c. lapidem illum.

Aquila. Ad australem plagam.

Cald. Ad crastinum mensis, & quæreris, quia erit vacua domus accubitus tui, & quæreris nimis, &c. In die profesto, & sedebis in latere petræ Atha.

Syr. Et hora tertia instanter postulaberis.

Arab. Cum ergo elapsa hora tertia appositum fuerit prandium, & sede in umbra lapidis illius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Requiretur sessio tua. *Alij, Deficiet*, nempe locus, quo sedere soles cum Rege pransurus, *Alij, Derecensabitur*, Id est, subtrahetur, vacabit, tolletur de numero. *Vsq; perendie.* *Alij, Tertiabis*; Et exponunt, abde te in loco humili, atque depresso valde, nimirum in aliquo vno antro. Sed ibi valde sumendum est pro diligenter. *In die qua operari licet*, *Alij, In die profesto, in die operis*, Id est, in die post Calendas, nam in primo operari non licebat. *Cui nomen Ezel*, *Alij, viatorium*. Plerique cum nostro *לִין azel*, nomen proprium lapidis esse existimant: *Alij*, pro appellatiuo sumunt, & vertunt viatorium, vel lapidem ambulationis, Id est, quæ frequenter conueniretur, quod ad eum lapidem crebræ fierent profectioes, & conuictus. Forte animi causa. *Aquila.* Ad australem plagam, ad eam enim situs erat hic lapis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **ET** addidit. Id est valdè iurare: ita quod non accipitur hic pro periurio, sed pro assertionem iuramenti. Cætera patent vsque ibi.

MENOC. *Addidit deierare.* Aliis iuramenti confirmare. Deierare idem valet quod simplex iurare.

MENOC. *Requireris.* à patre meo.

LYRAN. *Et venies in, &c.* Et crastina erant festiua, & sic apparet quod dictum est, scilicet quod absconditio Dauid fuit statuta die 3. à Calendis. *Et sedebis, &c.* Id est ambulationis secundum Hebr. quia ille lapis erat signum directiuum ambulantium per viam.

MENOC. *Requiretur sessio tua vsque perendie.* Quæretur vno atque altero die quid causæ sit cur vacuus appareat locus tuus, nec tu ad eum occupandum veneris.

Descendes ergo festinus. Iam nunc vbi finito colloquio digressi fuerimus.

Die qua operari licet. Die, profesto, ne scilicet tum iter facientibus videaris, die enim Calendarum cum non liceat, sicut nec sabbato, longius ab vrbe progredi, minus erunt necessariæ latebræ.

Iuxta lapidem cui nomen Ezel. Ex nomine Ezel cõiectat Lyranus lapidem illum esse viatorium, vt vertit Pagninus, id est, quod viam ostenderet iter agentibus, quales sunt lapides Mercurij, qui in biuiis, aut triuiis statuuntur. Sed hoc minus est probabile, quia in lapide hoc locus fuisse videtur aptus ad Dauidis latebras, & quia iuxta lapidem viarum

A indicem sedere in biuio, aut triuio idem fuisset ac velle ab omnibus conspici, quod tamen fugiebat Dauid.

In die, in qua operari licet.] Et consequenter, qua liceat tantum itineris ambulando conficere, quantum vel Sabbati, vel alterius diei festi solemnitas non permetteret. Hinc patet primò, lapidem hunc *Ezel* (Hebraicè & Chaldaicè *viatorium*, id est, ad milliare quodque viatoribus indicandum, vt moris in Italia) longius ab vrbe abfuisse quàm bis mille cubitis, quod Sabbati erat iter. Secundò, *Calendus*, seu *noemias*, id est, primum cuiusque mensis lunaris diem, apud Iudæos festum fuisse, & die illo licuisse seruire aliquod opus facere, aut iter sabbatino prolixius instituere, vt dixi Num. 28. Vbi etiam præscribuntur varix, & luculentæ oblationes, de quibus non nisi mundi comedere poterant. Et hæc erat causa quæ Saulem contineret, quo minus de causa absentix Dauidis Calendis ipsis inquireret: cum enim maculæ plurimæ, quæ à sacra mensa remouent, intercurrere possent, suspicabatur Dauidem ab illarum aliqua pollutum domi suæ remansisse. Vnde tertio patet, conuiuium hoc Saule fuisse de sacrificiis pacificis, quæ fortè singulis Calendis, pro felicitatis totius mensis decursu Deo offerre consueuerat. Nam si communibus cibis mensa instructa fuisset, cum etiam immundis liceret talibus vesci, nullum absentix Dauidis prætextum ex defectu munditiei, vel purificationis habuisset Saül, ita Abulensis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 20. ad 23.

Vulg. Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum.

Pag. Ad latus eius mittam, mittendo ad signum.

Malu. Ad mittere mihi obseruationi.

Sept. Rom. Tertiabo sagittas iaculans, emittens in Amatari.

Reg. Ter sagittabo sagittis iaculans, & mittens in scopum.

Sym. Ad institutum signum.

Cald. Et ego tria iacula in arcu sagittabo ad quatiendum mihi in scopum.

Vulg. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi sagittas.

Sept. Veni, reperias mihi sagittas.

Vulg. Si dixero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, viuit

Dominus. Si autem loquutus fuero puero: Ecce sagittæ ultra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus.

Pag. Ecce sagittæ à te, & infra cape eam, & veni, &c. Iam verò ecce sagittæ à te ultra, vade.

Arius. Accipe eam, quia pax tibi, & non verbum.

Alij. Et non erit quicquam negotij.

Sept. Rom. Hic sagitta à te, & hic cape eam, &c.

Reg. Et non est sermo malus.

Cald. Abi, quia seruauit te Dominus.

Vulg. De verbo autem quod loquuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me, & te vsque in sempiternum.

Malu. Ecce Ihuu testis sæculi.

Sept. Verbum autem, ecce Dominus testis.

Cald. Ecce dictum Domini testis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Iuxta eum. *Alij, Ad latus.* Scilicet eius lapidis. *Mittam & iaciã.* *Sept. Tertiabo iaculis iaculans, emittens.* Illud tertiabis, Theod. explicat *Tres sagittas iaculabor*, quasi exercens me ad scopum: *Sept. Rom. Emittens me in Amatari.* *Compl. Amatara.* Theod. à *amara*, atque ait inuenisse se in Hebraicorum nominum interpretatione, idem valere ac apud Græcos *ἀμαρα*, fossatum apud Romanos; apud Syros autem scopum, ad quem qui se exercent iacula emittere consueue-

runt. Scholiaſtes hoc quod Theod. attribuit Syris, attribuire videtur Symmacho, & fortasſe Aquilæ. Ita enim ſcribit. Aquila autem *ἐἰς τὸν σκοπόν*, vel *φουλάκη*, custodiam (duplex enim ſcriptura:) Sym. *ἐἰς τὸν παραγεγνημένον σκοπόν*, conſtitutum ſignum; ad quod qui ſe exercent, iacula mittere conſueuerunt. *Et nihil eſt mali*, Alij, *Et non verbum*, quo minus ſcilicet impediariſ ne venias. *Et non erit quicquam negotij*, ſubaudi, periculi, à quo tantopere videris metuere. *Ecce ſagitta intra te ſunt*, Alij, *A te & infra?* Sept. *hîc. De verbo autem*, &c. Alij, *Et verbum quod*, &c. ſcil. confirmet & ſtabiliat. *Dominus ſit inter me & te*. Alij, *Sit teſtis*: Et licet Hebr. non ſit teſtis, tamen ſubintelligitur. Aliqui reddunt teſtis ſæculi. *טו ghed in טו ghad* mutant.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Y. 20.* **E** *T ego tres*, &c. Hoc autem ſignum dedit Ionathas A Dauid, quia nesciebat, ſi poſſet venire ſolus ad loquendum cum Dauid, vel ſi veniret ſecretò, fortè poterant aliqui ſuperuenire, ita quod non eſſet tutum ipſi Dauid apparere, ne referretur Saüli, & caperetur. *Sagitta intra te ſunt*, Id facturus erat, permittendo vt longius abiret puer antequam ſagittam mitteret Ionathas, & tunc ſagittam mittendo, quæ ad ipſum non perueniret puerum.

LYRAN. *Y. 23.* **De verbo autem, &c. Id eſt, de fœdere inter nos, & poſteritates noſtras. *Sit Dominus*, &c. Scilicet teſtis, & requiſitor, quia nullus alius ad hoc fuerat vocatus, ad periculum Dauid euitandum. **MENOC.** *Y. 22.* **De verbo autem, &c. Renouat memoriã inſiti pacti, veritus ne fortè illum ultra videre non poſſet.****

VARIETAS LECTIONVM à Verſ. 24. ad 29.

V *ulg.* Abſconditus eſt ergo Dauid in agro, & venerunt Calendæ, & ſedit Rex ad comedendum panem.

Malu. Et fuit innouatio.

Alij, vt verſ. 5.

Vulg. Cumque ſediſſet Rex ſuper cathedram ſuam, (ſecundum conſuetudinem) quæ erat iuxta parietem, ſurrexit Ionathas, & ſedit Abner ex latere Saüliſ, vacuusque apparuit locus Dauid.

Pag. Et carebat ſedente locus Dauid.

Arias. Super ſedem ſicut vice in vicem ad ſedem parietis &c. Et viſitatus eſt locus Dauid.

Tigur. Sedebat Rex in folio ſuo.

Malu. Super ſeſſionem ſuam ſecundum iſtum in iſtu.

Alij. Aſſurrexit Ionathas.

Sept. Rom. Sicut ſemel & ſemel, &c. Et præuenit eum Ionathan.

Cald. Accubuit Rex ſuper ſitum ſuum, ſicut in tempore, tempore ſuper ſitum qui paratus erat illi.

Syr. Et vbi accubuit Rex fulcimento ſuo.

Arab. Paratum fuit fulcrum Regis, &c. tunc diſcubuit poſt eum Ionathan, à dextra Regis, & Abner diſcubuit à ſiniſtra.

Vulg. Et non eſt loquutus quidquam in illa die, cogitabat enim quod fortè eueniſſet ei, vt non eſſet mundus ac purificatus.

Pag. Accidens eſt, quod non ſit mundus, vel quia non eſt mundus.

Malu. Quia dixit, Incurſus ipſe.

Sept. Rom. Vt non ſit purus, quoniam mundatus non eſt.

Cald. Aut fortasſis ad viam iuit, & nos non inuitauimus eum.

Arab. Fortasſe caſus aliquis accidit, fortè minimè ſanus.

Vulg. Cumque illuxiſſet dies ſecunda poſt Calendæ, rurſus apparuit vacuus locus Dauid, Dixitque Saül ad Ionatham, filium ſuum, cur non venit filius Iſai nec heri nec hodie ad veſcendum?

Pag. Secundo caruit ſedente locus Dauid.

Alij vt in verſ. 5.

Vulg. Reſponditque Ionathas Saüli, Rogauit me obnixè vt iret in Bertheem.

Pag. Poſtulando poſtulauit.

Alij vt in verſ. 6.

Vulg. Et ait, dimitte me, quoniam ſacrificium ſolemne eſt in ciuitate, vnus de fratribus meis accerſuit me: nunc ergo ſi inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò, & videbo fratres meos, ob hanc cauſam non venit ad menſam Regis.

Pag. Quia familia eſt victimæ noſtræ, ipſe præcepit mihi frater meus.

Alij vt dicto verſ. 6.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

S *Vrrexit Ionathas*, Alij, *Aſſurrexit*. Scilicet Abner venienti, vt ei locum daret, ſed hoc non probatur, nam filius regis non ſolet aſſurgere duci exercitus, ſed illud ſurrexit intellige vt ad locum ſuum in menſa pergeret, illumque ſedendo occuparet: vnde bene Arab. *Decubuit poſt eum*, nempe Saülem, Ionathas à dextra regis, & Abner à ſiniſtra. *Vacuusque apparuit locus Dauid*, Alij, *Viſitatus eſt*: ſed viſitari ſumitur hîc pro deeſſe, vacuum eſſe. *Quòd fortè eueniſſet ei, vt non eſſet mundus ac purificatus*: Alij, *Accidens eſt, quod non ſit mundus, vel quia non eſt mundus*. Hanc repetitionem ad Dauidis contumeliã ſpectare putant: Noſter vero prius ad immunditiã refert, poſterius ad purificationem non receptam. *Cald.* ad aliam cauſam abſentiam illius reiicit, ſicut & Arab. ſed non conformiter Hebraico textui.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Y. 24.* **A** *bsconditus eſt*, &c. Scilicet tempore conſtituto die B tertio Calendarum, quia dubium erat, ſi rex Dauid requireret die Calendarum, vel expectaret vſque in craſtinum, ſicut & fecit. *Et venerunt*, &c. Hîc conſequenter deſcribitur prædictæ conſeſſionis executio, quia Ionathas explorauit intentionem patris de Dauid, per modum inter eos conſiditum: & patet litera ex prædictis, paucis exceptis. **MENOC.** *Abſconditus eſt ergo Dauid in agro*. Aliqui exiſtimarunt in ſpelunca illa diuinitus fuiſſe enutritum. Probabilius ſecum aliquid cibi detuliſſe, cum eo veniſſet conſilio vt ibi deliteſceret, ipſe enim abſconſionis ſuæ mentionem fecerat ſupra num. 5. **LYRAN.** *Y. 25.* **Surrexit**. Quando enim erat ibi Dauid, ſedebat iuxta regem, & poſtea Ionathas, & poſt eum Abner, & ideo abſque Dauid, nullus erat inter Saül, & Ionatham. Et quia Tom. I. V.

non eſt conſuetum, quòd filius regis ſedeat poſt patrem, ita quòd nullus ſit intermedius, ideo ſurrexit Ionathas, & ſedit Abner. *Cumque ſediſſet rex*, &c. Videtur menſa fuiſſe longior, in cuius capite verſus parietem federet rex ſolus, inde ad eius dexteram Ionathas, & deinceps cæteri eius fratres, & ſorores. Ad ſiniſtram primo loco Abner regis patruelis, & militiæ princeps, tum Dauid regis gener, & deinde reliqui viri principes ordine ſuo. **MENOC.** *Et non eſt*, &c. Scilicet de ipſo Dauid, cuius ratio ſubditur. **LYRAN.** *Y. 26.* *Cogitabat enim*, &c. Non ex concubitu cum vxore, vel ex tactu rei immundæ, quia de ſacrificio Næomeniæ non debebant immundi comedere, donec eſſent purificati, quæ quidem purificatio in aliquibus fiebat per tranſitum temporis, & aliquibus per aquam expiationis, vt dictum Ff iij

fuit Num. 19.

MEN OC.

Vt non esset mundus. Facile enim Hebræi legalem aliquam immunditiam contrahebant, verbi gratia ex contactu cadaveris, vel alterius rei immundæ.

LYRAN.

V. 27.

Cur non venit. Ex contemptu, & odio nolebat eum vo-

A care nomine proprio. Cetera patent.

Filius Isai. Ita illum vocat contemptim, & cum stomacho. Ita Nabal infra cap. 25. 10. *Quis est,* inquit, *Dauid,* & *quis est filius Isai?*

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 30. ad 33.

Vulg. Iratus autem Saül aduersum Ionatham, dixit ei: Fili mulieris virum vltro rapiens, numquid ignoro, quia diligis filium Isai, in confusionem ignominiosæ matris tuæ?

Pag. Fili peruersæ, rebellis.

Arias. Quod tu eligens, &c. in confusionem nuditatis.

Caiet. Fili fortificantis rebellis.

Vatab. In confusionem pudoris.

Tigur. Incauit nasus Saülis, fili mulieris rebellis.

Malu. Fili prauæ defectionis, an non cognoui, quia tu eligens filio Isai pudori tuo?

Sep. Rom. Fili puellarum vltro venientium, non enim noui, quia particeps tu filio Iessæ, &c. & in confusionem reuelationis matris tuæ?

Cald. Inualuit indignatio, & dixit, fili contumacis, cuius rebellio dura, nonne noui quod volens, & ad opprobrium tuum?

Syr. Filius matris inurbanæ.

Arab. Decentis, & vrbانيتatis ignaræ.

Vulg. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia fi-

lius mortis est.

Pag. Quia obnoxius morti est.

Sep. Rom. Non parabitur regnum tuum.

Reg. Non eris paratus tu, nec regnum tuum.

Cald. Non firmaberis tu.

Arab. Non perueniet ad te regnum, neque subsistet imperium tuum.

Vulg. Respondens autem Ionathas Saüli patri suo, ait: Quare morietur? Quid fecit?

Vulg. Et arripuit Saül lanceam vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas quod definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid.

Arias. Et protelauit lanceam super eum, & nouit quod conclusio ipsa à patre.

Pag. Et iaculatus est.

Vatab. Et contorsit.

Tigur. Vt eum transfoderet.

Malu. Quia consummatio ipsa.

Sep. Rom. Et eleuauit, &c. quia consummata est malitia.

Reg. Definita est.

Arab. Iam deliberauisset necem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fili mulieris virum vltro rapiens. *Sep.* Fili puellarum sponte venientium. Id est, *Fili meretricis*, hæc enim viros amabit. Septuag. videntur legisse נעוה naagharoth, id est puellarum. Pagn. *Fili peruersæ rebellionis*, hanc enim significat מרדוה marduth, pro quo noster cum Septuag. aliis punctis legit מרדוה moredoth, id est descendendum ad viros, & vltro se iis ingredientium: ירד iarad, enim significat descendere, aut noster legit מרדוה moredoth, id est dominantium, quæ scilicet viris sua illecebra, & forma dominabantur, à radice רדה id est dominari. Alij legunt, *Fili matris tortificantis, rebellis*, quod indicat magis mulierem rebellem, contumacem, quam meretricem, sed prior expositio verior. *Syr.* & *Arab.* non inducunt eum talia opprobria effutientem, sed solum inurbanam vel stultam, dicentem. *Non stabilieris tu.* *Sep.* *Non parabitur regnum tuum, non eris paratus:* parare, hinc pro stabilire accipiendum, vnde non parabitur, siue præparabitur, idem quod non firmabitur. *Arripuit lanceam*, Alij, *Contorsit, iaculatus*, id est magna vi eam sustulit, vt ea confoderet Ionatham.

ANNOTATIONES.

LYRAN.

V. 30.

Iratu autem Saül. Hic consequenter describitur ipsius Saülis indignatio, dicentis Ionathæ.

Fili mulieris vltro. Id est concubitus viri importunè petentis.

Diligis filium Isai in confusionem. Quia per hoc tu ostendis quod non sis filius meus, qui ipsum odi, & per consequens, quod tu sis de adulterio, quod cedit in confusionem tuam, & matris tuæ.

MENOC.

Fili mulieris virum vltro rapiens, &c. Vltro se ad nequitiam offerentis.

In confusionem. Quasi dicat, in tuum dedecus, tibi enim regnum erepturus est.

In confusionem ignominiosæ matris tuæ. Quia filio rege

gloriarı non poterit. Pro *ignominiosa*, *Cald.* habet *ignominia*, *Heb.* *nuditatis*, seu *turpitudinis*, seu *ignominie*. *Sep.* *reuelationis*, id est, *nuditatis*.

Omnibus enim diebus, quibus filius, &c. Ex quo patet perfectio Ionathæ, qui propter hoc non retrahebatur à Dauid charitate.

Itaque iam. Sine aliqua retardatione.

Et adduc eum. Vt in præsentia mea occidatur, & firmetur de eius morte.

Quia filius mortis est. Id est dignus morte, sicut peccatores dicuntur filij gehennæ. *Matth.* 23. Cetera patent.

Filius mortis est. Id est, dignus morte, & à me morti destinatus.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 34. ad 40.

Vulg. Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris, & non comedit in die Calendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eo quod confudisset eum pater suus.

Pag. Colera enim affectus est, &c. quia ignominia affectus eum.

Arias. Quia calumniauerat eum.

Malu. Surrexit in ardore nasi, & non comedit in die innoationis, quia dolore fauciat.

Sep. Rom. Resiliit à mensa in indignatione iræ, quoniam fauciat super Dauid, quoniam consummauerat

super eum.

Reg. Quia deliberauit sinere eum.

Cald. Surrexit in fortitudine indignationis, & non comedit in die embolismi mensis secunda, quia conturbatus est.

Arab. Nec comedit eo die è sacrificio inij mensis, &c. quia animaduertit iam patrem deliberaffe mortem Dauid.

Vulg. Cumque illuxisset manè, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo.

Pag. Ad tempus constitutum.

Sep. Sicut constituerat in testimonium Dauid.
Cald. Et fuit in aurora.
Vulg. Et ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum.
Malu. Dixit excusso suo. Curre inueni euge, sagittas, quas ego iaculauit, & excussus cucurrit, &c. ad transire facere eum.
Sept. Rom. Transire fecit.
Reg. Fecit hæc.
Cald. Et ille iecit iaculum ad transmittendum illum.
Arab. Traiecit illam ultra puerum.
Vulg. Venit itaque puer ad locum iaculi: quod miserat Ionathas, & clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi sagitta porro ultra te.

Pag. Nonne sagitta à te, & ultra?
Malu. Vocauit post excussum, & venit ad sustentatores eius.
Cald. Festina in celeritate, & non cunctaberis.
Vulg. Clamauitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, & attulit ad dominum suum.
Vulg. Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodo enim Ionathas, & Dauid rem nouerant.
Sept. Rom. Et puer non cognouit quicquam, tantum Ionathas & Dauid.
Reg. addit. Nouerant verbum.
Vulg. Dedit ergo Ionathas arma sua puero, & dixit ei: Vade, & defer in ciuitatem.
Arias. Dedit vasa sua.
Sep. Super puerum, &c. Vade intra, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN ira furoris: Alij, *In ardore nasi.* Illud in ira furoris, ex Heb. idiomate Epitasis habet, & iram significat ingentem, solent enim Hebræi geminato eiusdem significationis vocabulo, siue in eodem, siue in diuerso casu, magnum aliquid in quocumque genere significare. *Iuxta placitum Dauid,* Alij, *Iuxta tempus constitutum,* nempe quod Dauid definiat, vel Ionathas Dauidi. *Iecit trans puerum,* Alij, *Transire fecit eum.* *Sep. eam,* id est, *sagittam,* cum autem, id est, puerum, vel scopum, *Sept. Rom.* solum habent, *Tantum Ionathas & Dauid,* sed alij Codices addunt, nouerant verbum.

ANNOTATIONES.

MENO C. **I**N ira furoris. Vehementer iratus.
 ¶ 34. *Non comedit, &c.* Secundo mensis die ieiunus præ indignatione mansit.
Contristatus, &c. Quod implacabilis animi signa edidisset Saül innocentem ad mortem expetendo.
Eo quod confudisset eum pater suus. Cum conuictis, & etiam lancea impetendo.
LYRAN. *Cumque illuxisset.* Hic consequenter describitur Dauid, & Ionathæ flebilis separatio, per hoc quod Ionathas indicauit ei intentionem Saülis de morte eius, vt sic fugeret, & saluaretur: & hoc est quod dicitur. *Cumque illuxisset.* Ex quo patet fidelitas Ionathæ, qui die præcedenti non comederat, vt patet ex prædictis, & tamen manè ante comestionem venit ad Dauid, ad nuntiandum quòd interuenerat. Tum quia magis secretè poterat cum eo lo-

B qui, antequam communiter homines ad campos exirent, tum quia mora erat ipsi Dauid periculosa.
Iuxta placitum. Id est conditum, vel promissum.
Et puer. Vt minus posset percipere ad quod Ionathas venerat, & vt facilius posset se expedire de eo. Cætera patent vsque ibi.
Iuxta placitum Dauid. Iuxta conditum.
Festina velociter, &c. Videbat enim Ionathas tempus aptum ad loquendum cum Dauid, eò quòd nullus esset in agro: ideo voluit statim remittere puerum, vt solus cum Dauid loqueretur, antequam aliqui superuenirent, qui possent accusare.
Dedit ei ergo Ionathas, &c. Id est, arcum, pharetram, & sagittas.

MENO C.
LYRAN.
 ¶ 38.

LYRAN.
 ¶ 40.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 41. ad 43.

V*Vulg.* Cumque abiisset puer, surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad Austrum, & cadens pronus in terram, adorauit terriò: & osculantes se alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.
Pag. Cecidit in faciem suam in terram, & incuruauit se tribus vicibus.
Arias. Surrexit de ad meridiem, & osculati sunt vir socium suum, & fleuerunt vir socium suum, adeo vt Dauid adaugeret.
Caiet. Et luxerunt se inuicem, donec Dauid magnificatus est.
Vatab. Ita vt Dauid magnificauit.
Malu. Surrexit de reservatione Austri, &c. & procumbere se fecit tribus vicibus.

Sept. Rom. Surrexit ab Argab, &c. plorauit vsque ad consummationem magnam.
Reg. addit. Dauid superauit.
Cald. Surrexit de latere petre Atha, &c. vsquequo Dauid multiplicauit.
Arab. Surrexit à petra, &c. acerbior fuit fletus Dauid.
Vulg. Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me, & te, & inter semen meum, & semen tuum vsque in sempiternum.
Cald. Quod firmuimus ambo.
Vulg. Et surrexit Dauid, & abiit: sed & Ionathas ingressus est ciuitatem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DE loco qui vergebat ad Austrum. Alij, *De ad Meridiem,* *Sep. Ab Argab.* Heb. נגב *negab,* quod est Meridies siue Auster. *Sept.* retinuerunt nomen *Negab,* quasi proprium, sed illud à descriptoribus deprauatum est, vt pro quem locum Ionathas veru direxit militaribus iaculis se exercens, pro quo Aquila, & Sym. interpretati sunt lapidem: licet Sym. in alio loco pro hoc *καριμασρον,* id est ambitum, dixerit. Porro veru S. Hieron. vocat telum, vel iaculum, ad veru similitudinem factum. *Quæcumque iurauimus, &c.* *Sep.* addunt, *Erit testis,* vt perfecta sit oratio: Est enim hîc ellipsis, & reticentia mirè congruens dolentibus: hi enim multa subticent: dolor enim eis os faciesque claudit, vt verba dimidient: vnde hæc supplenda, ad illa quæ iurauimus, nempe sint rata & firma.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **S**urrexit, &c. Per iudicium prædictum. Et cadens pro-
 * 41. nus in terram adorauit, adoratione Dulæ.
 Et osculatus, &c. Ex amoris fidelitate.
 Fleuerunt, &c. Ex imminente separatione.
 Dauid. Quia non solum deserebat Ionatham, sed &
 terram, & cognationem suam.
 Adorauit tertio. Filium regis, maiorem natu amicam,
 & vitæ suæ conseruatorem.
 Dauid autem amplius. Indulsi amplius Dauid affectui
 suo. Ionathas vehementius se continuit, qui & ætate su-
 perabat, & consolatoris partes agebat, & vnicam amici
 patiebatur iacturam, non multiplicem vt Dauid, qui car-
 riturus erat amico Ionathæ, vxore etiam, & lare suo à
 Saule quæsitus ad mortem.
- LYRAN. *Quæcumque, &c.* Subintelligitur rata, & firma. Cæte-
 * 42. ra patent in littera.
- MENOC. *Quæcumque iurauimus, &c.* Firma scilicet sint, & in-


uiolata. Deficiens, & decurtata oratio presenti animorum
 commotioni valdè congruit.

Quæcumque iurauimus.] Supple, rata æternum sunt. TIRINVS
 Vis enim doloris, intercluso spiritu, plura eloquendi fa-
 cultatem ademit. Similes aposiopeses, seu reticentiæ sunt
 in Scripturis frequentissimæ, vt, *Si Dauid mentiar. Si in-*
troibunt in requiem meam. Si dederò somnum oculis meis,
 supple, perfidus habear, aut plectar, & apud profanos.
Dij vestram fidem, nempe, obtestor vel imploro. *Meher-*
cule. Mecastor. Medius fidius, subaudi amet, & iuuet. Ad-
 dunt Hebræi, Dauidem vim huius adiurationis, & fœ-
 deris hinc initi, sed postea ex parte læsi, sensisse in nepote
 Roboam. Quia enim Dauid Miphibosetho Ionathæ filio
 dimidiam hæreditatis partem citra certum ius contra pa-
 cta hinc conuenta ademit 2. Reg. 19. dissecut Deus Ro-
 boami regnum, & transtulit maiorem partem ad Iero-
 boam, ita illi.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

SYNOPSIS.

David profugus in Nobe urbem sacerdotalem, fame cogente, postulat ab Achimelech Pontifice pa-
 nes sanctificatos: & gladium Goliath, presente ibidem Doeg Idumæo. Inde apud regem Achis de-
 mentiam simulat ne pereat.

- I.**  Enit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem: & obstupuit Achimelech, eo quod venisset Dauid. Et dixit ei: Quare tu solus, & nullus est tecum? 2. Et ait Dauid ad Achimelech sacerdotem: rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris condixi in illum, & illum locum. 3. Nunc ergo siquid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inuenieris. 4. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi. Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus? 5. Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei. Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta, porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 6. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem, neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi. 7. Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen eius Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul. 8. Dixit autem Dauid ad Achimelech. Si habes hinc ad manum hastam, aut gladium, quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum, sermo enim regis vrgebat. 9. Et dixit sacerdos: Ecce hinc gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est inuolutus pallio post Ephod: si istum vis tollere, tolle: neque enim hinc est alius absque eo. Et ait Dauid: Non est huic alter similis, da mihi eum. 10. Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul, & venit ad Achis regem Geth. 11. Dixeruntque serui Achis ad eum cum vidissent Dauid. Numquid non iste est Dauid rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes. Percussit Saul mille, & Dauid decem millia? 12. Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth. 13. Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam. 14. Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? 15. An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me presente? Hiccine ingredietur domum meam?

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem: & obstupuit Achimelech, eo quod venisset Dauid. Et dixit ei. Quare tu solus, & nullus est tecum?

Pag. Et timuit, &c. & venit in occursum.

Arias. Contremuit, & vir non tecum.

Malu. Quid cognitionis tu ad solum te, & vir non ad te?

Cald. Et admiratus est: quod hoc tu in singularitate tua?

Arab. Non est vllus tecum ex militibus.

S. Marc. cap. 2. v. 26. Dauid intrauit in domum Dei, sub Abiathar principe sacerdotum.

Vulg. Et ait Dauid ad Achimelech sacerdotem, rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris condixi in illum, & in illum locum.

Pag. Pueros autem scire feci locum cuiusdam, & locum ignotum talis.

Arias. Nesciat quisquam verbum.
Caiet. Ad locum occultum & mutum.
Mala. Et excussos cognoscere feci locum Pheloni, & Almoni.
Sep. Rom. Pueris condixi in loco dicto Dei fides, Phelani Malmoni.
Alij Graeci. In loco dicto Emanim.
Reg. Et pueris testatus sum in loco dicto, Phelanni Al-

moni.
Cald. Adolescentes mihi ad locum absconditum, & custoditum.
Bibl. Antuer. Indicaui eis, quo irent ante me ad talem locum.
Arab. Pueris indicaui locum abditum, in quo se abderent, quousque redirem ad eos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

AD Achimelech sacerdotem. S. Marc. Ad Abiathar principem sacerdotum. Plerique putant Achimelech fuisse binominem, & vocatum quoque Abiathar, aut certè Abiathar filium Achimelechi cum patre suo etiam fuisse præsentem in Nobe, quando venit Dauid. Nonnulli collatis scripturæ locis arbitrantur vtrumque, & patrem, & filium fuisse binominem, patrem appellatum fuisse Achimelech, & Abiatharem, & filium quoque Abiatharem, & Achimelech. *Condixi*, Alij, *Cognoscere feci, notificavi.* Heb. ידעתי *iedaghti*. Quidam faciunt ex Pohel quadrato. Alij, ex Hiphil, vt iod sit pro he, הודעתי *hodaghti*, & notant Dauid operâ deditâ posuisse iod pro he, vt tacitè indicaret sermonem suum esse fictitium, & nihil significant tacitum, & absconditum, seu custoditum: quas significaciones expressit Cald. locus vocatur absconditus, & tacitus à loquente, quia eum exprimere non vult. *Sep. Rom.* addiderunt, *Dei fides*, quod abest ab aliis Codicibus Græcis. Vide Concord. v. i. c. 4. Ruth.

ANNOTATIONES.

Venit autem. Hic consequenter Saül Dauid persequitur, ipsum banniendo. Circa quod sciendum, quod Saül cognoscens euasisse Dauid: ipsum de regno suo expulit, & in exilium misit vt nullas auderet eum recipere, quod patet ex hoc quod sacerdotes occidit pro eius receptione vt habetur cap. 22. Istud tamen exilium ad Achimelech non peruenerat quando Dauid recepit. Sic ergo proceditur: quia primo erga Dauid describitur ipsius Achimelech beneficium. Secundo ex hoc illatum supplicium. cap. 22. Circa primum describitur ipsius Dauid curialiter receptio. Secundo periculi imminentis, euasio, ibi: *Surrexit itaque Dauid.* Primum ostenditur eò quod Achimelech dedit ipsi Dauid cibum & gladium: & interponitur Doeg potentia, ex qua secutum est sacerdotum excidium, dicitur ergo: *Venit autem*, vbi erat tabernaculum Domini, vt ibi oraret quod eum Dominus de manibus Saülis eriperet.

Ad Achimelech. Ille est qui supra vocatus est Achias cap. 14.

Quare tu solus. Non est intelligendum quod nullus esset cum eo, quia infra quæsiuit Achimelech: *Si mundi sunt, &c.* Et Matt. 12. dicit saluator: *Numquid legistis, &c.* Ex quibus patet, quod aliqui erant in comitatu suo, sed pauci respectuè, & in comparatione ad illos qui soliti erant cum eo ire, sicut dicitur communiter: nullus est in foro quando sunt ibi pauci respectu alterius temporis, quamuis sint pro tunc ibi multi.

In Nobe. Duplex est Nobe, altera trans Iordanem, quam Abulensis, & Torniellus aiunt esse in tribu Manasse. Adrichomius verò collocavit in tribu Gad: Altera est cis-Iordanem, cuius meminit Isaias c. 10. & est in tribu Benjamin. In hanc autem urbem translatum fuerat tabernaculum.

Ad Achimelech sacerdotem. Summum Pontificem, ad quem consilio venisse videtur, vt per eum de rebus suis, & quid facto opus esset, consuleret Dominum. Porro hunc Achimelech aiunt eundem fuisse cum Achia filio Achitob, filij Phinees, filij Heli. Ita D. Hier. in trad. Heb. & alij.

Tu solus & nullus est tecum. Videtur fuisse non omnino solus, cum duobus, aut tribus tantum, vt colligitur ex num. 4. vel certè, quod probabilius putat Sallianus, Dauidem sine vllò planè comite venisse ad Achimelech, socios vero habuisse in alio loco, quibus mox panes communicarit.

Ad Achimelech sacerdotem. Summum. Apparet, tum

A temporis patenti adfuisse *Abiathar* filium Achimelechi. Nam quod hic de Achimelecho dicitur, idem dicit Christus Marci 2. 26. factum ab *Abiathar* principe sacerdotum, quia iugulato mox parente ipse factus est princeps sacerdotum: & propter hunc magistratum valdè diu obtentum notior erat suo parente, ita Beda, Sallianus, Mariana, & Emanuël Sa. Nisi malis cum Ianfenio, Toletio, Salmerone, & Sanctio dicere, tam parentem, quàm filium binomium fuisse, & vtrumque nomen (vt & nunc sæpissimè fieri videmus) vsurpare consueuisse. Quod confirmatur ex 1. Paral. 15. & 18. vbi regnante Dauide dicuntur sacerdotes fuisse, nunc Sadoc, & *Abiathar*: nunc Sadoc, & *Achimelech*. Sic *Abiathar* pater huius Achimelechi, c. 22. iam seq. v. 9. v. *Achitob*.

B *Rex præcepit.* Non oportet hic excusare Dauid de mendacio officioso, sicut & dictum est cap. præc. Cætera patient vsque ibi.

Rex præcepit, &c. Beda lib. 3. in Samuëlem capite 8. agnoscit hic mendacij culpam in Dauide, tamen si postea conetur etiam verum aliquem sensum verborum Dauidis reddere, sed satis coactum. Quomodo tamen mendacium hoc, licet ex eo consecuta videatur cædes sacerdotum, non fuerit perniciosum, vide capite proximè sequenti.

Sermonem. Negotium quoddam.

Condixi in illum, &c. Iussit eos adesse certis quibusdam in locis.

Pueris condixi in illum, &c. Nihil significat certum: sed vtuntur his vocibus cum volunt indeterminatum quid significare: sicut Hispani per *fulano y zutano*: & Iurista per *Caium, & Titium*. Porro quod hic dicit Dauid, *se pueris*, seu famulis suis *condixisse in certum locum*, videtur indicare, monitos iussu Dauidis per Ionatham tres quatuorue domesticos præ cæteris fidos, vt extemplo Dauidem in urbem Nobe sequerentur, reperturi ipsum tali tempore, tali loco, atque ita conciliatur hic locus cum Matthæi 12. Marci secundo, & Lucæ 6. vbi dicitur Dauid, etiam sociis suis de sacris propositionis panibus dedisse. Nam licet solus Dauid Pontificem accesserit, quo melius res lateret, non tamen solus comedit panes, sed diuisit cum sociis. Ita Sanctus Hieronymus, Sanctus Thomas, & Maldonatus in Matthæum, Ambrosius, & Toletus in Lucam, & Abulensis, & Sanctius in hunc locum.

LYRAN.
v. 1.

LYRAN.
v. 2.

ESTIYS.

MENOC.

TIRINVS

ESTIYS

MENOC.

TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 3. ad 6.*

Vulg. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, quidquid inueneris.

Pag. Et nunc quod est sub manu tua, quinque panes da in manu mea, vel quod inuenitur.

Malu. Et nunc quid existentia sub, &c.

Cald. Quinque tortas panis.

Arab. Placentas.

Vulg. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus.

Pag. Non est panis profanus, &c.

Arias. Sed panis sanctitatis, nunc puer seruauit se vel à muliere.

Caiet. Si pueri sunt custoditi.

Malu. Non panis prophanationis, &c. si obseruati fuerint excussi à vira.

Sep. Et comedant.

Cald. Si custoditi singulariter ab immunditia mulieris.

Syr. Dummodo se seruauerint ab oblationis esum impediuntibus.

Arab. Non habeo panem, cuius licitus sit esus, sed habeo ex pane oblationis, modo tamen, &c. vasa sua quæ non conuenit inquinari eum qui accedit ad oblationem.

Vulg. Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta, porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.

Arias. Quia imo mulier prohibita nobis, &c. in exeundo me, & fuerunt vasa puerorum sanctitas, ipsa via prophanationis.

Pag. Et ipse panis amotus à mensa Domini est more panis prophani, quo vesci licitum est, & etiam quod hodie sanctificatus esset in vase, quod est supra mensam vesci licitum esset cum alium non habeas, & ego sum in necessitate constitutus.

Caiet. Et ipse via prophana, & etiam quod hodie sanctificabitur in vase.

Tigur. Mulieres quidem nobis reclusæ fuerunt, &c. & hic mos publicus est, quanto magis, sanctificatio panis hodie sanctificabitur hodie per vasa mea?

Reg. Propter vasa mea.

Cald. In veritate mulier remota, &c. fuerunt vasa pura ad sanctum, & ipse non in via profana fuit ambulans, & die hoc fuit comestus, & non prophanatus in vase.

Syr. Oblatio licita est à nobis.

Arab. Et quidem via iter facienti, non est idonea ad contrahendam immunditiam, vnde nos hodie mundi sumus, quia nemo nostrum contaminauit se concubitu, aut alia re.

Vulg. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem, neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.

Pag. Nisi panes facierum, qui remoti fuerunt, &c. in die quâ sublati sunt.

Arias. Et dedit ei sanctitatem, &c. in die qua capi ipsum.

Malu. Ad ponere panes caloris, in die accipi eum.

Sep. Rom. Panes faciei, &c. qua die cepit eos.

Arab. Dedit ei ex pane oblationis, &c. quo sublato ponebatur eius loco panis, qui coquebatur fermentatus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Si pueri mundi sunt maximè à mulieribus. Alij, Si custoditi, si obseruati. Nempe si rei vxoriæ operam non dederint. Id est, si ita sanctificationi suæ studuerint, vt ne ad vxores quidem suas accesserint. *Vasa puerorum sancta sunt.* Alij, *Pura ad sanctum*, nempe eorum corpora munda sunt ea munditie legali, quæ sacri panis esum permittit. Porro hæc via polluta est: Alij, *Ipsa via prophanationis.* Et hic mos publicus est, Alij, *Ipsa panis amotus est more prophani,* &c. Heb. 77 *derech*, id est via, sæpe sumitur pro more, vsu, & consuetudine, hac enim res teritur perinde ac pedibus teritur via sæpius reposita: Est metaphora, quasi diceret via hæc, id est mos, hic laicus immundus, & pollutus est, quod scilicet laici vescantur panibus propositionis, quos non nisi sacerdotibus ex lege comedere licet. Sed sanctificabitur in vasis, Alij, *Per vasa mea:* Quasi diceret, panis hic sanctus non polluetur, sed sancte, id est purè recipietur, in sanctis, id est puris corporibus nostris in hac graui necessitate famis, quâ etiam laicis, panibus sanctis vesci licet: scio aliter hæc posse in Concordiam reuocari, Cald. In Bibl. Reg. & Paris. habet contrarium. *Et ipse non in via polluta fecit ambulans*, ipse scilicet panis, quasi diceret, licet via, id est consuetudo hæc comedendi, scilicet panem sanctum à laicis, sit polluta, tamen hic, & nunc apud nos non erit polluta, Verum Codices Veneti, & Basil. delent *in*, non & sic planè consentit Cald. cum alijs, *Vt ponerentur panes calidi*, Heb. additur, imo & ab alijs, *in die qua sublati sunt*, id est, eodem die, quo sublatus fuerat panis qui datus est Dauidi, appositus est panis calidus iuxta legis mandatum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. 7. 4. **N**on habeo. Erant enim in triplici gradu. Aliqui dicebantur panes propositionis, qui erant liciti sacerdotibus tantum, & panes oblationis, qui offerebantur in altari holocaustorum, & illis utebantur Leuitæ. Et panes communes quibus omnes indifferenter poterant uti, & dicuntur hîc panes laici.

Si mundi sunt. Quasi diceret, possent in necessitate eis dari.

ESTIVS. *Non habeo laicos panes ad manum, &c.* Hic locus ita sonare videtur, quasi Dauid, & pueri eius, si mundi essent, licitè possent comedere panem sanctificatum, etiam extra casum necessitatis. Sed non ita est. Nam secundum legem solis sacerdotibus licitum erat vesci illis panibus propositionis, vt habetur Leu. 24. & Num. 28. Testatur hoc, & Christus in Euangelio Matth. 12. Interrogat itaque sacerdos an mundi essent? Non quin, & immundi comedere potuissent, si omnino extrema fuisset necessitas; sed vt significaret, quod homo in necessitate constitutus, quia legem aliquam plenè obseruare non potest, tamen non

debeat propterea legem illam omnino negligere. Verbi gratia, aliquis propter infirmitatem aliquam ieiunare non potest, non tamen is prorsus à lege ieiunij excusatur, sed tenetur tantum de lege adhuc præstare, quantum infirmitas permittit.

Panem sanctum. Panes propositionis.

Si mundi sunt, &c. Modestè quærit Pontifex de munditia ipsius etiam Dauidis, quamuis illius nomen non exprimat, & licet aliæ essent immunditiæ maiores secundum legem, quæ à participatione panum sacrorum arcebant, meminit tantum illius, quæ est ex congressu cum mulieribus quod magis esset communis.

Continuimus. Immunditia enim illa contracta purgabatur per transitum temporis, quia durabat tantum vsque ad vesperam.

Et fuerunt. Id est, corpora ab immunditia coitus, vel vasa hîc dicuntur ipsimet pueri.

Porro via hæc polluta est. Quod exponunt aliqui sic, quasi diceret, Dauid in via fortè aliquam immundi-

MENOC.

LYRAN.

7. 5.

tiam potuimus contrahere.

Sed & ipsa. Quasi diceret, talis immunditia excusabitur in nobis per continentiam à mulieribus prædictam. Aliter sic: *Hæc via polluta est.* Id est, hîc processus est illicitus de communi cursu, scilicet, quod detur panis sanctificatus laicis. *Sed hodie sanctificabitur in vasis.* Id est, excusabitur in nobis, propter necessitatem comedendi in qua sumus. Erant enim, vt dicunt Hebræi, valdè fatigati à ieiunio, & hoc pacto saluator hoc factum dicit esse licitum, Matth. 12. eo quod Dauid, & viri eius erant in necessitatis articulo. Cætera patent vsque ibi.

MENOC. *Fuerunt vasa puerorum sancta.* Corpora vocat vasa, vt S. Paul. 2. Cor. 4. 7. & 1. Thess. 4. 4.

Porro via hæc polluta est. Quasi dicat, in via, qua venimus immunditias contraximus legales.

Sed hæc ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Id est, panis iste erit sanctus in vasis nostris, id est, in corporibus, quia non contrahet immunditiam propter nos, qui immundi sumus, quia necessitas excusabit nos ab omni immunditia, & perinde est ac si à mundis panis iste comederetur. Ita Abulenſis & alij. Vide apud Sanchez hîc alias expositiones, & apud Salian. Scholio 13. post annum mundi 2973.

TIRINVS *Et fuerunt vasa,* Id est, corpora, *puerorum sancta,* phraſi Hebræis familiari. Sic Apostolus 1. Thess. 4. *Vt ſciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione:* id est, corpus suum. Corpora verò seruorum dicit hîc Dauid *sancta* esse, nempe ea sanctitate quam sacrificia in

A comedente requirunt, id est, nulla macula vel labe polluta. *Porro via hæc polluta est.* Nempe qua iam (licet te adhuc infcio) tendo ad Philistæos, quia speciem externam habet fugæ ad profanos, & Gentiles vti homines, sic & ritus, & religionem, quæ omnia polluta sunt. *Sed & ipsa, hæc via hodie,* seu hac vice, *sanctificabitur in vasis.* Id est, sancta & munda manebit de facto, & re ipsa in talibus vasis, seu personis, quæ non animo maligno, sed bona intentione viam hanc incunt, & numquam ad ritus, aut religionem Philistinorum deflectent, licet tutandi sui causa cogantur ad illos diuertere. Summa ergo verborum Dauidis est, nullam prorsus immunditiam in se, vel in seruis suis esse, qua merito repelli debeant ab esu panis sancti. Nam quod sacerdotes non essent, quibus solis licebat vesci illo pane, vt dicitur Leu. 24. v. 9. ex alio capite iam constabat impedimento ipsis non esse, puta propter præsentem egentiam, & necessitatem, qua aliàs præpedirentur muneri suo valdè vrgenti facere satis. Ita ferè Sanctius ex S. Hier. Abul. & Lyrano.

Dedit ei sacerdos, &c. Ex hoc Pontificis facto apparet **MENOC.** non fuisse expectandam summam necessitatem ad hoc vt **ψ. 6.** laici panibus illis, etiam si immundi essent, vesci possent. Præter panes probabile est dedisse ei Achimelechum, alia etiam cibaria, quæ vt in opulenta summi sacerdotis domo non defuerint.

Vt ponerentur panes calidi. Quod singulis fiebat Sabbatis. Leu. 24. 8. ex quibus soleret Dauid ad Achimelech die Sabbati venire.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 9.

Vulg. Erat autem ibi vir quidam de seruis Saül, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen eius Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saül.

Caiet. Retentus, &c. Doeg Idumæus, & ipse maximus.

Vatab. Qui continebat sese coram Iehoua.

Tigur. Præfectus præpotens pastorum,

Malu. Præualidus faciebus Iuh.

Bibl. Antner. Retardus.

Lucas Brug. Potentissimus seruorum Saül.

Sep. Rom. Et ibi erat vnus puerorum Saül detentus, Neesferan coram Domino, & nomen ei Doeg.

Syr. Pascens mulas Saül.

Reg. præter ultima verba, habet eadem cum Vulg.

Cald. Congregatus ante Dominum, &c. Magister pastorum.

Arab. Qui se clauferat eodie in domo, &c. vt solueret votum suum, & ipse maximus.

Author Trad. Obligatus in conspectu Dei.

Bibl. Goth. Potentissimus pastorum Saül, & pascebat mulas Saül.

Vulg. Dixit autem Dauid ad Achimelech. Si habes hîc ad manum hastam, aut gladium, quia gladium meum,

& arma mea non tuli mecum, sermo enim regis vrgebat.

Arias. Quia vasa mea non cepi, quia fuit verbum regis festinatum.

Vatab. Acceleratum.

Sep. Rom. Secundum festinationem.

Vulg. Et Dixit sacerdos: Ecce hîc gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est inuolutus pallio post Ephod: si istum vis tollere, tolle: neque enim hîc alius absque eo. Et ait Dauid: Non est huic alter similis, da mihi eum.

Pag. In valle quercus.

Arias. Ipse inuolutus veste.

Malu. Ipse est absconditus.

Sep. In valle Ela, & hic inuolutus fuit vestimento, si hunc sumperis, tibi fume.

Reg. Inuolutus post humeralem.

Cald. In plantie glandis opertus, &c. postquam quæsiuit illi in Ephod, si eum accipias, tibi accipe.

Arab. Inuolutus sudario, positus pone instrumentum oraculi, &c. dixit incomparabilis perquam optimus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Intus in tabernaculo, Alij, *Retentus, obligatus.* Heb. **לחטא** *lutah*, id est conclusus, coërcitus, detentus, obseratus, vel religione Sabbati, vel voto aliquo, vt habet versio Arab. Author Trad. sic habet. In Heb. dicitur, obligatus in conspectu Domini; obligatus idem Doeg Idumæus erat ex voto, quo se obligauerat aliquot diebus in tabernaculo Domini immoraturus, & orationi vacaturus. *Doeg Idumæus,* Alij, *Syrus.* Dicitur ergo Idumæus, quia in Idumæa habitabat: erat enim nazione Syrus, vt vult Iosephus. *Sep. Rom.* habent *detonsus Neesferan*, quod vltimum non habetur in aliis Codicibus Græc. Dicit tamen Theod. inuenisse se in dictionum Hebraicarum Interpr. valere coarctationem, & pressuram tentationis, & minarum: quare putat Doeg fuisse ab aliquo dæmone vexatum, aut aliquo correptum morbo, idcirco affedisse diuino tabernaculo.

Sermo regis vrgebat. Alij, *Fuit verbum festinatum.* Est **נחנח** *Nachnez*, quæ vox alibi non legitur, & interpretatur vrgens ad finem, properatum, arctans. *Inuolutus est pallio post Ephod.* *Cald.* *Postquam quæsiuit ibi in Ephod.* Positus ergo hic gladius in loco post Ephod, sed alter sensus est *Cald.* nempe quod gladius hic fuit oblatus Deo per oraculum, quo Dauid consulens Deum, per Pontificem indutum Ephod, in quo erant *Vrim*, & *Thumim*, vbi vellet reponi hunc gladium, ab eo audiuit illum ibi dicandum in tabernaculo. Verum est Syrum habere pascebat mulas, & *Bibl. Goth.* vtrumque. *Et erat potentissimus pastorum, & pascebat mulas Saül,* sed hoc vltimum non est in Heb. sed fortè mulas dixerunt, pro pastoribus nempe seruis, qui sicut mulæ oneribus ferendis seruiunt, sic serui.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V. 7.** **E**rat autem. Istud hic interponitur ratione prædicta. **A** **I**ntus in tabernaculo. Id est, in atrio, vbi laici admittebantur ratione oblationis, vel orationis, quia tabernaculum soli sacerdotes intrabant. In Heb. habetur, *Retentus in tabernaculo*. Obligatus enim erat ex voto ad manendum ibi aliquibus diebus ad orandum, vel offerendum, vel fortè ad vtrumque.

Potentissimus. Id est iudicum, vt dicunt Heb. (Iudices enim in veteri testamento frequenter nominantur pastores) quia per eum rex reddebat iudicia. Non est enim verisimile, quòd esset custos animalium, quia erat primus inter seruos Saül, vt dicitur c. 22. & ideo illud quod sequitur in aliquibus libris, *hic pascebat*, non est in Hebr. nec in libris correctis.

MENOC. **I**ntus in tabernaculo Domini. Putat Serarius legendum, *Tentus in tabernaculo*. Vt Heb. Græca, & Cald. indicant, quod aliqui de voto interpretantur quo se Doeg obligasset ad orandum ad tempus aliquod in loco sancto, ideoque dici Tentum in tabernaculo. Theodoretus interpretatur de malo dæmone, quo teneretur.

Idumæus. Gente Idumæus, religione Hebræus profelytus.

Potentissimus pastorum. Apud Sep. legimus eum pastorem fuisse mularum Saülis.

TIRINVS. **I**ntus in tabernaculo Domini.] Hinc colligitur, *tabernaculum Domini è Silo*, & tribu *Ephraim*, sub hoc tempus translatum fuisse in sacerdotalem urbem *Nobe* tribus *Beniaminæ*, è qua tribu ortus erat Saül. Porro excisa à Saüle vrbe *Nobe*, tabernaculum translatum fuit in *Gabaon*, vt constat ex 1. Par. 21. v. 29. & 2. Par. 1. v. 3. vnde post à Salomone translatum est in templum Ierofolymitanum, 3. Reg. 8. v. 4. Quod priusquam excinderetur à Cald. permissus est Ieremias efferre tabernaculum cum arca, & in speluncam posteris ignoram inferre, lib. 2. Mach. 2. Ita Iosephus, Ribera, Abulensis, Serarius & Sanctius, qui etiam notat, præter hoc *Mosaicum tabernaculum*, subin-

de aliud constructum fuisse ad *arcam* decorè seruandam: quod verisimiliter longè minoris molis erat, verbi gratia in domo *Abinadab*, vbi fuit arca annis 20. vt dicitur 1. Reg. 7. v. 2. & postea aliud rursus tabernaculum Ierofolymis à Dauide constructum fuit, 2. Par. 1. v. 3. & 4. (ad quod asyli causa confugerunt Adonias, & Ioab 3. Reg. 1. & 2.) manente tamen eodem illo tempore in *Gabaon* tabernaculo Mosaico.

Si habes, &c. Dauid enim dimissus à Michol per fenestram, vt dictum est supra 19. & non potuerat sumere arma sua.

Ecce hic gladius. Dicunt hic aliqui, quòd propter victoriam illam, ille gladius quo fuerat amputatum caput Goliæ, fuerat Domino consecratus. Sed hoc non videtur verum, quia talis consecratio est ad semper: propter quod res Domino consecrata non poterat redire ad communes vsus, vt dictum fuit Leu. 5. & sic Dauid non potuisset eo vti de cætero licitè. Propter quod dicendum, quod ibi fuerat positus tantum ad memoriam illius victoriæ à Deo datæ.

Ecce hic gladius. Narratur supra c. 17. Dauidem caput Philistæi attulisse in Ierusalem, arma vero eius posuisse in suo tabernaculo. Quod non est contrarium huic loco. Nam fieri potuit, & omnino credibile est, Dauidem paulo post, religione motum, eadem in tabernaculo Domini suspendisse, vt essent perpetuum monumentum prostrati diuina ope tam immanis hostis. Vnde nec petiit vt suum, sed tantum accepit vtendum, propter necessitatem, & similiter credibile est, illum ab eodem Dauide postea religiosè in tabernaculo Domini fuisse repositum.

Pallio. Tegumento.

Post Ephod. Id est, locum vbi repositum est Ephod.

Si vis tollere, tolle. Erat gladius ille Deo donatus, sed vrgente necessitate inde auferri poterat, non minus quam panes absumi.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 10. ad 16.

Vulg. Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saül, & venit ad Achis regem Geth.

Vulg. Dixeruntque serui Achis ad eum, cum vidissent Dauid. Numquid non iste est Dauid rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes, Percussit Saül mille, & Dauid decem millia?

Arias. Nonne respondebant huic in choris, &c. percussit in millibus suis, & Dauid in denis millibus?

Alij, vt vers. 7. c. 18

Vulg. Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth.

Arab. Hæc verba cum audisset Dauid, contremuit corde, multumque timuit ab Achis.

Vulg. Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam.

Pag. Mutauit sermonem suum in oculis eorum, & insanum se ostendebat in manibus eorum, & designabat in ostiis portæ, & descendere faciebat saliuam.

Arias. Mutauit sensum suum, & finxit se furere.

Isidor. Clar. Scribebat super ostia.

Caiet. Mutauit saporem suum, & insaniuit.

Varab. Et describebat.

Tigur. Immutauit habitum suum, &c. exarauitque vnguibus in valua portarum.

Maluend. Extollere sese fecit, & signauit super ianuas.

Sept. Rom. Mutabat faciem suam, & affectabat in illa die, & tympanizabat ad ostia ciuitatis, &c. & cadebat ciuitatis.

Cald. Mutauit cognitionem, &c. & stupidus factus est, &c. & lineans super valuas.

Syr. Et scedum se reddidit, & limini ianuæ insidens emittebat saliuam.

Arab. Finxit se pauidum, & colorem suum turpem, vultumque suum deformem simulans, sedit super limen ianuæ, demisit spumam saliuæ.

Vulg. Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me?

Pagn. Ecce vidistis hominem furentem.

Tigur. Vesanorum more afflictantem.

Malu. Insanire se facientem.

Sep. Rom. Virum arreptitium, correptum.

Reg. vt Vulg.

Cald. Quòd vir stultus ipse.

Arab. Vidistis vesanum.

Vulg. An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me præsentem? Hiccine ingreditur domum meam?

Pag. Deficio insanus ego, quia adduxistis hunc ad insanandum.

Arias. Super me.

Tigur. Num furiosis ego carco?

Malu. Defectus ad insaniam redactorum ego, quia venire fecistis istum?

Sep. Num indigens furentibus ego?

Cald. Ad stultizandum ante me?

Syr. Numquid sensus expers sum ego?

Arab. Num ego sum demens?

Bibl. Goth. Dimittite illum hinc, ne ingrediatur.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

M *Ut ait os suum*, Alij, *Sensum, faciem, cognitionem, gustum.* טַבַּח *tagham*, multa complectitur significata, sermonem, gustum, saporem, rationem, habitum, quæ omnia denotant ipsum plura finxisse in sermone, in gestu, in habitu, in sapore, ut insanus haberetur: *Et collabebatur*, Alij, *Insanum se ostendebat. Finxit se furere.* Verbum *חָלַל halah*, in hitpael, ut est hic, significat insanum se ostendere, immodeste, indecore se gerere: quod est collabi in manus eorum. Septuag. Nem. habent: *Antea affectabat in illa die, quæ desunt in alijs Codicibus Græcis. Et impingebat in ostia porte*, Alij, *Designabat, scribebat, exarabat, pingebat.* Verbo *תָּוַח tauah*, hæc omnia subsunt, signare, describere, scribere, pingere, exarare: unde quidam volunt Interpretem posuisse non impingebat, sed pingebat: impingebat, dixit Vulg. quia in ostia ferebatur, sicut aries cum arietat. Sep. Rom. habent *tympanizabat*, quia pro ietau videntur legisse ietot, id est tympanizabat, וְהִתְנַחֵם enim est tympanum.

Vidistis hominem insanum, Alij, *furentem, arreptitium, correptum*, scilicet à dæmone: *An desunt nobis furiosi?* Alij, *Deficio, insanus ego?* in aulis enim Principum multi sic reperiuntur. Alium sensum habent Syr. & Arab. *Num ego sum demens?* Ut simili scilicet gaudeam. Biblia antiqua habent, *Dimittite eum*, quod in alijs abest, quod tamen subintelligitur, hæc verba enim, hiccine ingredietur domum meam: sic intellige, nequaquam, sed procul hinc abigite eum, neque enim est dignus regia mea.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *S* *Vrrexit itaque David, & fugit in die illa à facie Saül, & venit ad Achis regem Geth.* Hic consequenter describitur imminentis periculi euasio in ciuitate Geth, ad quam David fugitiuus fugit, quia erat extra regnum Saülis.
- MENOC.** *Venit ad Achis regem Geth.* Credibile est diuino instinctu, aut edito per sacerdotem oraculo venisse ad regem Geth, alioqui consilium plenum periculosa alexæ, quia Philistæi omnes Dauidi inimici, & quia Gethæi potissimum post cædem Goliæ qui erat de Geth. Ita sentit Salius, sed Sanchez existimat, aut David Deum non consuluisse, aut certè nullum responsum tulisse. Nam exitus huius professionis ad Achis non fuit eiusmodi, ut illius auctorem Deum facere debeamus. Verùm quæ dicit Doeg capite sequenti num. 10. ostendunt Achimelech Deum consuluisse.
- LYRAN.** *Dixeruntque serui Achis ad eum cum vidissent Dauid. Numquid non iste est David rex terra?* Quia diu diulgatum fuerat ipsum fuisse inunctum à Samuele.
- Nonne huic cantabant per choros, dicentes. Percussit Saül mille, & David decem millia?* Percussit de Philistæis. Hæc autem dicebant ut eum detineret, & occideret. Ideo subditur.
- MENOC.** *David rex terra?* David ille inclytus, & quasi alter rex Hebræorum.
- LYRAN.** *Posuit autem David sermones istos in corde suo, & extimuit valdè à facie Achis regis Geth.* Quia non poterat credere.
- MENOC.** *Posuit autem David sermones istos, &c.* Notauit quæ de illo à Gethæis iactabantur.
- Extimuit valdè à facie Achis regis Geth.* Quia cum
- A** putaret se incognitum latere posse, consilium non prodebat. Potuit credere se à Philistæis non agnitum iri, à quibus vel habitu pastoralis olim, vel postea tantum armatus visus fuerat.
- Et immutauit os suum coram Achis.* Loquens aliena sicut insanus.
- Et collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia porte, &c.* Sicut epilepticus, unde subditur.
- Desuebantque salinae eius in barbam.* Sicut solet fieri in tali passione.
- Et impingebat in ostia porte.* Quasi innitens transire per ostia clausa. Hebraicè habetur. *Et pingebat super ostia:* Faciendo ibi quasdam figuras, sicut solent fatere fatui: propter quæ Achis eum repulit ut insanum.
- B** *Et impingebat in ostia porte, desuebantque, &c.* Hebraicè est, *designabat*, Caldaicè (*lineabat*) more scilicet stultorum, ut volunt, creta, aut carbone aliquid stultum in ostiis depingens. De quo versus vulgaris: Stultorum manus depingunt latera domus. Sed nostra versio concordat cum Septuaginta, qui habent (*cadebat.*) Et fortè vtrumque factum est, ut stultum se simulans impingeret, seu caderet in ostia, & simul eadem depingeret, vel linearet.
- Et impingebat in ostia porte.* Quasi illis clausis transi-
- ESTIUS.**
- MENOC.**
- MENOC.** *An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me presente? Hiccine ingredietur domum meam?* Non temerè David in regiam irruerat, sed alicui ex optimatibus se obtulerat tanquam militem gregarium militaturum regi. Ita inductus in regiam.
- MENOC.** *W. 15.*



CAPVT VIGESIMVMSECVDVM.

SYNOPSIS.

David sociis augetur primum in spelunca Odollam : deinde in Maspha Moab : denique in Haret Iuda. Quo cognito Saül eum querit ad necem. Sed prius manu Doeg Idumai iugulat Pontificem Achimelech, & omnes sacerdotes Nobe, præter unum Abiathar qui clam ad Dauidem profugit.

Abiit ergo Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc. 2. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo : & factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri. 3. Et profectus est Dauid inde in Maspha, quæ est Moab : & dixit ad regem Moab : Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. 4. Et reliquit eos ante faciem regis Moab : manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præsidio. 5. Dixitque Gad Propheeta ad Dauid : Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret. 6. Et audiuit Saül quod apparuisset Dauid, & viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manutenens, cunctique serui eius circumstant eum, 7. ait ad seruos suos qui assistebant ei : Audite nunc filij Iemini : numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, & centuriones : 8. Quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi renuntiet, maximè cum & filius meus fœdus inierit cum filio Isai ? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi, eò quod suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi vsque hodie. 9. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saül : Vidi, inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech, filium Achitob sacerdotem. 10. Qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei : sed & gladium Goliath Philistæi dedit illi. 11. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem, filium Achitob, & omnem domum patris eius, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui vniuersi venerunt ad regem. 12. Et ait Saul ad Achimelech : Audi fili Achitob. Qui respondit : Præsto sum Domine. 13. Dixitque ad eum Saul : Quare coniurastis aduersum me, tu & filius Isai, & dedisti ei panes, & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt consurgeret aduersum me, insidiator vsque hodie permanens ? 14. Respondensque Achimelech regi, ait : Et quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua ? 15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum ? Absit hoc à me : ne suspicetur rex aduersus seruum suum rem huiusmodi, in vniuersa domo patris mei : non enim sciuit seruus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum, vel grande. 16. Dixitque rex : Morte morieris, Achimelech, tu, & omnis domus patris tui : 17. Et ait rex emissariis, qui circumstant eum : Conuertimini, & interficite sacerdotes Domini : nam manus eorum cum Dauid est : scientes quod fugisset, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem serui regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. 18. Et ait rex ad Doeg : Conuertere tu, & irruere in sacerdotes. Conuersusque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octogintaquinque viros, vestitos Ephod lineo. 19. Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemque, & asinum, & ouem in ore gladij. 20. Euadens autem vnus filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid, 21. & annuntiauit ei quod occidisset Saül sacerdotes Domini. 22. Et ait Dauid ad Abiathar : Sciebam in die illa, quod, cum ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaret Saül : ego sum reus omnium animarum patris tui. 23. Mane mecum, ne timeas si quis quæsierit animam meam, quæret, & animam tuam, mecumque seruaberis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. I. ad 4.

Vulg. Abiit ergo Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc.
Pag. Seruauit sese in spelunca Hadullam.
Arias. Et euasit.
Sep. Et saluatus est.
Cald. Et liberatus est.
Syr. Arlam.
Vulg. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo:

& factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri.
Pag. Omnis vir angustiis affectus, & omnis vir, cui erat creditor.
Cæiet. Cui mutuator.
Malu. Omnis vir pressuræ, & cui ei obruens.
Sept. Rom. Omnis in necessitate, & omnis debitor, & omnis tristis animo.
Cald. Amictus spiritu vir, cui Dominus fœnoris.
Syr. Quilibet acerbitate pressus.

Syr. Quilibet acerbitate pressus.

Arab. Pauper.

Vulg. Et profectus est Dauid inde in Maspha, quæ est Moab: & dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus.

Arias. Abiit Misphah Moab.

Sept. In Massephat ipsius Moab.

Vulg. Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præsidio.

Pag. Adduxit eos ante regem, &c. in arce.

Arias. Munitione.

Sept. Deprecatus est faciem regis.

Cald. Manere fecit illos ante regem.

Syr. Quousque fuit in Maspha.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Omnes qui erant in angustia constituti. Alij, *Quilibet acerbitate pressus, vir pressura.* Heb. est vnica dictio מוסר, *vosche*, quæ significat pressuram, angustiam, coarctationem, torturam, denique quamlibet necessitatem urgentem. Et *oppressi are alieno.* Alij, *Et omnis vir, cui erat creditor, exactor, oppressor. In præsidio.* Alij, *In munitione illa, nempe Maspha, quæ arx erat in terra Moab, in alto sita, & munita.*

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 1.

Abiit ergo. Post beneficium à sacerdote ipsi Dauid exhibitum, consequenter describitur ex hoc sequens sacerdotum exterminium, & primò Abimelec accusatur, secundò coram rege citatur, ibi: *Misit ergo, &c.* Tertio iniuste cum suis condemnatur, ibi: *Dixitque rex.* Quarto factum ipsi Dauid nuntiatur, ibi: *Euadens autem.* Prima in duas: quia primò ponitur accusationis occasio, secundò ipsa accusatio, ibi: *Respondens autem Doeg.* Circa primum sciendum, quod occasio accusationis fuit, eo quod Dauid iam multitudinem fugitiuorum aggregauerat, & ideo timebat Saül ne potestas Dauid augetur, propter quod conquerebatur de propriis famulis quasi aliqui eorum ipsi Dauid fauerent, & eum ipsi Sauli non accusarent, dicitur ergo.

Abiit ergo. Scilicet de Geth, propter periculum quod ibi expertus fuerat.

Et fugit, &c. Locus est plenus cauernis, & rupibus, & per consequens fugitiuis aptus, & etiam in sorte Iudæ, propter quod Dauid qui erat de tribu Iuda, ad illum locum fugit securius.

Quod cum audissent, &c. Quia Saül propter Dauid eius propinquos persequebatur.

MENOC.

Speluncam Odollam. Bidui ferè itinere inde distantem. Huius speluncæ non infrequens mentio in scriptura. Iosephus ait fuisse in tribu Iuda: tempore Iosue constat eius nomine ciuitatem fuisse Iosue 12. 15. imò & tempore Iudæ Machab. 2. Mach. 12. 38.

Descenderunt ad eum. Bethleem patriam, in qua illis à Saül periculum, relinquentes.

LYRAN.

v. 2.

Et conuenerunt. Propter debita quæ non poterant soluere, vel propter inimicos quibus non poterant resistere, vel quia erant in Saulis persecutione, vel alia huiusmodi causa.

Et factus. Videtur quòd peccauerit tales recipiendo, sicut Abimelech inopes, & vagos sibi aggregando, vt habetur Iud. 9. Dicendum quod non aggregauit eos ad interficiendum innocentes, sicut fecit Achimelech ad interficiendum fratres suos, nec ad depradandum fideles, quia non legitur populum Israël depradasse, sed magis bona eorum custodiuisse, sicut habetur infra 25. de Nabal. Sed aggregauit eos ad infideles persequendum, vt habetur infra in pluribus casibus, & ad corpus proprium custodiendum contra insidias Saül, quod poterat facere in tali necessitate, maximè cum iam esset rex inunctus: propter quod in tali casu poterat solutionem debitorum prolongare, & in pluribus fori facta relaxare propter causam prædictam.

ESTIUS.

Et conuenerunt ad eum, &c. Simile quid de iis qui confugerunt ad Iephte, vide explicatum Iud. 11. Et turpe non fuit Dauidi, eos recipere qui erant oppressi are alieno, nam multi in eam necessitatem veniunt, non sua culpa, sed quia pauperes cum essent, & mutuum accipere cogentur, scènore grauati tandem foro cedebant.

MENOC.

Et conuenerunt. Non omnes hi, qui numerantur, simul conuenerunt, sed paulatim alijs alijs additi sunt, primi tamen fuerunt Dauidis fratres.

In angustia constituti. Quibus domi angusta res erat, qui vel potentium odijs, vel æqualium inuidia, vel suorum in-

Tom. IV.

A iuria domi hæere non poterant, hi enim omnes, vt hic dicitur, cum amaro essent animo, rebus nouis studebant.

Factus est eorum princeps. In quo Dauid non peccauit, nam cum à Saüle iniuste quæreretur ad necem, potuit in alieno auxilio rationem quærere expediendæ salutis, & paratis vt ad iustum ac necessarium finem.

Et oppressi are alieno.] Quo iure hoc admisit Dauid in TIRINVS præiudicium creditorum? Respondet Caietanus, eos soluendo non fuisse.

Et profectus. Hoc additur ad differentiam illius Maspha LYRAN. quæ est in terra Israël, vt habetur supra 7. c. v. 3.

Et dixit. Expositores nostri dicunt communiter, quod iste rex fuit Naas quem Saül debellauerat, vt dictum est supra 11. c. & ideo Dauid ad ipsum iuit securius, quia erat inimicus Saül. Huic autem dicto concordare videtur quod habetur infra lib. 3. c. 10. quod mortuo Naas misit nuntios ad consolandum eius filium, eò quod pater secum feterat misericordiam. Sed huic dicto obuiare videtur, quod in locis præallegatis ille Naas dicitur rex filiorum Ammon, & non Moab, & propter hoc secundum istos consequenter dicere oportet, quod idem esset rex Ammon & Moab, cuius nomen hic tacetur: sed in alijs præallegatis exprimitur. Sed quia in scriptura communiter regnum Ammon & Moab, dicuntur duo regna diuersa, ideo dicit Ra. Sa. quod iste rex Moab, ad quem iuit Dauid non fuit Naas qui erat rex filiorum Ammon, iuit tamen ad ipsum duplici de causa. Vna fuit quod Saül habebat bellum contra regem Moab, sicut & contra filios Ammon, vt habetur supra 14. Alia fuit, quia Dauid descenderat de Ruth Moabitide, vt habetur supra Ruth ult. & ideo securius fugit ibi propter cognationem ex parte matris suæ, maximè secundum illos Heb. qui dicunt Ruth fuisse filiam regis Moab, propter quod rex ille recepit Dauid, & viros eius, & posuit eos in quodam fortalio propinquo terræ Saül, de quo subditur postea.

Maspha quæ est Moab. Ita dicitur vt distinguatur à MENOC. Maspha Benjamin, vbi Samuel iudicia exercuit ante regnum Saülis.

Donec sciam quid faciat mihi Deus. Quo statu, & loco futuræ sint res meæ.

Manseruntque. Scilicet, pater & mater Dauid, & alijs de LYRAN. sua cognatione qui non poterant eum sequi. v. 4.

Cunctis, &c. Id est, in prædicto fortalio, vsque ad munitionem Gad prophætæ, Dauid cum viris suis inde recessit, vt statim subditur.

Ante faciem regis Moab. Apud regem Moab. MENOC.

In præsidio. In quo à rege Moab collocatus fuerat. Id præsidium fuisse Maspha putat Vatablus, quod esset firmissima instar arcis.

In præsidio.] Id est, in arce, loco munito, quem à rege TIRINVS Moab acceperat in finibus terræ Moab. Et fortè idem erat locus qui hic vocatur *Maspha*, id est, *specula*, sed terræ Moab, ad distinctionem alterius *Maspha* in tribu Iuda, vbi Samuel, & conuentus habuit, & iudicium exercuit, supra c. 7. Salius putat Dauidem ideo dici *in præsidio* istic fuisse, eò quod ibi à rege Saüle tutus esset, simul etiam quod Moabitas à Saüle tutaretur. Tostatus arbitratur Da-

Gg ij

uidem ibi cum suis ex præda vixisse, sicut vixit postea cum secundo ad regem Achis in Geth confugisset: excurrisse autem in vicinos Moabitarum inimicos, aduersus quos iustum ipsis bellum erat, verbi gratia, contra Arabes, Madianitas, Amalechitas, vel Idumæos.

Nota. Dum Dauid in hoc Moabitico præsidio cum suis 400. sociis moratur, ei adcurrunt alij ducenti è primis præstantissimisque bellatoribus, partim tribus Beniaminæ, partim tribus Iuda, è quibus etiam mox *Constituit principes turmarum* suarum, vt dicitur 1. Par. 19.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 8.

Vulg. Dixitque Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret.

Pag. Non mancas in arce.

Malu. Venit in syluam, &c.

Sep. Rom. Et iuit Dauid, & venit, & sedit in ciuitate Sarec.

Reg. Charec.

Cald. Non sedebis in Meszadia.

Arab. Ingressus est syluam filiquarum.

Vulg. Et audiuit Saül quod apparuisset Dauid, & viri qui erant cum eo. Saül autem cum maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique serui eius circumstarent eum.

Pag. Quod sciretur Dauid, & viri qui erant cum eo, &c. manebat sub arbore in Ramah.

Alij. In excelsio.

Sep. Rom. Sedebat in colle sub arboreto.

Syr. & Arab. Sub Amygdalo.

Vulg. Ait ad seruos suos qui assistebant ei: Audite nunc filij Iemini: numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, &

centuriones?

Arias. Ponet principes millium, & principes centenorum?

Septuag. Audite filij Benjamin, &c. statuet Chiliarchos.

Vulg. Quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi renuntiet, maximè cum & filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi, eò quòd suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi vsque hodie.

Pag. Et non est qui aperiat aurem meam, &c. aduersum me ad insidias secundum diem hanc.

Arias. Quia ligati vos omnes, &c. in excidendo filium meum, & non ægrotans ex vobis super me.

Malu. Quia colligati fuistis, &c. quia surgere fecit super me.

Sep. Rom. Quia compositi estis, &c. cum disposuerit filius meus testamentum cum Iesses, & non est qui laboret mecum.

Cald. Quia rebellastis, & non est qui doleat mihi inter vos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN saltum Haret: Alij, In syluam, quod idem est. Quod apparuisset Dauid. Alij, Quod sciretur Dauid, & viri qui erant cum eo. Quasi diceret, quod cognitum esset, & inuulgatum, quo loco forent Dauid, & commilitones eius. Sub arbore; Alij, Sub Amygdalo. Arbor enim sub qua stabat, fortè Amygdalus erat. In Rama, Alij, In excelsio. Noster, & Sep. pro nomine proprio accipiunt: Alij appellatiuè sumunt. *Coniurastis omnes*, Alij, *Ligati, rebellastis*. *כפף קאסר*, in aliquem coniurare, aduersus eum se ligare, rebellem se exhibere, significat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *V. 5.* **D**ixit Gad. Quod factum fuit, ne viri qui erant cum Dauid, quorum aliqui non erant multum stabiles in fide, propter debita, & tribulationes in quibus erant, declinarent ad idololatriam, si diu manerent in terra idololatriæ subdita, & vt patientia Dauid in persecutione Saülis magis probaretur. Ex illo verò recessu Dauid, rex Moab indignatus occidit patrem, & matrem Dauid, aliquos tamen fugientes Naas Ammonites saluauit, propter quod postea Dauid misit nuntios ad consolandum eius filium, eo quod pater fecerat istam misericordiam secum in inimicis suis, vt dicit Ra. Sa.

MENOC. *Vade in terram Iuda.* Iussus est Dauid à Domino ex Moabitarum finibus migrare, vel quod infidelis rex, aut illius proceres malum aliquod Dauidi molirentur, vel quod variis casibus vellet illum Dominus exercere, Israëlitis, qui eum sequebantur occasionem ad idola declinandi voluit eripere.

In saltum Haret. Iosephus locum hunc appellat *Sarim*, Septuaginta *Sarec*, Abulensis putat fuisse ciuitatem, quæ Mareth etiam diceretur. Adrichomius saltum Haret à ciuitate Sareth, siue Sarim, aut Saraim valdè disjungit. Nihil certi. *Venit in saltum*, quia multæ ibi latebræ, & quia non multum ea loca à finibus Philistinorum distabant.

TIRINVS *Dixitque Gad Propheta, à Deo submissus, ad Dauid: Noli manere in præsidio: vade in Iuda.*] Suspiciatur Abu-

Blenfis, cœpisse regem Moab commoliri dolum aliquem ad euertendum Dauidem, & nec opinantem tradendum in manus Saülis, vt capite innocentis fugitiui, mercaretur regis amicitiam. Ex altera parte Deum quoque voluisse Dauidem pluribus in terra Iuda casibus exercere, & in oculis omnium suorum illustriorem reddere. Forsan etiam voluit, tot Dauidis sociis occasionem præripere declinandi ad idola, & vitia Moabitarum.

Et audiuit Saül. Propter quod timuit ratione prædicta, & ideo mouit querimoniam de familia sua, quasi aliqui fauerent Dauid, & patet littera.

Filij Iemini. Beniaminitæ.

Coniurastis omnes aduersum me. De Dauide defendendo, & à periculis eripiendo licita erat coniuratio, quia Dauid innocens petebatur: de Saüle vero inuadendo fuisset iniusta: non enim ius subdito ad inuadendum principem suum quamuis iniustè se gerat.

Fœdus inierit. Videtur hoc ex suspitione diuinasse Saül, alioqui enim fœderis illius nemo erat conscius, iuxta illud: *De verbo autem quod locuti sumus ego, & tu, sit Dominus inter me, & te vsque in sempiternum*, sup. c. 20. v. 23.

Suscitauerit, &c. Iniusta, & falsa Ionathæ innocentis criminatio.

Insidiantem mihi. Et hoc falso Dauidi impingitur.

Vsque hodie. Vsque ad hanc diem pergit mihi insidiari.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 9. ad 15.

Vulg. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saül: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech, filium Achitob sacerdotem,

Sep. Rom. Respondet Doeg Syrus, qui præsidebat super mulas Saül, &c. vidi aduenientem in Nomba.

Vulg. Qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philistæi dedit illi.

Malu. Et postulauit ei in Iuh, & venationem dedit ei.
Sept. Rom. Interrogauit ei per Deum.
Reg. Et consulebat ei.
Cald. Et quæsiuit ei in dicto Domini.
Arab. Consuluit Deum de re ipsius, suppeditauit ei vestes, ac Viaticum.
Vulg. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem, filium Achitob, & omnem domum patris eius, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui vniuersi venerunt ad regem.
Sep. Abimelech, & omnes filios patris eius sacerdotes.
Vulg. Et ait Saül ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum Domine.
Sep. Ecce ego loquere Domine.
Vulg. Dixitque ad eum Saül: Quare coniurastis aduersum me, tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt confurgeret aduersum me, infidiator vsque hodie permanens?
Arias. Vt quid ligati estis?
Alij vt v. 8. & 10.
Vulg. Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua?

Pagn. Et qui pergit ad obedientiam tuam?
Arias. Recedens ad auditum tuum.
Caiet. Honoratus in domo tua.
Vatab. Clarusque.
Tigur. Inclitus.
Malu. Et grauis.
Sept. Rom. Et princeps omnis præcepti tui.
Reg. Complens.
Cald. Magister super omnem auditionem tuam.
Vulg. Num hodie cæpi pro eo consulere Deum? Absit hoc à me: ne suspicetur rex aduersus seruum suum rem huiuscemodi, in vniuersa domo patris mei: non enim sciuit seruus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum, vel grande.
Pag. Ne imponat rex quippiam.
Arias. Verbum.
Tigur. Ne imputet rem hanc.
Malu. Die profanaui ad postulare, & in Elohim profanatio mihi?
Sept. Rom. Numquid cæpi interrogare ei per Deum? Nequaquam. Ne det rex contra seruum suum verbum.
Cald. Die hoc cæpi quærere in dicto Domini?
Arab. Non concipiat talem opinionem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui assistebat & erat primus, &c. *Sep.* Qui præsidebat super mulas Saül. Vide Conc. v. 7. c. præced. *Doeg Idumæus.* *Sep.* Syrus. Vide eandem Concord. *Qui consuluit pro eo Dominum, Alij, Qui interrogauit ei per Deum,* pluries de eo diximus? *gloriosus, Alij, Honoratus, grauis.* Dictum pluries כבוד *cabod*, honorem, gloriam, grauitatem, significare. *Misit ad Achimelech, Sep. Abimelech.* Vide Concord. v. 2. c. præced. *Ne suspicetur aduersus seruum suum rem.* *Alij, Ne imponas, ne concipias opinionem talem,* non enim tibi fidem debitam prodidi.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **R**espondens autem. Posita occasione accusationis, hæc consequenter ponitur accusandi actus, cum dicitur. *Vidi inquit.* Non nominauit eum proprio nomine, tanquam indignum nominari, volens in hoc placere Saüli: Accusat enim Achimelech: ex consequenti dicitur.
LYRAN. *Qui consuluit.* Dicunt aliqui quod iste mentitus fuit, sicut relatores solent plus dicere, quam sit in veritate, contrarium tamen magis videtur verum, vt postea dicitur.
LYRAN. *Misit ergo.* Hic consequenter ponitur ipsius Achimelech cum suis citatio, & patet litera vsque ibi.
MENOC. *Audi fili Achitob.* Nullo compellat honorifico nomine contumeliæ causa, sic & Dauid filius Isai appellatur num. 7. 9. & 13.
LYRAN. *Respondensque Achimelech.* Ad declarandam suam innocentiam.
Et quis, &c. Quia negocia sibi iniuncta à rege fideliter fecerat.
Et gener regis. Et per consequens est ei sicut filius.
Et pergens. Promptè se exponendo omnibus periculis pro te, & regno tuo.
Et gloriosus, &c. Id est, honorabilis pro omnibus. Vnde & in mensa solitus erat sedere immediatè iuxta regem, vt habetur supra 20. quasi diceret: Necessè fuit in pluribus articulis propter prædicta, quod iam diu est vt pluries consuluerim pro eo Dominum: ideo subditur.
LYRAN. *Num hodie.* Quasi diceret, si hodie cæpisssem consulere Dominum, & non ante, posses me habere suspectum. Illi autem qui tenent Doeg supra falsum dixisse, dicunt. *Num*

A hodie cæpi? Id est, nec nunc, nec aliàs consului pro eo Dominum, sed prior expositio magis concordat literæ præcedenti.
Absit hoc. Scilicet quod coniuratim in aliquo contra te, vnde subditur.
Non enim. Sed istud videtur repugnare ei quod dictum est, quod consuluit pro eo Dominum, & si consuluit, verisimile est, quod sciuit de fuga eius à facie Saül, & sic negotium sciuit: Dicendum quod Dauid dixit tantummodo verbis generalibus quod periculum sibi imminerebat, & quod consuleret Dominum vt oraret pro eo, & per hoc Achimelech scire non potuit, quod Dauid fugeret à facie Saülis, quia frequenter ipsi Dauid, aliunde pericula imminerebant.

B *Num hodie, &c.* Non negat sacerdos se Dominum pro Dauide consuluisse, sed magis fatetur, & id quidem sæpè pro eo fecisse, quando erat contra hostes populi pugnaturus ex mandato regis. Versio Vatab. habet; *Num hodie primum, &c.* Negat autem sacerdos se in eo peccasse, dicens: *Absit hoc à me,* scilicet respiciens ad verba Saülis, quibus dixerat; *Et consuluisti pro eo Dominum, &c.* Hoc enim falsum erat, & confinxerat hæc Saül de corde suo, vel fortè etiam Doeg hoc corde eius instillauerat, cum dixit signanter (pro eo.) Quicquid est, Achimelech sufficienter se excusabat, subiiciens; *Non enim sciuit seruus tuus, &c.* Sed nihil ei hoc profuit contra calumniam, & tyrannidem.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 19.

Vulg. Dixitque rex: Morte morieris Achimelech, tu, & omnis domus patris tui.
Vulg. Et ait rex emissariis, qui circumstabant eum: Conuertimini, & interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid est: scientes quod fugisset, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem serui regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.
Pag. Dixit rex cursoribus.
 Tom. IV.

Malu. Circumgyrate, & mori facite, &c. & non auerunt admittere manum suam.
Sep. Addicite, & interficite.
Cald. Non voluerunt extendere manus ad exercendum potestatem in sacerdotes.
Vulg. Et ait rex ad Doeg: Conuertere tu, & irruere in sacerdotes. Conuersusque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octogintaquinque viros.
 Gg iij

vestitos Ephod lineo.
Malu. Dixit Doegio: Circumgyra tu.
Sep. Rom. Interfecit in die illa trecentos, & quinque viros, omnes portantes Ephod.
Theod. Quinquaginta & trecentos.
Reg. vt Vulg. Irrue tu ad potestatem exercendam, &c. qui idonei ad vestiendum Ephod byssi.
Ioseph. Trecentos octuagintaquinque.
Arab. Ferentes vas oraculi, & induentes vestitum sacer-

dotum.
Vulg. Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & paruulos, & lactantes, bouemque, & asinum, & ouem in ore gladij.
Syr. Quapropter dedit illi ciuitatem sacerdotum, qui trucidauit acie gladij, &c.
Arab. Iussit etiam illi, vt occideret omnes, qui erant in ciuitate.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Conuertimini, Alij, *Circumgyrate.* Ne scilicet vllus euadat. *Ait rex ad Doeg.* Heb. hic & deinceps augetur Doeg vna littera iod, *דוּגִיב* *Doiegh,* ad indicandam, inquit Malu. impiam eius, & sacrilegam malignitatem, quæ omnis atrocitatis, & crudelitatis summa, & caput esse videtur. *Interfecit 85. viros,* Alij, 305. 385. Fortasse de omnibus qui erant è cognatione Achimelech, composuerunt ex illis, nempe qui cum Achimelech, ad regium imperium venerant, & qui ex eadem cognatione in sacerdotali ciuitate remanserant. Porro illi viri honoris gratiâ Pontificem comitati sunt. *Vestiri Ephod lineo,* aut certè vestiti dicuntur, quia aut iure poterant, aut soliti ante fuerant lineum illud indumentum portare, vnde Cald. *Et qui idonei erant ad vestiendum Ephod byssi.*

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ET** ait rex. Ra. Sa. dicit, quòd isti fuerunt Abner, & Amasa, qui mittebantur ad regni negotia. **A** dulantium, & ne videretur immerito Abimelechum detulisse.
- Ψ. 17.** *Noluerunt.* Sciebant enim, quod non erat obediendum regi in illis, quæ sunt contra Deum: & hoc acceperant, vt dicit Ra. Sa. ab eo quod dicitur Iosué 1. *Sicut obediuimus in cunctis Mose, ita obediemus, &c.* Id est, illis in quibus voluntas tua est concors voluntati diuinæ; tibi obediemus, & non in alijs.
- MENOC.** *Emissariis.* Cursores vocantur in Hebræo, & Græco textu, Satellites, & stipatores regis.
- LYRAN.** *Et ait rex, &c.* Iste non fuit Iudæus natione, sed Idumæus, conuersus ad Iudaismum: & ideo non in tantum horruit interficere sacerdotes, sicut alij: verumtamen non fuit solus, quia non posset tot homines interficere, & ciuitatem destruere, nisi fuissent plures mali secum.
- Ψ. 18.** *Vestitos.* Venerant enim ad regem in vestibus, in quibus ministrabant ante Deum, vt magis flecterent animum eius iratum.
- ESTIUS.** *Conuersusque Doeg, &c.* Nonnulli ex postremis illis verbis putant istos sacerdotes omnes in habitu sacerdotali accessisse mitigaturos hac ratione iram regis. Sed contra est, quod ex historia satis apparet, eos non præsciuisse, quam ob causam à rege accerferentur. Vnde probabilius dicitur, quod illud (*indutos Ephod lineo*) adiectum sit exaggerandi sceleris causa, & sensum esse; videlicet tales omnes qui aliquando induti fuissent Ephod, & iam ætate maturi, sacerdotium administrare cœpissent. Non enim nisi certa ætate admittebantur ad exercitium sacerdotij. Sed tamen prima sententia quoque non est improbabilis, poterant enim suspicari se causa Davidis accersiri; Vel etiam dici potest, quod existimarint sibi coram rege non esse comparandum, nisi in ornatu sacerdotali, idque honoris, & reuerentiæ causa.
- MENOC.** *Conuersusque Doeg, &c.* Paret regi impius Doeg more a-
- TIRAN.** *Trucidauit octogintaquinque, &c.* Id est, sacerdotes vel Leuitas: nam tales soli ordinariè gestabant *Ephod lineum*, de quo vide Exod. 28. Et licet extra locum tabernaculi, non solerent indui vestibus in quibus Deo ministrabant, vt docet Abulensis & alij: videntur tamen seu Ephod, seu alba tunica illa linea, quam sub alijs sacerdotalibus vestibus indutam habebant in tabernaculo, extra illud subinde etiam in publico vsu fuisse, maximè cum paulo decentius prodire vellent, vt iam prodibant, cum summum Pontificem ad palatium, & thronum regium comitarentur.
- B** Notanda verò mirabilis sacerdotum horum patientia, qui neque aduersus impia tyranni mandata vel linguam acuerint, vel aduersus perfidum proditorem Doeg, cum is solus gladium in eos stringeret, ipsi num. 85. ne vel manum vnã sui tutandi causa extenderint: sed tanquam sacræ Deo victimæ pro Davidis innocentia, iugulum vltro carnifici præbuerint. Vnde & S. Bacharius non dubitat hos sacerdotes in Martyrum numerum referre. Sed altius etiam oculi diuinam prouidentiam hinc considerent, quæ tyrannidem Saülis ita sæuire permisit in innoxios, vt tamen eo ipso puniret peccata nocentis Heli, & Ophni, & Phinees parentum illorum, iuxta vaticinium Prophetæ supra c. 2. v. 31. *Præcidam brachium tuum, &c.*
- LYRAN.** *Nobe.* Scilicet de mandato Saül. In quo apparet magna crudelitas in vastatione tot bonorum, & in iugulatione tot innocentium. **Ψ. 19.**

VARIETAS LECTIO NVM à Vers. 20. ad 23.

- V**ulg. Euadens autem vnus filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad David.
- Sep.* Et saluatur filius vnus.
- Vulg.* Et annuntiauit ei quod occidisset Saül sacerdotes Domini.
- Vulg.* Et ait David ad Abiathar: Sciebam in die illa, quòd, cum ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaueret Saül: Ego sum reus omnium animarum patris tui.
- Pag.* Ego causam præbui, quòd interficeretur omnis homo familiæ patris tui.
- Caiet.* Ego conuerti in omnem animam domus.
- Malu.* Ego circumgyraui in omni anima domus, &c.
- Sep. Rom.* Ego fui causa animarum domus, &c.
- Cald.* Occasio fui ad delendum.
- Arab.* Ego peccaui in omnes animas.
- Vulg.* Manè mecum, ne timeas, si quis quæserit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis.
- Pag.* Quia custoditus eris penes me.
- Arias.* Quia custodia tu.
- Malu.* Quia obseruatio tu coactans mihi.
- Sept. Rom.* Vbicumque quæram animæ meæ locum, quæram & tuæ.
- Arab.* Ego verò habeo custodem à Deo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ego sum reus omnium animarum, &c. Alij, Ego conuerti in omnem animam. Conuerti, subaudi gladium Saülis vt uerteretur in totam familiam patris tui. Alij, Circumgyraui in omni anima, Id est, causam & occasionem deuolui in omnem animam, id est, in omnem vitam. Notant Hebræi peculiarem esse Phrasim quâ causa, & occasio alicuius rei significatur, nam sicut *אֶפְרַיִם* ophan rota, ita similiter circulus pro causa & occasione usurpatur: Vnde Pag. vertit. Ego causam præbui. Cald. Ego occasio fui. Sept. Ego fui causa animarum, subintelligunt mortis. Mecum-que seruaberis. Alij, quia custodia tu, quod nomen substantiuum custodia magnam vim habet, nempe quòd ne dum seruatus, & custoditus eris apud me, sed eris ipsamet custodia, id est quàm diligentissimè & securissimè custoditus.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **†.10.** **E**uadens Hic consequenter ponitur huius facti denuntiatio ipsi Dauid per ipsum Abiathar, qui effugerat, vt per ipsum Dauid turaretur, propter quem domus patris sui destructa fuerat.
- MENOC.** **†.23.** **E**uadens autem, &c. Vel fuga satellitum manus effugit, vel domi remanserat, vt aliquis esset, qui sacra curaret, quamuis supra num. II. Omnes uenisse dicantur, hoc est, quotquot adesse potuerant.
- LYRAN.** **†.22.** **E**t ait, &c. Sciebam. Hic ponitur scire improprie coniecturare, vel timere, non tamen reuelauit hoc Achimelech, quia de futuro contingenti certitudinem non habebat: & quia si fecisset, sibi periculum imminere: quia fortè per Sacerdotes fuisset retentus, & Saüli traditus: ipse autem magis debebat præcauere proprio periculo, quàm alieno. Si autem quæretur quare Doeg non detinuit eum, & quare non vocauit ad hoc adiutorium sacerdotum, dicendum, quòd ex voto fuerat pluribus diebus in loco tabernaculi causa orationis, vel ad discendum legem, vt dicunt Hebræi, propter quod ignorabat modum recedendi ipsius Dauid à Saüle, & quòd fugeret ibi exul.
- ESTIVS.** **E**go sum reus omnium animarum patris tui. Quæritur qua ratione reus? An fortè hoc à Dauide dictum secundum illud Gregorij; Bonarum mentium est, ibi etiam agnoscere culpam, ubi culpa non est? Fortè enim metuebat, ne sua aliqua imprudentia dedisset occasionem huius cædis. An dici potest, quod verè se reum & culpabilem agnouerit? quia cum videret ibi Doeg Idumæum hominem ex alienigenis, non debebat, illo saltem præsentem, petere à sacerdote oraculum & gladium, sed hæc occultissimè? Fortè etiam reum se dicit tantum, quia factum ipsius licet planè innoxium, & inculpatum, occasio fuit huius cædis regi, odio contra eum inflammato.
- A** planè persuadebam.
- MENOC.** **†.23.** **S**i quis quaesierit animam meam, quaeret & animam tuam. Contrarium videtur dicendum fuisse, nimirum si quis quaesierit animam tuam, quaeret & meam, quasi dicat: Ego coniciam in discrimen vitam meam pro salute tua. Erimus anima vna vt non possit alterutrum sine altera periclitari.
- B** **E**t ait Dauid, Ego sum reus omnium animarum patris tui.] eò quòd ex me licet infcio & innocente sumpsit Saül occasionem cædis illorum. Ita insinuant Hebræa, Chaldæa & Septuaginta. Bonarum mentium est, inquit S. Gregorius, ibi culpam agnoscere ubi culpa non est. Cùm enim nullam ex rei natura fat idoneam vel Saüli, vel Doego, vel illi mortalium causam, tam crudeliter sæuendi dedisset Dauid; nullam tamen vel vocem iracundiorem in quemquam illorum tyrannorum immittit, sed sibi soli, qui tamen non nisi per accidens, & profus innocenter occasio fuisset, culpam omnem adscribit.
- B** Nota, iugulatis omnibus sacerdotibus familiae Ithamaris, iure propinquitatis summum sacerdotium deuolutum tunc fuisse ad Abiathar filium Achimelechi. Sed quia is æquè exosus erat Saüli, & iam fugerat ad Dauidem, probabile est quod ait Abulensis, Saülem hanc dignitatem restituisse familiae Eleazari, primogeniti Aaronis; & summum Pontificem constituisse Achitobum patrem Sadoc. Qui mortuo Saüle receptus quidem est à Dauide in gratiam, sed in Pontificatu non est permittus, nisi Vicariam operam in Gabaon præstare Abiatharo, qui perpetuò cùm Dauide Ierosolymis apud Arcam mansit: donec à Salomone exauctoratus successorem accepit eundem Sadoc, qui sibi Vicarius ante fuerat. Patent hæc ex 1. Paralip. 12. & 16, & 29.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS.

David liberat Ceilam à Philisthæis obsessam: & ne prodatur Saüli à Ceilanis, profugit in desertum Ziph: ubi à Ziphæis proditur, & verò captus fuisset à Saüle, nisi is propter subitam Philistæorum irruptionem, copias suas inde abducere coactus esset.

1. **E**t annuntiauerunt Dauid, dicentes: Ecce Philistiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas. 2. Consuluit ergo Dauid Dominum, dicens: num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis. 3. Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum: Ecce nos hinc in Iudæa consistentes timemus: quanto magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum? 4. Rursum ergo Dauid consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philistæos in manu tua. 5. Abiit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnavit aduersum Philistæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ. 6. Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, ephod secum habens descenderat. 7. Nuntiatum est autem Sauli quod venisset Dauid

in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus urbem in qua portæ & seræ sunt. 8. & præcepit Saul omni populo vt ad pugnam descenderet in Ceilam: & obsideret Dauid, & viros eius. 9. Quod cum Dauid rescisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica ephod. 10. Et ait Dauid: Domine Deus Israël, audiuit famam seruus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat urbem propter me: 11. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israël indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet. 12. Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. 13. Surrexit ergo Dauid & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatumque est Sauli quod fugisset Dauid de Ceila, & saluatus esset: quam ob rem dissimulauit exire. 14. Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus in manus eius. 15. Et vidit Dauid quod egressus esset Saul, vt quæreret animam eius. Porro Dauid erat in deserto Ziph in silua. 16. Et surrexit Ionathas filius Saul, & abiit ad Dauid in siluam, & confortauit manus eius in Deo: dixitque ei. 17. Ne timeas: neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero, tibi secundus, sed & Saul pater meus scit hoc. 18. Percussit vterque fœdus coram Domino: mansitque Dauid in silua: Ionathas autem reuersus est in domum suam. 19. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutissimis siluæ, in Colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? 20. Nunc ergo, sicut desiderauit anima tua vt descenderes, descende: nostrum autem erit vt tradamus eum in manus regis. 21. Dixitque Saul: Benedicti sitis à Domino, quia doluistis vicem meam. 22. Abite ergo, oro, & diligentius præparate, & curiosius agite, & considerate locum vbi sit pes eius: vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callidè insidiet ei. 23. Considerate, & videte omnia latibula eius, in quibus absconditur; & reuertimini ad me ad rem certam, & vadam vobiscum. Quod si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda. 24. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem & viri eius erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Iesimon. 25. Iuit ergo Saul & socij eius ad quærendum eum; & nuntiatum est Dauid, statimque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon: quod cum audisset Saul, persequutus est Dauid in deserto Maon. 26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna: Dauid autem & viri eius erant in latere montis ex parte altera: porro Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul: itaque Saul & viri eius, in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, vt caperent eos. 27. Et nuntius venit ad Saul, dicens, Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philistiim super terram. 28. Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philistinorum: propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. I. ad 6.

Vulg. Et annuntiauerunt Dauid, dicentes: Ecce Philistiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas.
Malu. Ecce cædentes in keghilah, & ij diripientes.
Tigur. Horrea.
Sept. Rom. Et ipsi diripiunt, & conculcant area.
Arab. Depopulantur.
Vulg. Consuluit ergo Dauid Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philistæos istos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philistæos, & Ceilam saluabis.
Pag. Et interrogauit Dominum.
Malu. Postulauit in Ihuh.
Cald. Quæsiuit in dicto Domini.
Vulg. Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum: Ecce nos hîc in Iudæa consistentes timemus: quanto magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philistinorum?
Malu. Ad ordinationes Philistim.
Sept. Rom. In spolia alienigenarum ingrediemur.

Reg. Aduersus valles.
Vulg. Rursum ergo Dauid consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge & vade in Ceilam: ego enim tradam Philistæos in manu tua.
Cald. Audiuit orationem eius Dominus.
Vulg. Abiit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnavit aduersum Philistæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ.
Pag. Duxit pecudes eorum.
Arias. Acquisitiones.
Arab. Et trucidauit ex eis cæfos multos.
Vulg. Porro eo tempore quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, Ephod secum habens ascenderat.
Malu. Ephod descendit in manu eius.
Cald. Et Ephod inciderat.
Cald. Ephod descendere fecit.
Arab. Habebat in manu sua vas oraculi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ephod secum habens descenderat. Alij, Ephod descendit in manu eius. Vnde aliqui putant venisse Abiatharem non ipso Ephod vestitum, sed portantem in manu. Alij vertunt, Et Ephod inciderat, Id est inquit, fortè fortuna & non dedita opera secum detulerat & posuerat inter sarcinas suas, sed sensus legitimus est, Abiathar venisse ad Dauidem portantem vestem Pontificalem, in qua erat Ephod cum Vrim & Thummim, vt patre Achimelech iam occiso in Pontificatum succederet, ac Deum pro Dauide, per Ephod consulere.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**t annuntiauerunt Dauid. Postquam Saul persecutus fuerat Dauid exilio, hîc consequenter eum persequitur, multipliciter insequendo, & quia Deus facit cum tentatione prouentum, Ideo circa hoc primò ponitur con-

tra Dauid duplex insultus. Secundò triplex prouentus ca- A
pitate 24. Circa primum Saül persequitur Dauid, primò in
ciuitate, secundò in deserti vastitate, ibi: *Et vidit Dauid.*
Prima in tres, quia primò Ceila per Dauid protegitur,
secundo in ea contra Dauid obsidio disponitur, ibi: *Nun-*
tium est autem Sauli. Tertio Dauid Dei reuelatione eri-
pitur, ibi: *Quod cum rescisset.* Circa primum dicitur.
Et annuntiauerunt, Scilicet viri de Ceila imminens eis
periculum.

MENOC. *Ceilam.* Urbem Iudæ octauo lapide distantem ab He-
bron, septimo ab Eletheropoli, vt ait S. Hieron. in lo-
cis Hebraicis, & Adrichom. in topographia Iudææ n. 78.

Diripiunt areas. Septuaginta significant conculcasse a-
reas. Causa hostilis irruptionis vetus gentis odium in He-
bræos.

MENOC. *Consuluit Dominum.* Per Prophetam vt ait Iosephus,
nam Abiathar nondum ad eum venerat, quæ enim supe- B
riore capite narratur, per prolepsin dicuntur, & Abia-
thar venit ad Dauidem, cum hîc esset Ceila, vt patet ex
numero sexto sequenti.

Ecce nos. Quasi dicant: si ierimus ad bellandum contra
Philistæos, audiet Saül, & sic dato quòd vicerimus Phil-
stæos, oportebit nos pugnare contra Saülem, & non po-
terimus propter laborem belli præcedentis.

MENOC. *In Iudæa timemus, &c.* Quasi dicat, hîc in media tribu
Iuda, procul à Saüle, procul à Philistæis positi, timemus
tamen, quanto magis si viciniora hostibus loca, imò iam
ab illis obfessa adierimus?

TIRINVS. *Ecce nos hîc in Iudæa consistentes timemus.* Arma nempè,
& Philistæorum, & regis Saülis: quanto magis si ierimus
in Ceilam? Dices, Etiam in Ceila erat oppidum tribus

Iuda, octauo milliari ab Hebron, septimo ab Elethero-
poli, teste libro Iosue, sancto Hieronymo, & Adricho-
mio. Respondeo, erat, sed in finibus terræ Iuda. Vnde
non opponuntur hîc loca quasi in diuersis sita tribubus,
sed quia periculis diuersis exposita. Quasi dicant: Hic in
media Iudæa procul à Saule, procul à Philistæis positi, ti-
memus tamen utrosque: quanto magis si viciniora utro-
rumque hostium istorum exercitibus loca adierimus? nam
Philistæi iam obsident Ceilam: & copiarum Saülis eò mox
ad urbem tutandam aduolabunt.

Rursum. Non quia dubitaret de victoria, cum iam super LYRAN.
hoc habuisset diuinum responsum; sed vt ex duplici res- V. 4.
ponso diuino, viri sui essent confortati, & parati ire cum
eo.

Rursum consuluit Dominum. Vt omnem metum, & du- MENOC.
bitationem suis eriperet. Sic olim Gedeon in gratiam mil-
litum suorum signum sibi in vellere germinari postula-
uit.

Et pugnanit aduersum Philist. Eos debellando. Ideo sub- LYRAN.
ditur. V. 5.

Et abegit iumenta. Quæ adduxerant Philistæi ad portan-
dam in terram suam blada, & alia bona Hebræorum.

Saluauit habitatores Ceile. Soluta obsidione.

Porrò eo. Istud subditur ad respondendum quæstioni ta- MENOC.
cita: qua dictum est, quod Dauid bis consuluit Domi- LYRAN.
num: ideo posset quæri per quem, & quomodo. Et re- V. 6.
spondetur hîc quòd per Abiathar sacerdotem, qui fugiens
ad Dauid secum apportauerat Ephod: quæ est vestis sum-
mi sacerdotis, in qua erat rationale iudicij, in quo appa-
rebat responso Domini, prout dictum fuit Exod. 28.

Ad Dauid in Ceilam. Vide dicta num. 2. MENOC.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 7. 8. & 9.

Vulg. Nuntiatumque est Saüli, quod venisset Dauid
in Ceilam, & ait Saül, Tradidit eum Deus in ma-
nus meas, conclususque est, introgressus urbem in qua
portæ & feræ erant.

Pag. Quia clausus est in ingrediendo urbem portarum &
vectis.

Arias. Alienauit eum in manu mea.

Malu. Nothificauit eum Elohim, &c. ad venire in vrbe
ianuarum & transfugitorij.

Sept. Rom. Reddidit eum.

Cald. Quia traditus est vt intraret urbem.

Syr. Comprehenus est.

Vulg. Et præcepit Saül omni populo, vt ad pugnam def-
cenderet in Ceilam, & obsideret Dauid & viros eius.

Arias. Ad angustiam Dauid.

Caiet. Ad illaqueandum.

Malu. Audire fecit Saül omnem populum castroni.

Sept. Ad comprehendendum Dauid.

Vulg. Quod cum Dauid rescisset, quia præpararet ei Saül
clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem, Applica
Ephod.

Pag. Quod tacite cogitaret malum.

Arias. Quod tacens malum.

Vatab. Quod machinaretur.

Malu. Cessans malum.

Sept. Rom. Et cognouit quia non tacet de eo Saül mali-
tiam de eo.

Reg. Tacebat de eo malum.

Cald. Quod super ipsum insidiaretur malum.

Arab. Quod meditatus est contra ipsum perniciem,

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tradidit eum in manu mea. Alij, Alienauit, nothum fecit, vel nothificauit: נִכְרַן niccar, in Pihel varia significat,
nempe occultauit, conclusit, tradidit, alienauit; nam quòd traditur, alienatur. Malu. vertit. Nothum fecit,
id est, inquit, tanquam nothum, ac spurium, & ignobilem Deus in manu mea posuit. In qua porta &
fera. Alij, In vrbe ianuarum transfugitorij, id est, urbem clausam & munitam ferris, & vectibus; Quia præpa-
raret ei clam malum: Alij, Tacite cogitaret, machinaretur, &c. Participium מַחֲרִישׁ macharisch, variè reddi-
tur, machinans, moliens, intendens malum, cogitans malitiam, dicitur clam, quia licet fortè bellum specie para-
retur, & voce præconis, publicaretur ad liberandam Ceilam, re ipsa verò & animo Saüli ad opprimendum Dauid. Sept.
Rom. Habent, Quia non tacet malitiam. Sed Reg. Tacebat de eo malum. Sed lectio Sept. Rom. ita intelligenda,
quòd non taceret amicis suis consilium de perdendo Dauide, sed tacebat alijs, qui certiores possent reddere Da-
uidem.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **N**untiatum. Hic consequenter ponitur dispositio ad C
V. 7. **N**obsidendum Dauid in Ceila, per Saül & viros eius.
Et patet littera.

MENOC. *Tradidit eum Deus in manus meas.* An putat Saül sibi
Deum fauere? nam phrasîs Hebraica tantum significat:
Incidet Dauid in manus meas.

In qua porta & fera sunt. Quas claudi, & custodiri iu-
bebo.

LYRAN. *Quod cum Dauid.* Hic consequenter ponitur exce-
V. 9.

ptio Dauid, cum dicitur: *Quod cum.* Per exploratores
suos, eò quòd semper de Saüle timebat.

Dixitque ad. Id est, induere veste Sacerdotali ad consu-
lendum Dominum.

Applica Ephod. Indue Ephod quo modo solebant sum- MENOC.
mi sacerdotes cum in Vrim, & Thummim Deum consu-
lere dicebantur, eoque applicato ad corpus Pontificis
Deus interrogabatur, respondebatque.

Cum Dauid rescisset, quia præpararet ei Saul clam ma- TIRINVS

lum.] Quomodo clam, cum vniuersum Israël arma-
ret in Dauidem? Respondeo, intentio Saülis clam erat
aliis & occulta. Nam vulgò præ se ferebat Saül, se ar-

ma sumere contra Philistæos: re verò ipsa contra Da-
uidem ibat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 10. ad 14.

Vulg. Et ait Dauid, Domine Deus Israël audiuit fa-
mam seruus tuus, quod disponat Saül venire in Cei-
lam, vt euertat urbem propter me.

Pag. Audire audiuit seruus tuus ad funditus perdere in
transitione mea.

Sept. Ad corrupendam ciuitatem propter me.

Vulg. Si tradent me viri Ceilæ in manu eius? & si descen-
det Saül, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Is-
raël indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet.

Pag. Nunquid maiores Cheilah tradent me?

Malu. An me claudent potientes keghilah?

Alij. Domini.

Sept. Nunquid concludetur? & dixit Dominus, concludetur.

Cald. Cogitat descendere.

Vulg. Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros
qui sunt mecum, in manus Saül? Et dixit Dominus:
Tradent.

Vulg. Surrexit ergo Dauid & viri eius quasi sexcenti, &
egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti; nun-

tiumque est Saüli quòd fugisset Dauid de Ceila, &
saluatus esset: quam ob rem dissimulauit exire.

Pag. Ambulauerunt, quo ambulauerunt.

Malu. Et ambulare se fecerunt secundum quod ambu-
lare se facient.

Sept. Et omisit exire.

Reg. Et dimisit vt exiret.

Cald. Iuerunt in locum, qui idoneus ad eundem & de-
tentus ab exeundo.

Vulg. Morabatur autem Dauid in deserto in locis fir-
missimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in mon-
te opaco: quærebat eum tamen Saül cunctis diebus: &
non tradidit eum Deus in manus eius.

Pag. Mansit in munitionibus.

Sept. Rom. Et sedit in Maserem in deserto, in angustiis &
sedit in deserto in terra æstuosa.

Symm. Refugiis.

Cald. Et sedit in præsidio.

Arab. In solitudine Masroth.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Viri Ceila. Alij, Domini, Maiores **בגהלה** baghale. Huc atque illuc vagabantur incerti. Alij, *Ambulauerunt,*
quo ambulauerunt, nescientes scilicet quo tenderent: *Dissimulauit exire,* Alij, *Omisit, dimisit exire.* Saul co-
gnita Dauid fuga. *In locis firmissimis.* Alij, *In munitionibus.* Propter scopulorum asperitatem, & loca con-
fragosa. *Et in monte solitudinis Ziph.* Sept. Rom. *Et sedit in deserto in monte Ziph.* In terra æstuosa, sed Reg. vt *Vulg.*
Illud enim desertum ardores solis vehementissimos excipiebat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **ET** ait Dauid. Scilicet per Sacerdotem Dominum A
consultentem.

V. 10. *Vt euertat propter me urbem.* Si illi de ciuitate noluerint
me ei tradere.

MENO C. *Ait Dauid, Domine Deus, &c.* Putat Lyranus ver-
ba propositæ quæstionis à sacerdote Dominum con-
sultente fuisse prolata nomine Dauid. Abulensis ab ip-
so Dauide dicta existimat, vt textus sacer indicat, cum
hoc nihil habeat absurdi, & alioqui etiam Dauid Prophe-
ta fuerit.

LYRAN. *Si tradent.* Vt præcaueant ciuitati suæ. Licet istæ duæ
V. 11. interrogationes sint scriptæ immediatè absque responsio-
ne media, non tamen sic fuerunt factæ: Sed habito res-
ponso de prima, scilicet de aduentu Saul, facta fuit se-
cunda de traditione Dauid.

Et ait Dominus. Id est, si manseris in ciuitate, descen-
det: quia non venit illuc, vt postea habetur, quia Da-
uid inde recesserat.

ESTIV S. *Si descendet Saul? Descendet. Si tradent me viri Ceila?* B
Tradent. Quæritur quomodo hæc oracula Dei vera sunt,
cum ex consequenti narratione historiarum liqueat neutrum
factum? Soluitur hæc quæstio duobus modis, secundum
quod duobus modis accipi potest intentio consulentis,
Nam Dauid non quærebat, quid absolutè futurum esset,
alioqui frustra fugisset. Nam fugiendo non poterat muta-
re, quod futurum erat. Sed vel hic erat sensus: Vtrum
Saul descendet, si mansero in Ceila? Item vtrum viri
Ceila me tradent, si remansero? Et ita quoque respon-
sum seu oraculum Dei intelligendum erat. Sub condi-
tione, Si manseris, descendet Saul, & viri Ceilam te
tradent. Vel alio modo, sensus & intentio consulentis e-
rat; An Saul & viri Ceila haberent in animo illa facere?
Et ita similiter sensus oraculi est; Saul habet in animo de-
scendere, atque item viri Ceila te tradere.

LYRAN. *Et dixit.* Scilicet, si Manseris in ciuitate, & Saul il-
V. 12. luc venerit; quòd conditionalis est vera, quamuis neu-
trum euenerit, sicut ista est vera: Si homo volat, habet
alas, quamuis vtraque pars conditionalis sit falsa: sequitur.

Si tradent me viri Ceila? Tradent.] Supple, Nisi inde
excesseris. Sed excessit Dauid, atque ita traditus non est.
Certissimò tamen sciebat Deus, quia nihil ignorat, & ideo
disertè affirmat, traditum iri si in Ceila maneat. Vnde
colligunt Theologi, Deum certissima scientia ab æterno
præciscire non solum quæ re ipsa & absolutè futura sunt, sed
etiam quæ quauis conditione posita, aliquando futura
essent.

Petes, An Ceilani salua conscientia potuerint innocen-
tem Dauidem tradere furenti Saüli, ne is Ceilam ferro &
igni vastaret, vt paulò antè vastarat Nobe sacerdotalem
urbem? Respondeo, Vtuo vel sponte tradere non pote-
rant: alioqui contra iustitiam & gratitudinem grauitè
peccaturi, qui mortem innocentis ac benè de se totoque
populo meriti directè procurarent. Sin autem in eam ne-
cessitatem venissent, vt vel toti ciuitati pereundum esset,
vel Dauid Saüli tradi deberet, tuam oportuisset rogare Da-
uidem vt se ipse sponte dederet, & morte sua urbem to-
tam à regis ira & extrema miseria redimeret, debuissetque
Dauid in eam deditionem consentire, publicum bonum
priuato anteferendo, quòd si recusasset, iam non inno-
cens, sed impius Saüli traderetur. Ita ferè Scholastici.

Petes Secundo, Quomodo tyrannus pepercit Ceilanis,
qui Dauidem scientes hostem esse Saülis, ad se talem euo-
carant, vrbe sua cum honore exceperant, eademque rur-
sus excedere permiserant: ac proinde maiore in culpa esse
videbantur, quàm Sacerdotes reliquique ciues Nobe,
quos tamen omnes ferro iam recens exciderat? Respon-
deo, Quia Saüli constabat, *Ceilanos* sola necessitate co-
actos fecisse quæ fecerant. At verò sacerdotes in Nobe sus-
picabatur vltro cum Dauide sibi rebelli colluissè eundem-
que armis & comætu aduersus Dominum suum instruxis-
se. Accessit diuina prouidentia, quæ passà non est Saülem
excandescere in *Ceilanos*, sicut in ciues Nobe, quòd in hos,
non item illos incumberet pondus domus Heli, ita San-
ctius & Saluanus.

Quamobrem dissimulauit. Post Dauid pro tunc.

Viri eius quasi sexcenti. Prius fuerant quadringenti, sed

in Moabitico præsidio, & fortasse in saltu Hareth numerus A
auctus erat.

LYRAN.
v. 14.

Quærebat: Non quòd ipsum semper actu quæreret, sed quia semper habebat voluntatem quærendi, si facultas capiendi se offerret, vel quia semper actu ipsum quærebat, non per se, sed per exploratores.

Locis firmis. Natura, non arte munitis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 15. ad 18.

Vulg. Et vidit Dauid, quòd egressus esset Saül, vt quæreret animam eius: Porro Dauid erat in deserto Ziph in Sylua.

Sept. Rom. Erat in monte æstuoso in Cæne Ziph.

Reg. In deserto Iiph in noua.

Arab. Mansit in Sylua quadam quæ est in deserto Ziph.

Alij. Intellexit, perspexit.

Vulg. Et surrexit Ionathas filius Saül, & abiit ad Dauid in syluam, & confortauit manus eius in Deo, Dixitque ei.

Malu. Ambulauit ad Dauid, & obtinuit manum eius in Elohim.

Sept. Rom. Iuit ad Dauid in Cæne, & confirmauit.

Reg. Iuit in nouam.

Cald. Confortauit in dicto Domini.

Arab. Iuit in syluam illam Deo fretus, & confusus.

Vulg. Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saül patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus, sed & pater meus scit hoc.

Syr. Non valebit aduersum te manus, &c. Ego tecum ero & viues.

Arab. Pater meus non superabit te, &c. Et seruabis animam meam.

Vulg. Percussit ergo vterque fœdus coram Domino, mansitque Dauid in sylua, Ionathas autem reuersus est in terram suam.

Arias. Exciderunt fœdus ad facies Domini.

Sept. Disposuerunt vtrique testamentum, & sedit Dauid in Cæne.

Syr. & Arab. Pepigerunt coram Domino sedente super Cherubim,

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dauid erat in deserto Ziph in sylua. *Sept. Rom.* In monte æstuoso, in Cæne Ziph. *Reg.* In noua: Ziph quidem, quæ ad tribum Iuda pertinet, est mons nebulosus, & squalidus propter asperitatem, quæ nulla agricolarum solertia exerceri potest, & eandem ob causam obscurus, & opacus. *Sep. Rom.* habent. *In Cæne. Reg.* In noua. Quod pertinet ad illud *ἐν τῷ κλίματι* inquit Flam. & nonnulli interpretantur, In noua, Aliqui libri, & Theodor. habent *κρη* & addit Theod. Aquilam dixisse *σπηλαιὸν* syluam. Cæne aliqui volunt esse nomen proprium. *Confortauit manus eius in Deo.* Alij, *Obtinuit*, scilicet de eo vt animo esset fœlici ac bono, anxium enim & mœrentem eius animum diuinis promissionibus confirmauit.

ANNOTATIONES.

Et vidit. Hic consequenter ponitur persecutio Dauid B
in deserto, quando enim Saül vidit se esse frustratum ab intentione sua de obsidione Dauid, in loco clauso muris, persecutus fuit eum in nemoribus & syluis. In qua persecutione sic proceditur: qua primò Dauid à Ionatha confortatur. Secundo à suis contribulibus accusatur, ibi: *Ascenderunt autem Ziphæi.* Tertio Saul in latibulis eum percuratur, ibi: *At illi surgentes.* Circa primum dicitur: *Et vidit.* Ad quærendum Dauid per nemora & deserta, & ideo versabatur Dauid in tutioribus locis: Et hoc est quod dicitur.

Dauid erat. Qui est locus nemorosus & opacus.

Confortauit manus eius in Deo. Iussit bono esse animo, vt qui haberet fautorem Deum.

Et surrexit Ionathas. De societate patris, ipso ignorante.

Et abiit. Sciebat enim vbi esset, quia frequenter mittebant nuntios ad inuicem, occultè tamen. Cætera patent vsque ibi:

Pater meus scit hoc. Quia nimirum diuino fauore promoueri eum videbat, & quotidie capere incrementa, iam prælagiebat animus Dauidem regnaturum, maximè verò ex verbis Samuëlis cap. 15. 28. Quibus pridem protestatus fuerat ipsum à Deo repulsum, & destinatum esse regnum proximo eius.

Percussit. Tribus enim vicibus iniit Ionathas fœdus cum Dauid.

Percussit fœdus. Pluries, nam I. statim post Golie occisionem cap. 18. num. 3. II. Sub ipsum discessum Dauid latuit triduum ad petram Ezel cap. 8. 16. III. Hoc loco. Fœdus autem non instauratur ex timore ne alterutrum facti pœniteat, sed ex amore, iuuat enim amantes amoris actus iterare.

Coram Domino. Quia coram Gad Propheta, & Abiathar sacerdote, vt vult S. Hier. in traditionibus, quem sequitur Abulensis. Vel quia fœdus iuramenti religione firmatum, Domino in testem inuocato.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 23.

Vulg. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saül, in Gabaa dicentes. Nonne ecce Dauid latitat inter nos, in locis tutissimis syluæ, in colle Achila, quæ est ad dextram deserti?

Pag. Quæ est à dextris Iesumon.

Arias. Abscondens se nobiscum in munitionibus.

Sept. Rom. Ascenderunt de æstuosa in collem, dicentes Nonne, &c. Absconditus in Messera in angustiis, in Cæne, in colle ipsius Echela, qui à dextris Iessemu.

Reg. In angustiis in Noua.

Arab. & Syr. In valle quæ est ad dextram.

Vulg. Nunc ergo sicut desiderauit anima tua, vt descenderes, descende: nostrum autem erit, vt tradamus eum in manu regis.

Sept. Et nunc omne quod est ad animam Regis in des-

ensum descendat ad nos, concluderunt enim in manu.

Reg. Conclusi enim sunt.

Cald. Et nunc ad omnem voluntatem animæ tuæ.

Vulg. Dixitque Saül, Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.

Pag. Quia miserti estis mei.

Arias. Pepercistis super me.

Malu. Commiseratione commoti estis.

Sept. Rom. Quia laborastis pro me.

Reg. Doluistis de me.

Syr. Quod clementia vtamini super me.

Vulg. Abite ergo oro, & diligentius præparate, & considerate locum vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi; recogitat enim de me, quod callidè insidiet ei.



Pag. Et parate adhuc, &c. dixit enim mihi nuntius, quod callendo callidus est.
Clar. Dixerunt enim mihi quod callidus est, & quod callide agat.
Calet. Ingeniando ingeniabitur esse.
Malu. Ambulate obsecro, stabilite adhuc, quia dixit ad me astutus esse, astutus erit ipse.
Sep. Ne fortè versutè agat.
Reg. Ne fortè callidè agens, callidè agat.
Cald. Et præparamini adhuc, &c. quia dicentes ei, quod callidè exiens ille.
Vulg. Considerate, & videte omnia latibula eius, in qui-

bus absconditur; & reuertimini ad me ad rem certam & vadam vobiscum. Quod si etiam in terram se abstruserit, & perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.
Malu. Cognoscite de omnibus absconsonibus, &c. reuertimini ad me stabiles, & ambulabo ad vos, & erit si existens eius erit in terra, & nudabo eum.
Sep. Rom. Et videte, & noscite, & ibo vobiscum, & inuestigabo enim.
Reg. Reuertimini ad me in præparatum.
Cald. Redibitis ad me in veritate.
Syr. Vt certiozem faciatis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Descenderunt in Gaba. *Sep. Rom. De astuoso in collem.* Nobil. ait. Videntur hoc loco, vt etiam alibi *Sep.* habuisse *gaba*, aliàs *gaba*, nam pro hoc testatur Theodoretus Aquilam dixisse *βουδν*, collem: *Ad dexteram deserti*, Alij, *A dextris Iasimon.* Iasimon desertum quoddam: vnde *Vulg.* dixit, *Ad dexteram deserti*, *Cald.* *Ad Austrum Iesimon*, certè dextera mundi est Meridies ad Orientem aspicientibus, quomodo Hebræi plagas mundi distinguebant: *Quemadmodum desiderauit anima tua.* Alij, *Et nunc omne quod est ad animam regis in descensum:* quæ locutio verè illud indicat, nempe quando ô rex affectus es quod cupiebas.

Quia doluisti vicem meam. Alij, *Quia miserti estis mei*, *חמל chamal*, varia significat, nempe misereri, parcere, condolere, &c. *Diligenter præparate*, Alij, *Parate adhuc, &c.* *עון eun*, in hiphil variè conuertitur, pro apparare adhuc, id est, diligenter, & exactè disquirere, pro stabilire, firmare, ratificare. *Recogitat de me quod callidè insidier ei*, Alij, *Quod callidus est, & quod callidè agat. Ingeniando ingeniabitur.* Dicitio *גחמ gham*, significat vaftrum, intentum, astutum, callidum, versipellem, &c. tam in bonam, quam in malam partem: geminatio autem hæc callidè agens, callidè agit, maximè significatum intendit, & Dauidis ingentem calliditatem, & astutiam significat. Quasi diceret, quod callidissimus, & astutissimus sit: Illa autem verba. *Recogitat de me, &c.* sensum hunc habent: hanc de me concepit opinionem, quod callidè cum eo sim acturus, cum potius ille sit qui omni versutia in re militari vitur: *Reuertimini ad me ad rem certam*, Alij, *In præparatum, in veritate*, id est cum certo, & vero nuntio, ad tempus constitutum, & præparatum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **A**scenderunt. Hic ponitur accusatio Dauid per contribules suos. Ziphæi enim descenderunt à Ziph, qui fuit de genere Caleb, vt habetur i. Paral. 2. c. & 4. Caleb autem fuit de tribu Iuda, sicut & Dauid. Ex quo patet quod Ziphæi fuerunt de eadem tribu cum Dauid. Ex quo patet malitia eorum qui contribulem suum innocentem accusauerunt, & cum hoc ad tradendum eum proditoricè se obtulerunt. Et patet littera vsque ibi.
- LYRAN.** **C**onsuluit ergo. Erat enim paratus iuuare filios Israël: tum quia eos diligebat: tum quia iam erat inunctus rex: & ideo curam habebat de eorum salute, tamen sicut debebat, prius voluit Dominum consulere: sed viri sui eum auertebant, dicentes.
- MENOC.** **R**ecogitat enim de me, &c. Vatab. ex Hebræo in eam sententiam interpretatur. Præfagit mihi animus cum calliditate sua elapsurum, cui consentiunt *Sep.* qui habent.
- A** Ne fortè versutè agat.
Considerate. Quia ad euitandum insidias meas mutat loca, & sic non possum eum inuenire.
Et reuertimini. Id est, denuntiando mihi certa loca in quibus inueniatur, ne exercitus meus incertitudinaliter vagando ab eius captione fraudetur.
Quod si etiam. In cauernis.
Perscrutabor. Hoc dixit Saül, vt Ziphæi essent magis animati ad faciendum voluntatem ipsius Saülis: quasi homines militares illius tribus essent contra Dauid in facto isto sicut & ipsi. Et forsitan ita erant, quod sicut Ziphæi erant homines rurales timore, vel fauore regis erant contrarij Dauid, sic & homines bellatores saltem pro magna parte.
Incunctis millibus Iuda. Id est, cum omnibus copiis tribus Iuda, in qua ille versatur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 28.

- V**ulg. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saül: Dauid autem, & viri eius erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Iesimon.
Arias. In solitudine ad dexteram, &c.
Sept. Rom. Ad Occidentem.
Reg. In vespere.
Cald. In planitie.
Syr. In Araba ad latus in spelunca Asimon.
Vulg. Iuit ergo Saül, & focij eius ad quærendum eum; & nuntiatum est Dauid, statimque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon: quod cum audisset Saül, persequutus est Dauid in deserto Maon.
Malu. Et descendit in rupem, & habitauit.
Arab. Recepit se in Selaa.
Vulg. Et ibat Saül ad latus montis ex parte vna: Dauid autem, & viri eius erant in latere montis ex parte altera: porro Dauid desperabat se posse euadere à facie Saül: itaque Saül, & viri eius, in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius, vt caperent eos.
Pag. Dauid festinauit ire à facie Saül.
Clar. Dauid anxius erat quomodo euaderet.
Mariana. Formidabat ad eundem.
- Vatab.* Præcipitatus vt fugeret
Sep. Rom. Et fuit Dauid regens se in eundo, &c. & castra metati sunt super Saül.
Cald. Et fuit Dauid disquirens ad abeundum, &c. & Saül, & viri eius insidiantes super Saül.
Arab. Festinabat Dauid fugam suam à Saüle, &c. solliciti erant.
Syr. Oberrabant.
Vulg. Et nuntius venit ad Saül, dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philistiim super terram.
Pag. Accelera, quoniam impetum fecerunt.
Calet. Extenderunt.
Malu. Exspolauerunt.
Sep. Rom. Incurtionem fecerunt.
Reg. Infusi sunt.
Cald. Extracti sunt.
Syr. Castra fecerunt.
Arab. Occupauerunt.
Vulg. Reuersus est ergo Saül desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philistinorum: propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.
Pag. Vocauerunt selah hammaclecotk, id est petram diuisionum.

diuisionum.
 Sept. Cognominatus est locus ille petra diuisa.
 Cald. Locus in quo diuisum est cor Regis, ad eundem huc

& illuc.
 Syr. Vocauerunt terram illam Sennaar diremptionis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In deserto Maon, in Campestribus. Sept. Ad occidentem, Theod. videtur habuisse in deserto subiecto & plano, pro quo inquit Aquilam dixisse: In planis & campestribus, quod habet Vulg. Dicitio autem Hebr. & desertum, & campestria significat. Desperabat se posse euadere. Alij, Festinauit, anxius erat *וַיִּחַפְּזוּ* chapats non solum festinare, sed etiam formidare dicit; vnde Vulg. posuit desperabat pro formidabat, scilicet ne euadere posset. Petram diuidentem. Alij, Diremptionis. Eo quod nuntio allato de Philistæis diremptæ sunt copię Saülis à copiis Dauidis. Dicitur autem secundum aliquos, petra diuidens, quæ & dicta est, petra diuisionum, quod Saül, cogente eum malo nuntio de incursione Philistinorum, coactus fuerit se separare à persecutione Dauidis: dicitur petra diuidens, quia Saülis animus distrahebatur in varias partes capturusne esset prius Dauidem an Philistæis occursum. In modum coronæ cingebant. Alij, Castrametati sunt. Vnde quaque castris in orbem dispositis, & in modum coronæ, ne vllus ex ipsis euaderet.

ANNOTATIONES.

- A**T illi surgentes. Hic consequenter describitur per-
 A scrutiny ipsius Dauid à Saüle per indicium Ziphæo-
 rum, & hoc est quod dicitur;
 Abierunt. Ut explorarent loca in quibus Dauid latitabat.
 Dauid autem. Dicit Ra. Sal. quod Maon est nomen ciuitatis, cui adiacet desertum ab ea sic nominatum.
- MEN OC.** In deserto Maon. Abulensis ait desertum Maon partem quandam fuisse latius patentis deserti Ziph. Adrichomius tamen in tribu Iuda num. 184. & 248. Ea deserta feiungit, & diuersa facit.
 Ad dextram Iesmon, suprâ hanc eandem vocem desertum vertit noster Interpres.
- LYR AN.** Iuit. Post renuntiationem Ziphæorum, vt dictum est.
 Nuntiatum est Dauid. Per exploratores suos.
 Statimque. Dicunt aliqui quod est nomen castris, vbi Dauid reposuit ea quæ habebat, vt esset expeditior. Alij autem dicunt, quod erat cauerna in rupibus magna & occulta in qua Dauid reposuit prædicta, noluit tamen ibi remanere, ne fortè per Saül ibi includeretur. Sequitur.
- MEN OC.** Descendit ad petram. Rupes hæc erat quæ exiguo spatio Saulem & Dauid separabat, vt patet ex numero 26. sequenti, itaque illi nomen Petra diuidentis adhæsit numero 28.
- LYR AN.** Porro Dauid. Sed videtur quod in hoc dubius fuerit in fide, quia per reuelationem diuinam certitudinaliter habuerat ipsum fore regem pro Saul. Dicendum, quod non desperabat se posse euadere absque bello cum Saüle. Quod quidem bellum horrebat, quia timebat de morte virorum suorum & aliquotum aliorum, qui erant cum Saule eum sequentium in hoc magis coacte, & inuoluntariè, quàm voluntariè.
- Porro Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul. Sed ESTIVS.
 quomodo desperauit, qui habebat promissionem diuinam, se post Saul regnaturum super Israël? Respondeo, desperabat, quantum ad subsidia humana. Ita enim cinctus erat, vt humanum consilium non haberet in promptu, per quod euaderet, sed de diuino auxilio non desperabat. Nam sicut Abraham immolaturus filium vnicum, in quo promissionem acceperat, sciebat vt Apostolus ait Hebr. vndecimo, quia suscitare cum posset Deus, ita & Dauid sciebat, Deum quocumque modo promissâ sibi factâ, impleturum, vel defendendo se, ne veniat in manus Saul, vel illum cohibendo, vel quocumque alio modo (sicut & factum est Philistæorum subita irruptione in terram Israël) Saule à persecutione Dauid renocato. In lectione Hebrææ non est hæc difficultas. Sic enim ibi legitur: Et festinauit Dauid festinanter, vt effugeret ante Saul. Ecce hic nulla mentio desperationis. Septuaginta habent *αὐτοῦ* *ἐκφυγῆναι*.
 Et nuntius. Hoc factum est ex condescensione diuina, vt Saul impediretur à captione Dauid. Lyr An. v. 27.
 Insuderunt se super terram. Fines Israëlitos ingressi MEN OC.
 hostiliter omnia populantur, & vastant.
 Propter. Quia ibi fuit diuisus exercitus Saulis à persecutione Dauid. Lyr An. v. 28.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS.

Dauid in spelunca Engaddi oram chlamydis Saülis, iterum se persequentis, abscindit, Saule saluo abire permisso. Quo nomine reconciliatur Sauli, & liber dimittitur, iuramento prius obstrictus de non excindenda Saulis familia, cum sceptro potitus fuerit.

I.



Scendit ergo Dauid inde: & habitauit in locis tutissimis Engaddi. 2. Cumque reuersus esset Saul, postquam persecutus est Philistæos, nuntiauerunt ei, dicentes: Ecce, Dauid in deserto est Engaddi. 3. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israël, perrexit ad inuestigandum Dauid & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt. 4. Et venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti, eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul vt purgaret ventrem: porro Dauid & viri eius in interiore parte speluncæ latebant. 5. Et dixerunt ferui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. 6. Post hæc percussit cor suum Dauid, eò quod abscidisset oram chlamydis Saul. 7. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. 8. Et confregit Dauid vi-

ros suos sermonibus, & non permisit eos vt confurgerent in Saul. Porrò Saul exurgens de spelunca, clamauit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se: & inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit. 10. Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te? 11. Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitauit vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus, dixi enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est. 12. Quin potius pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te, adinaduerte, & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te: tu autem insidiaris animæ meæ vt auferas eam. 13. Iudicet Dominus inter me & te, & vlciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te. 14. Sicut & in prouerbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te. 15. Quem persequeris, rex Israël? quem persequeris canem mortuum persequeris, & pulicem vnum. 16. Sit Dominus Iudex, & iudicet inter me & te, & videat, & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua. 17. Cum autem compleisset Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua est, fili mi Dauid? Et eleuauit Saul vocem suam, & fleuit: 18. Dixitque ad Dauid: Iustior tu es quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. 19. Et tu indicaisti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. 20. Quis enim cum inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. 21. Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël: 22. Iura mihi in Domino, ne deas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. 23. Et iurauit Dauid Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: & Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 1. 2. & 3.

Vulg. Ascendit ergo Dauid inde: & habitauit in locis tutissimis Engaddi.
 Pag. In munitionibus.
 Sept. Rom. Sedit in angusto.
 Cald. In præsidio.
 Arab. Commoratus in Masroth.
 Vulg. Cumque reuersus esset Saül, postquam persecutus est Philistæos, nuntiauerunt ei, dicentes: Ecce Dauid in deserto est Engaddi.
 Sept. Rom. Et factum est vt reuertit Saul, à post alienigenas, annuntiatum est ei dicentes.
 Syr. Dauid est in Masroth quæ est in Gebaoth.

Vulg. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israël, perrexit ad inuestigandum Dauid & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt.
 Pag. Super faciem petrarum arietum syluestrium.
 Tigur. In summitatibus, &c. Quas colunt rupicaprae.
 Sept. Rom. Super faciem saddæem.
 Reg. Per anteriorem partem venationis ceruorum.
 Ita etiam Lucifer.
 Cald. Super facies foraminum rupium.
 Syr. In superficie montis ibicum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In locis tutissimis Engaddi. Arab. solum habet, *Commoratus in Masroth*, Hoc est, in munitionibus. Hebr. enim est במצודות *bimtsidor*. Super abruptissimas petras. Alij, *super facies rupium*: Sed Vulg. rectè, & vim vocis, & loci naturam, quam perspectam habebat, expressit. *Quæ solis ibicibus peruiæ sunt*. Alij, *Quas colunt rupicaprae*. Hebr. יעלי *Ieghelim*, forma masculina pluraliter tantum occurrit. Volunt plures esse capram syluestrem quam ibicem seu capreolum appellare licebit: quamquam capri genus esse arbitrentur, quod montes & excelsas rupes & petras scandat. Quasi dicat, *Rupi capras*: ab עלה *ghalah*, scandendo nomen habet. Sept. Rom. *Super faciem saddæem*, quod est vestigium dictionum Hebræarum quas Hebræus interpretatur, *Foraminum, rupium*. Reg. autem *ante faciem venationis ceruorum*: Cerui enim cum venatores eos insequuntur, has petras abruptissimas conscendunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. I.** **A**scendit ergo Dauid inde. Postquam descriptus est multiplex insultus contra Dauid, hic consequenter describitur triplex Dei prouentus erga ipsum, quia primò Saul eius persecutor eius manibus traditur. Secundò Nabal eius irritor moritur, c. 25. Tertiò Saul factus erga eum mentitor, iterum ei exponitur, cap. 26. Prima in duas, quia primò describitur crudelitas Saulis Dauid persecutentis. Secundò benignitas ipsius Dauid sibi parcentis ibi: *Eratque ibi spelunca*. Crudelitas autem Saulis apparet eò quòd quærebat Dauid in rupibus quasi inaccessibleibus, ita quod ex desiderio occidendi eum exponeret se, & suum exercitum periculis multis & magnis. Et hoc est quod dicitur.

MENOC. *Engaddi*. Fuit olim Engaddi vrbs nobilissima in Tribu Iuda, dicta Hasafon-Thamat, id est, *vrbs palmarum*, vt ait sanctus Hieronymus in traditionibus Hebr. in cap. 14. Genesis quòd palmis abundaret. Habet desertum adiacens eiusdem nominis, in quo montes admodum præ-

A rupti.

Locis tutissimis Engaddi.] sanctus Hieronymus. *Engaddi* vrbs olim nobilissima, non longè à mari mortuo. A qua vrbe ager vicinus & adiacens desertum vocatur etiam *Engaddi*. Et in hoc solo agro crescunt frutices illi, quos Cypros vocant, balsamum stillantes pretiosissimum: & quia hi frutices ferè similes sunt vitibus, licet viniferi non sint, vitès tamen subinde vocantur: vnde habes Cantic. 1. de vineis Engaddi. Porrò ex huius agri vbertate simul & amœnitate coniectare licuit, quàm verè de vicino agro Pentopolitano dictum fuerit Genesis 13. *similem fuisse paradiso Domini*. Desertum verò adiacens illi agro Engaddino, ad quod Dauid hic dicitur secessisse, plenum est altissimis montibus præruptisque, imò ita prominentibus, vt ruinam minari videantur, & transeuntibus metum afferant, ne se in immmania saxa præcipitent: ita Borcardus & Adrichomius.

LYRAN.
§. 3. *Perrexit.* Id est, capris syluestribus. Et dicunt aliqui A quod istæ capræ sunt huius conditionis, quod de alto pos- sunt præcipitare se & in cornibus suis se recipere absque læsione.

Solis Ibicibus pernie sunt Hyperbole. Ibices Plinius li- bro octauo, capite quinquagesimo tertio, numerat in ca- pris syluestribus. MENOCC.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 4. ad 8.

Vulg. Et venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti: eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saül, vt purgaret ventrem: porrò Dauid & viri eius in interiore parte speluncæ latebant.

Pag. In lateribus speluncæ morabantur.

Arius. Ingressus est Saül ad regendos pedes suos.

Malu. In femoribus cauernæ sedentes.

Sept. Rom. Venit ad greges pecorum quæ super viam, & Saül intrauit ad prouocandum.

Reg. Vt præpararetur.

Lucif. Ad Sellam.

Theod. Ad ponendum.

Aquila. Ad exinaniendum.

Ioséph. Ad faciendum naturales excretiones.

Cald. Ad faciendum necessaria sua.

Syr. Dormiuit illic.

Arab. Ibi iacuit, &c. Et erant à tergo speluncæ.

Vulg. Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saül sileter.

Angelomus. Summitatem chlamydis.

Pag. Dixerunt viri.

Malu. Alam pallij, quod Saüli in latentia.

Sept. Rom. Sicut bonum in oculis tuis, &c. Dempfit pin- nam diploidis Saül occultè.

Cald. Ecce ego tradens autores inimicitia tuæ.

Syr. Leuiter abscidit fimbriam.

Vulg. Post hæc percussit cor suum Dauid, eò quòd absci- disse oram chlamydis Saül.

Alij. vt in præced. versu.

Cald. Doluit Dauid in corde suo.

Arab. Sed mox pœnitentia ductus Dauid.

Aliqui. Post hoc reprehendit Dauidem cor.

Vulg. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.

Arius. Absit mihi, si faciam verbum hoc vncto Domini.

Malu. Profanatio mihi, si faciam hoc sustentatori meo.

Sept. Rom. Nequaquam mihi à Domino.

Vulg. Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos vt confurgerent in Saül. Porrò Saül exur- gens de spelunca, pergebat cœpto itinere.

Arius. Scidit viros, &c. Et non dedit eos confurgere.

Tigur. Auulsit milites verbis.

Malu. Diffidit.

Aliqui. Pacauit.

Sept. Rom. Suasit, & non dedit eis, vt immolarent Saül.

Cald. Quietos reddidit.

Syr. A sententia abduxit.

Arab. Commonuit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT purgaret ventrem. Alij, Ad regendos pedes suos. Vocabulo honesto res tegitur indecora: Fortè etiam opus illud naturæ per occultationem pedum significatur, quia cùm venter à suo leuatur onere, pedes operiuntur. Vide Concord. v. 24. cap. 3. Iud. Serui Dauid. Alij, viri, id est milites. Post hæc percussit cor suum Dauid. Alij, Doluit Dauid pœnitentia ductus. Id est, tædere cœpit eum facti præ conscientia. Cor Dauid eum turbauit & reprehendit, eò quòd manum suam extenderit in Regiam Maicstatem. Propitius mihi sit Dominus. Alij, Prophanatio mihi, &c. Id est, profanus ero Deo, si tale commiserero. Et confregit viros suos verbis. Alij, Scidit, auulsit, pacauit. ודבן שבסאגח, varia fortitur significata, nempe auellere, retrahere, confingere, imò & pacare. Auocauit ergo eos & retraxit à sententia irruendi in Saülem.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
§. 4. **E**T venit ad caulas. Id est, quæ erant prope viam com- munem, vt in Hebræo habetur, Ad caulas ouium super viam. Venit autem illuc Saül non ad quærendum Dauid: quia non credebat quod auderet se prope viam ponere, sed venit illuc, quia recedens ab ipsius Dauid inuestigatione, quem in locis aptis pro fugitiuis non inuenerat, & Dauid in cauernâ viæ propinqua cum viris suis se posuerat, eò quòd similiter credebat quòd Saül eum ibi non quæreret: sed tantum in locis à communi strata remotis.

Eratque ibi. Hic consequenter describitur ipsius Dauid miseratio. Secundò miserationis declaratio, ibi: Surrexit autem Dauid post eum. Tertio Saülis responsio, ibi: Cùm autem compleisset Dauid. Miseratio autem Dauid apparet manifeste in duobus, scilicet ei parcendo cùm posset eum occidere, & viros suos refrænando ab eius inuasione. Et patet litera his exceptis.

Quæ se offerebant vianti. Quæ in itinere occurrebant.

Vt purgaret ventrem, Hebr. ad tegendum pedes. Dicun- tur autem tegi pedes, quia sedentibus aut incuruatis ves- tes productiores super pedes effunduntur.

In interiore parte speluncæ latebant. Dauid à Saüle visus non est, quia ampla spelunca erat tot militum Dauid ca- pax, ipsique in interiore parte latebant, adde obscuram fuisse, iisque præsertim, qui recens à luce venirent.

TIRINVS **V**enit ad caulas ouium. Has puto esse speluncas, in quas turbidis temporibus sua pastores pecora cogebant. Erant- que eiusmodi speluncæ valdè frequentes in terra Iudææ: ad quas confugere solebant tempore incurfus hostilis, et- iam integri vici vel vrbeculæ. Et licet intus essent latissi- Tom. IV.

B mæ ac profundissimæ, ad primum tamen ingressum sub- inde sat arctæ erant: vnde & difficilis ac periculosa erat in eas irruptio, & pauci plurimos excludere nullo ne- gotio poterant. Et hæc quoque est ratio cur Saül vnâ il- larum ingressus, nullum tamen fœdiorum sociorum Dauidis intus latitantium, vel oculis vel auribus perceperit. Nempe intrantibus obscurum locum non videntur ne- que apparent qui intus latent, etsi qui recens intrant faci- lè ab illis videantur. Collocutionem verò seu potius mus- sitationem illorum ne perciperet Saül, impedièbat stre- pitus transeuntis exercitus, & equorum & curruum, ita Io- sephus, Theodoretus & Abulensis.

Ecce dies. In scriptura præcedenti non inuenitur hoc, LYRAN. sed doctores dicunt communiter quòd hoc fuit sibi di- §. 5. ctum, quando fugiens Saül venit ad Samuelem, vt di- ctum est suprâ 19. cap.

C **E**cce dies de qua locutus est Dominus ad te; Ego tra- dam tibi inimicum tuum. Quæritur, Num ergo licebat Dauidi Saülem interficere? Respondeo: neminem melius intellexisse verba illa Domini ad Dauid, quam Dauidem ipsum, cui dicta sunt, qui tamen non ea sic intellexit, quasi sibi liceret Saülem oblata occasione interficere. Quare sensus est: Tradam tibi Saülem inimicum tuum in manus tuas, tu respice, an placeat eum occidere: Neque enim propterea Christum Pilatus licitè occidit, quia illi potestas data erat contra illum, iuxta illud Ioan. 19. Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Atque ita etiam Dauid intelligebat, non propterea se posse licite Saülem occidere, etiamsi traditus esset

à Deo in ipsius manus, sed Deum scilicet tentare ipsius animum: Vnde non dixerat Deus; Ego tradam tibi inimicum tuum, vt occidas eum, sed vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Vide etiam supra cap. 16. v. vers. 13. & infra cap. 26.

MENOC. Tradam tibi inimicum tuum. Verè ita Dauidi dictum siue per Samuelem, aut Gad, Prophetas, siue aliquo alio modo.

Surrexit ergo Dauid, &c. Eo anitno videtur iuisse, vt Saulem occideret, nam numero vndecimo, Saulem alloquens ipsemet proficitur: Cogitavi vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.

Præcidit oram chlamydis, Eximia Dauidis agilitas & dexteritas si chlamidem à tergo Saülis pendentem præcidit. Videtur probabilius ea exutum Saulem, & longiusculè sepositum fuisse. Militum, & equorum fremitus ad os spelunçæ in causa esse potuit quominus Dauid ad Regem proprensus, & chlamydem secans sentiretur. Exiguam particulam, inquit S. August. libro duodecimo de Ciuitate, capite sexto, vestis eius retrorsum latenter abscidit, vt haberet vnde monstraret quomodo ei pepercisset cum posset occidere, atque ita suspicionem de animo eius, qua sanctum Dauid putans inimicum suum, vehementer persequeretur, auferret. Ita August.

TIRINVS *Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum.* Lyranus & Abulensis id volunt per Samuelem dictum Dauidi, quando primum noctu ope Michol uxoris suæ effugerat manus satellitum Saülis. Forte etiam ipsimet Dauidi, vt potè Prophetæ, Deus id immediatè reuelauit, quasi diceret: Non est quòd desperes, te posse euadere manus Saülis: ego potius illum tradam in manus tuas, vt in eum quidquid liberit facere possis. Quæ verba videtur Dauid etiam fociis quibusdam suis retulisse confirmandi illos ac bene animandi gratiã.

Petes, An illis verbis data illi à Deo potestas sine peccato occidendi Saulem? Respondeo, ita sentit Caietanus: & vult Dauidem hoc maximè casu quo illum hostiliter ad necem quærebat Saül, anteuertere potuisse facinus, & violentum iniustumque inuasorem de medio tollere. Non tamen minus probabiliter Dionysius, Tostatus & Saliannus negant, moralem eam potestatem fuisse Dauidi datam. Nam verba solã physicam potestatem innuunt, qualem habet vigilans in dormientem, vel armatus & liber in inermem & vinculis astrictum. Neque regia auctoritate, nisi post alterius mortem, neque alia in Saulem iurisdictione fungi poterat Dauid. Sed neque debebat, latens in spelunca, ibique quietus remanens, censeri actu inuadi à Saule, nam tutus iam erat ab illius manibus: vnde præuertere tum temporis non fuisset inculpa sui tutela seu defensio, sed hostilis & nefaria domini sui inuasio. Certè Dauid id sibi non licere credidit, etsi Saulem totum esse in querenda sua morte exploratissimum haberet: nam nec oram quidem chlamydis regiæ præcidit nisi conscientia remor-

A dente v. 6. Porro S. Chrysostomus in laudem huius facti pulcherrimam homiliam conscripsit, cuius titulus est, *Quod Dauid magnificentius sibi trophaum erexerit parcendo Sauli, quàm occidendo Goliath.* S. Ambrosius virtutem hanc Dauidis maiorem esse ostendit quàm Philosophia Ethnicorum vel optare vel suspicari posset. Et iudicio etiam M. Tullij, qui parcat hosti, non cum summis modo Heroibus conferendus, sed & Deo quàm simillimus censendus, qui improbos homines sibi que inimicos grauissimis quotidie casibus eripit, nec tamen ipsi vel gratias habent, vel beneficium agnoscunt. Agnouit tamen hic Saül, & addit.

Percussit cor suum. Id est, conscientia sua eum reprehendit. Et sic Dauid est accusatiui casus: quia in hoc fecerat irreuerentiam ipsi Saül, qui honorandus erat, quamdiu in regno tolerabatur à Deo. Propter quod dicunt Hebræi, quòd Dauid circa mortem fuit punitus in simili, scilicet in vestibus: quibus opertus non calefiebat, vt plenius videbitur infra tertio libro.

B *Viuuit.* vsque ibi exclusiue. *Et confre.* non est in Hebræo nec in libris correctis, fuit enim quid appositum per modum glossæ, & postea insertum est textui per ignorantiam scriptorum seu aliquorum correctorum. Causa autem appositionis primò per modum glossæ vt credo fuit, quia infra 27. cap. Dauid dixit ista verba simili casu quo poterat interficere Saül.

Post hæc percussit cor suum Dauid. Cor suum est nominatiuus, & Dauid accusatiuus. Nam & Hebr. habent, *Percussit cor Dauid eum.* Sic & Septuaginta, itemque in nostra versione 2. Regum vltimo post numeratum populum: *percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus.* Vbi sicut manifestè est peccati agnitio, ita, Queritur, an hic etiam fuerit aliquod peccatum Dauid? Respondeo, in eo quod oram chlamydis abscidisset, vt Sauli paulo post innocentiam suam ostenderet, nullum omnino fuit peccatum. Sed fortè potest cordis illa percussio vel reprehensio referri ad illam cogitationem, de qua postea ait ad Saulem; *Cogitavi vt occiderem te.* Id est, tentabar ad te occidendum. In quo etiam si propriè peccatum non sit, quia restitit tentationi, tamen quia hominis pij est, etiam timere in talibus, ne fortè diutius huiusmodi cogitationibus inhæreat, fortè propterea dicitur cor Dauidis eum percussisse, hoc est, pupugisse. Vide etiam supra cap. 22. versu 22.

Percussit cor suum. Reum scilicet se in sua conscientia agnouit, & addita fortassis pectoris tunsiõ, quam cum v-furpamus, latens in pectore cor percussimus, in doloris argumentum.

Christo Domini. Saulem propter sacro-sanctam vnctionem, Dauid & honorauit viuum, & vindicauit occisum, inquit August. lib. 2. contra lit. Petil. cap. 48. vide infra cap. 26. num. 9.

Confregit Dauid viros suos sermonibus, &c. Retudit ac restinxit ardens eorum studium, & impetum.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 9. ad 13.

V *Vulg.* Surrexit autem & Dauid post eum: & egressus de spelunca, clamauit post tergum Saül, dicens, Domine mi Rex, & respexit Saül post se, & inclinans se Dauid pronus in terram adorauit.

Pag. Incuruauit se in faciem, & incuruauit se.

Malu. Sustentator mi Rex, & verticauit nares in terram.

Sept. Rom. Surrexit Saul & descendit viam, & surrexit Dauid.

Vulg. Dixitque ad Saul, quare audis verba hominumloquentium, Dauid quærit malum aduersum te?

Alij. Quare auscultas?

Sept. Quare audis verba populi: Ecce Dauid quærit animam tuam?

Cald. Dauid insidians. *Arab.* Malum intendens.

Vulg. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea, in spelunca, & cogitavi, vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus, dixi enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est.

Arias. Et pepercit super te.

Malu. Et dixit ad occidere te, & conuixit, vel conuiuuit.

Sept. Rom. Quoniam Christus Domini hic est.

Cald. Dixerunt vt occiderem te.

Syr. Clementia vsus sum apud te. *Arab.* Misertus tui.

Vulg. Quin potius pater mi, vide & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea, quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animaduerte & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te, tu autem insidiaris animæ meæ vt auferas eam.

Pag. Non est in manu mea præuaticatio.

Malu. Transgressio & non erraui tibi, & tulacerans animam meam.

Sept. Rom. Ecce pinna diploidis tuæ in manu mea, ego abstuli pinnam, &c. Non est malitia, &c. Neque impietas, nec contemptus, & tu ligas animam meam.

Reg. Neque iniquitas, nec impietas.

Lucifer. Laciniam chlamydis tuæ.

Cald. Non aduersatus sum tibi.

Syr. Tu vero venaris ad capiendam animam meam.

Vulg. Iudicet Dominus inter me & te, vliscatur me Dominus ex te: Manus autem mea non sit in te.
Malu. Et vindicauit me Ihu de à te.

Sept. Rom. Et vindicet tibi de te.
Lucifer. Iudicauit me de te.
Arab. Nec malum tibi contingat per me.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cogitanti ut occiderem te. Alij, *Et dixerunt, ut occiderem te*: Vnde illud cogitavi sic expone, surrepsit, vel potius, suggesta est mihi hæc cogitatio à sociis, de te occidendo. Vnde Cald. vertit. *Et dixerunt alijs ut occiderem te*: Nam Dauid constanter restitit huic cogitationi & suggestioni sociorum, adeoque vim eis intulit, eoque confregit. *Sed pepercit tibi oculus meus.* In Hebr. non est oculus meus, sed tantum, *Et pepercit tibi*, sed subaudi, *oculus meus.* Alij, *Et conuixit super te Ihu*: Ita vt hoc referat non ad se, sed ad Deum, qui voluit vt tibi indulgerem, & parcerem. *Summitatem chlamidis tuae.* Sept. Rom. solum habent, *Ego abstuli pinnam.* Sed Reg. habent, *Alam diploidis tuae.* *Non est in manu mea malum, neque iniquitas.* Sept. Rom. aliquid amplius habent. *Non est malitia, non impietas, nec contemptus.* Lucifer solum habet, *Non & iniustitia*, quod respondet Hebræo. *Tu insidiaris animæ meæ.* Alij, *Tu laceras animam meam.* Id est, vt ait Malu. Latrocïnans, insidiaris, à latere vexans. Sept. Rom. *Ligas animam meam*, id est, cingis insidiis, *Vliscatur me Dominus ex te*: Alij, *Vindicet tibi de te*, id est, vindictam sumat de te ex teipso.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 9.

Surrexit. Hic consequenter describitur dictæ miserationis manifestatio, per hoc quod Dauid aliquantulum sequens Saül ostendit ei partem suæ chlamidis abscissam, per hoc manifestè declarans, quod ita faciler eum occidisset si voluisset, & per hoc probat falsitatem Doeg & aliorum qui accusabant Dauid erga eum. Et patet littera vsque ibi:

MENOC.
v. 12.

Pater mi. Ita appellat, quia ætate grandior Saül, officio Rex qui pater populi, & Reipub. affinitate socer erat qui genero est quasi pater.

LYRAN.
v. 13.

Vliscatur, &c. Hoc dixit zelo iustitiæ non vindictæ. *Manus, &c.* Nullus enim debet de propria iniuria sumere vindictam per se, nisi incumbat sibi ex officio,

& tunc melius esset quod per alium faceret. Vnde legitur de Platone, quod seruum suum peccantem contra se, tradidit alteri puniendum, ne ipse propria iniuria motus mensuram excederet rationis.

Sicut, &c. Id est, verbo vulgari.

Vliscatur me Dominus. Hebræa sonant, *vliscetur*, MENO C. itaque non est vindicta à Deo petitio, nec sic, vlla in Dauid culpa: vt enim qui priuato iure suas iniurias non persequitur, magistratum adire potest, & postulare vt in vexantem iure agat, ita, & potiori iure in sinum supremi iudicis, ac vindicis querelas nostras deponere possumus, modo tollatur priuatum odium, & acerbitas animi.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 14. ad 16.

Vulg. Sicut & in prouerbio antiquo dicitur: Ab impijs egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te.

Sept. Rom. Ex iniquis exibit delictum.

Cald. Exibit culpa eorum.

Arab. At malum per manum meam minimè patieris.

Alij. Ab inquietis, seditiosis, turbatoribus, proficiscitur inquietudo, seditio, turbatio.

Vulg. Quem persequeris, rex Israël? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.

Pag. Post quem egressus rex Israël.

Cald. Post debilem vnum, post abiectum vnum.

Arab. Pulicem è pulicibus quæris.

Vulg. Sit Dominus Iudex, & iudicet inter me & te: & videat, & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua.

Pag. Iudicet me de manu tua.

Malu. Litigabit litem meam.

Sept. Rom. Fiat Dominus in iudicem, & vindicem, & iudicet iudicium meum.

Cald. Et manifesta ante eum Iudicia, &c. Et liberabit afflictionem meam.

Arab. Meque vindicet à te.

Vulg. Cum autem compleisset Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saül, dixit Saül: Numquid vox hæc tua est, fili mi Dauid? Et cleuauit Saül vocem suam, & fleuit

Arias. Et fuit sicut consummare loqui verba hæc.

Vulg. Dixitque ad Dauid: Iustior tu es quàm ego, tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala,

Pag. Tu retribuisti mihi bonum.

Arab. Cum tibi mala rependerim,

Vulg. Et tu indicasti mihi quæ feceris mihi bona, quando tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris.

Malu. Et tu annuntiaui die, quod fecisti ad me bonitatem, quod clausit me Ihu.

Cald. Fecisti benignitatem.

Arab. Indicasti quanto beneficio me sis profecutus,

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

AB impijs egredietur impietas. Alij, *A seditiosis, inquietis, &c.* Hebr. רשעים *rescaghim*, Quæ omnia hæc significat רשע *reschagh* motum, seditionem, turbationem, improbitatem. Sept. delictum, πλημμελία , eodem sensu, lucis causa. *Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.* Cald. *Post debilem vnum, post abiectum vnum.* Sine hoc adagio indicatur imbecillitas, & rei vilitas, imbecillitas voce mortui, vilitas voce canis, vtraque simul fæditas, & absurditas quædam, atque contagio: quid enim fædus cane mortuo? Cald. Quæ diximus simul interpretatur. *Post debilem vnum, post abiectum vnum*: Si voluisset diuidere, posterius melius cani, prius melius pulci conueniebat. *Quæ feceris mihi bona.* Alij, *Quanto beneficio me sis profecutus*, sed plura dicit Vulg.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 14.

AB impijs, &c. Hoc enim dicebatur, quando Dominus per aliquem malum sumebat vindictam de alio peiori vel æquè malo. Et quia Dauid sentiebat se innocentem, nolebat quod talis vindicta per ipsum fieret de Saule, sed si Deus vellet facere, per aliquem malum hominem faceret, sicut factum fuit postea, quia à Philistæis
Tom. IV.

B fuit Saül occisus, vt habetur infra 31. cap. Hebraei autem dicunt hic. *Sicut, &c.* Dicentes quod istud prouerbium est lex data à Deo, qui dicitur antiquus dierum. Dan. 7. *Accipiunt autem hoc à lege.* Exod. 21. Vbi dicitur de occiso à casu, quod *Dominus tradidit eum in manu occidentis.* Quod dicunt accidere propter peccatum occultum ipsius

ipſius occiſi pro quo erat dignus morte. Et pro aliquo peccato occulto ipſius occidentis, pro quo erat dignus expelli ad tempus de ſua ciuitate, ſcilicet uſque ad mortem ſummi Pontificis. Et quia dicta peccata occulta non poſſunt vindicari per humanum iudicium, iſto modo vindicantur per diuinum. Sed hoc dictum non eſt ſemper verum, licet aliquando poſſit contingere, quia frequenter contingit homicidium caſuale abſque peccato occidentis vel occiſi hoc demerente ſecundum diuina iudicia nobis occulta, omnia tamen ad bonum electorum ordinantur.

MENOC. *Ab impijs egredietur impietas.* Sententia eſt, Impij impiè, pij verò agunt piè. At ego tecum piè egi, non ergo credendus ſum inſidias tibi ſtruxiſſe, aut iniquo animo in te fuiſſe. Vel ſenſus eſt, diuina ultio te aliquando comprehendet, abſit vt id fiat manu mea, ab impijs hæc aliquando egredietur impietas.

A *Quem perſ.* Quasi dicat, vile eſt tibi me perſequi, etiam dato quòd eſſem nocens, cum ſim nullius momenti reſpectu tui.

Canem mortuum, &c. Rem viliffimam, & inſirmiſſimam.

Cum autem. Hic conſequenter ponitur ipſius Säuſis reſponſio, qui conuictus & confuſus de ſua nequitia dixit.

Nunquid vox hæc tua, &c. Procul à Säuſe ſteterat Dauid, itaque de facie illum noſſe non poterat, agnoſcit tamen vocem eius, cum quo diu, & familiariter vixerat.

Fili mi David. Vide ſupra num. 12.

Iuſtior, &c. Iſta eſt comparatio abuſiua, ac ſi diceretur, Iuſtior eſt albius coruo.

Iuſtior tu es, quam ego, Id eſt, ego iniuſtus, tu verò iuſtus.

VARIETAS LECTIIONVM à Verſ. 20. ad 23.

Vulg. Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? ſed Dominus reddat tibi viciffitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me.

Pag. Dominus tibi reddat bonum pro die hac quam feciſti mihi.

Malu. Quis inuenerit maleuolentem ſuum, &c. Pacificabit te bonitatem ei bona ſicut feciſti hodie.

Lucifer. Et ſicut inueniat quis amicum ſuum, & præmittat eum in viam bonam.

Cald. Si enim inueniret vir autorem inimicitæ ſuæ, & dimittet eum in via recta, & Dominus rependet tibi bonum propter diem hanc.

Arab. Cum autem, &c. Eiuſque petitur nihilominus proſequitur eum beneficijs, beneficia ei rependat Dominus, rependat tibi Deus bonum.

Vulg. Et nunc quia ſcio, quod certiffimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël.

Pag. Quod regnando regnabis & ſtabit, &c.

Calet. Firmabitur.

Vatab. Stabile erit.

Malu. Surget.

Sept. Rom. Conſtituetur.

Arab. Regnum ad te deuoluendum.

Vulg. Iura mihi in Domino, ne deſeras ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.

Pag. Si abſcideris ſemen, &c. Et ſi diſperdideris nomen.

Malu. Abolebis.

Sept. Rom. Quia non exterminabis, &c. Et non delebis.

Reg. Vt non diſperdas.

Lucif. Si non eradicabis,

Cald. Iura in dicto Domini, quod non perdes filios meos poſt me, & non ceſſare facies nomen.

Syr. Quod non ſis extincturus.

Arab. Nec obliuioni trades memoriam meam.

Vulg. Et iurauit Dauid Säuſi, abiit ergo Saul in domum ſuam, & Dauid & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.

Pag. Aſcenderunt ſuper munitionem.

Sept. Rom. Aſcenderunt in Meſſera anguſtam.

Reg. Munitionem, arcum.

Cald. Ad præſidia.

Syr. Arab. Ad Maſphia.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN via bona. Alij, *Recta.* Sept. *In tribulatione, in anguſtia.* Via bona eſt quæ ducit ad vitam, mala ad mortem: Id eſt, ſinetne eum abire ſaluum, & incolumem, quaſi dicat Nequaquam, ſed Sept. alium ſenſum habere videntur, tamen ad rem idoneum, ſicut, ſi inueniat quis inimicum ſuum in tribulatione, & emittat eum in viam bonam, id eſt, ille inimicus talis non eſſet cenſendus, nam eripit eum à tribulatione, deducens in viam rectam. Vnde Lucifer eum amicum, non inimicum dixit: *Pro eo quod hodie operatus es in me.* Alij, *Pro die hac quam feciſti mihi.* Id eſt, *pro bono diei eius:* Conſtructio inuerſa in Hebr. & optime ordinata ab Interpr. *Habiturus regnum.* Alij, *Stabit, firmabitur:* *Stabit* etiam ad ſtabilitatem poteſt referri. *Ne deſeras ſemen meum poſt me.* Bene Cald. *Non perdes filios meos poſt me, Neque auferas nomen meum.* Alij, *Nec trades obliuioni memoriam meam.* Per nomen ſuum intelligit paternam domum, ſeu progeniem ſuam, quam non vult deleri, quia hac ſtante, ſtare quoque exiſtimat nomen ſuum, quia pater in filiis ſuis viuere ſe credit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Q*uis, &c. Quasi dicat, Hoc nullus faceret, niſi eſſet valde bonus & perfectus. Et in hoc conſitetur ipſum Dama eſſe dignum regno. Ideo ſubditur.

MENOC. *In via bona.* Incolumem, inuiolatum.

Viciffitudinem. Viciffitudinem appellat opus gratiæ, indulgentiæ, beneficiæ.

LYRAN. *Et nunc.* Dicunt autem aliqui Hebræi, quod hoc ſciuit per ſignum ſibi datum à Samuele, quia ille regnaret poſt eum qui ſcinderet veſtem eius, prout fuit dictum cap. 15.

MENOC. *Scio quod certiffime regnaturus ſis,* Vide ſupra cap. 23. num. 17.

TIRINVS *Nunc ſcio quod certiffime regnaturus ſis.]* Sciebat verò, non tam ex præciſa ora chlamydis ſuæ, vt ſuprà capite decimo quinto, verſu vigefimo octauo dixi Hebræos opinari, quàm ex ſingulari illa Dei erga Dauidem providentiæ, qua ipſum & regijs virtutibus dotabat, & vbique in

aduerſis tutabatur, omnibuſque hoſtibus ſuperiorem, Iſraëlitis verò admirabilem, carum ac deſiderabilem reddebat, ita Abulentiſis,

Aſcenderunt ad tutiora loca. Parum enim Dauid Sauli fidebat, cuius quale eſſet ingenium pluribus experimentis didicerat.

Et iurauit, &c. Tanquam pronus ad miſericordiam.

Abiit, &c. Pœnitens de perſecutione Dauid, ſed hoc tantum fuit ad horam vt ex ſequentibus patebit. Videtur fortè alicui; quòd Dauid peccauit iurando face- re miſericordiam ipſi Sauli, cum ſciret eum eſſe à Domino reprobatum. Item quia iſtud iuramentum tranſgreſſus fuit vt videtur, quia ſeptem viros de filiis Saul tradidit crucifigendos, vt habetur infra 2. lib. 21. cap. Ad primum dicendum quòd Dauid neſciuit Saul reprobatum ſimpliciter, ſcilicet quantum ad vitam æternam, ſed tantum reſpectu regni temporalis. Non autem

per iuramentum suum concessit filiis Saül quod regnarent, sed solum quod viuerent, quod poterat stare absque hoc quod regnarent: propter quod iurando non peccauit, imò opus perfectionis fecit, secundum illud Matth. v. g. *Benefacite his qui oderunt vos, &c.* Similiter non fuit transgressus iuramentum, quia in omni iuramento voluntas superioris intelligitur excepta, & maximè ipsius

A Dei, de cuius voluntate expressa, fuit punita posteritas Saül propter Gabaonitas: quæ punitio non debebat fieri per pœnam pecuniariam, sed per mortem, saltem aliquorum: & ideo non peccauit tradendo septem viros crucifigendos; nec per hoc fuit deleta posteritas Saül, quia Dauid reseruauit Miphiboseth, vt ibidem habetur qui descendit de Saül per Ionatham filium eius.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS.

Moritur Samuël. Dauid ingrato Nabal mortem minatur, sed egregia Abigail vxoris eius oratione placatur. Quæ mortuo deinde marito fit vxor Dauidis, vti & Achinoë. Michol verò prima Dauidis vxor, à Saüle alteri marito Phalti traditur.

Mortuus est autem Samuël, & congregatus est vn̄uersus Israël, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque Dauid descendit in desertum Pharan. 2. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo. 3. Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen vxoris eius Abigail, eratque mulier illa prudentissima, & speciosa: porrò vir eius durus, & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb. 4. Cùm ergo audisset Dauid in deserto quod tonderet Nabal gregem suum, 5. misit decem iuuenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacificè. 6. Et dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax. 7. Audiui quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: numquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. 8. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus, quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid. 9. Cumque venissent pueri Dauid, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc nomine Dauid: & siluerunt. 10. Respondens autem Nabal pueris Dauid, ait: Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui qui fugiunt Dominos suos. 11. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonforibus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint? 12. Regressi sunt itaque pueri Dauid per viam suam, & reuersi venerunt, & nuntiauerunt ei omnia verba quæ dixerat. 13. Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est & Dauid ense suo: & secuti sunt Dauid quasi quadringenti viri: porrò ducenti remanserunt ad farcinas. 14. Abigail autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent Domino nostro: & auersatus est eos. 15. Homines isti, boni satis fuerunt nobis, & non molesti: nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conuersati cum eis in deserto: 16. Pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pauimus apud eos greges. 17. Quam ob rem considera, & re cognita quid facias: quoniam completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui. 18. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vix passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos: 19. Dixitque pueris suis: Præcedite me: ecce ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicauit. 20. Cum ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radices montis, Dauid & viri eius descendebant in occursum eius: quibus & illa occurrit. 21. Et ait Dauid: Verè frustra seruaui omnia quæ huius erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono. 22. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem. 23. Cùm autem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, 24. & cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit, domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ. 25. Ne ponat, oro Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti. 26. Nunc ergo, domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum. 27. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui sequuntur te dominum meum. 28. Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo do-

num fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. 29. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum: porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ. 30. Cùm ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israël, 31. non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris: & cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. 32. Et ait Dauid ab Abigail: Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, 33. & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. 34. Alioquin viuit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem. 35. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei: dixitque ei. Vade pacifice in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honorauit faciem tuam. 36. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis; & non indicauit ei verbum pusillum aut grande vsque mane. 37. Diluculo autem cùm digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis. 38. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est. 39. Quod cum audisset Dauid mortuum Nabal, ait. Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & locutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi in vxorem. 40. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes, Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem. 41. Quæ confurgens adorauit pronæ in terram, & ait; Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruatorum domini mei. 42. Et festinauit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedissæquæ eius, & secuta est nuntios Dauid: & facta est illi vxor. 43. Sed & Achinoam accepit, Dauid de Iezraël; & fuit vtraque vxor eius. Saül autem dedit Michol filiam suam, vxorem Dauid, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 3.

Vulg. Mortuus est autem Samuël, & congregatus est vniuersus Israël, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Confurgensque Dauid descendit in desertum Pharan.

Malu. Et collecti sunt, & celebrauerunt planctum ei.

Sep. Rom. In desertum Maon.

Reg. Pharan

Vulg. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo.

Arias. Et opus eius.

Malu. Et factura eius in Carmel, & vir grandis valde.

Alij. Et opes eius.

Sep. Rom. Et erat in Maon, & greges eius, &c. & huic greges ter mille, & factum est in tondendo.

Reg. vt Vulg.

Cald. Et vir Mahon, & substantiæ eius.

Vulg. Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen vxoris eius Abigail, eratque mulier illa prudentissima & speciosa: porro vir eius durus, & pessimus, & malitiosus; erat autem de genere Caleb.

Pagn. Et malus operibus, & Callibita.

Arias. Malus adinventionibus.

Caiet. Bona intellectu, & pulchra aspectu.

Tigur. Claro ingenio, &c. malis studiis præditus.

Malu. Vira pulchra lineamenti, &c. & vir perplexus, & malus ludicrorum.

Sep. Rom. Nomen eius Abigæa bona specie valde, &c. & malignus in studiis, & homo caninus.

Reg. Bona prudentia, &c. malitiosus in exercitiis.

Cald. Sapiens intelligentia, &c. & malus factis.

Syr. Seuerus erat, prauis moribus, rudibus.

Arab. Asper, rudis, & incultus, similis canibus in actionibus suis.

Aliqui. Erat autem sicut cor eius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Planxerunt: Alij, *Celebrauerunt planctum*: Vnde illud planxerunt, non est simpliciter fleuerunt, sed exequias eius celebrauerunt: Hæc est vis verbi ספד *saphad*. In desertum Pharan. *Sep. Rom.* *Desertum Maon*. Erat enim in eodem deserto, vel potius duo fortiebatur nomina. *Possessio eius*, Alij, *Opus, opes, factura eius*. Hebræi notant hoc nomine מעשה *maghaseh*, significari peculium, seu greges, in quibus verfabatur tunc totum ferè opus hominis, vel sic opes dicantur, eo quod opera, & laboribus comparentur. *Abigail*. *Sep. Rom.* *Abigæa*: ita etiam Theod. sed *Reg.* *Abigail prudentissima*, Alij, *Clara ingenio, bona prudentia*. שכל *secel*, industriam, intelligentiam, solertiam, attentionem significat. *Et speciosa*. Alij, *Pulchra lineamenti*. Id est perfecte pulchra. *Pessimus & malitiosus*, Alij, *Malis operibus, adinventionibus*. Heb. ורע מעללים *veragh maghalalim*, significat consilia, adinventiones, cogitationes, studia, molimina, exercitia, opera, mores. *Erat autem de genere Caleb*. Alij, *Calibita, caninus*. *Vulg.* vult esse de genere Caleb. Alij, *E regione Caleb*. *Sep.* à כלב *Cheleb*, canis, deducentes, dixerunt, & homo caninus, impudentissimus. Aliqui, quod in quibusdam exemplaribus Heb. scribatur cum ו *vau*, extrema littera, legunt כלבו *Calibbo*. *Sicut cor eius*. Quasi diceret, hoc est, animo, & rationibus erat perditissimus, praua quæ corde conceperat, opere exequabatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **M**ortuus est, &c. Hic consequenter ponitur secundus prouentus per mortem iniqui Nabal, qui diuina ultione mortuus est, eo quod vituperauerat Dauid, & seruos eius iniquè, & sic vxor eius, & quidquid habebat A fuit ipsius Dauid: præmittitur tamen hic mors Samuëlis iusti pretiosa, vt per hoc magis appareat mors hominis iniqui ignominiosa, secundum quod dicitur Prou. 10. *Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putres-*

cer. Et hoc est quod dicitur de Samuële ad eius laudem. A

Et congregatus. De morte verò Nabal nullus planctus scribitur. Sed hic oritur quæstio, quomodo secundus liber Regum dicitur ipsius Samuëlis, sicut & primus, cum tamen ab isto loco, & deinceps non potuerit scribere, scilicet post mortem suam? Ad quod dicitur: quod vnus de discipulis suis residuum scripsit, qui ab aliquibus dicitur fuisse Nathan propheta, & ideo ascribitur Samuëli, sicut factum discipuli magistro.

Mortuus est Samuël. Anno ætatis 77. iuxta Saliani Chronologiam, initi magistratus 38. biennio ante mortem Saülis.

Planxerunt eum. Iusta funebria perfoluerunt.

Mortuus est Samuël. Quatuor mensibus ante obitum Saülis, inquit Hebræi in Seder-Olam. *Et congregato* ad eius funus *viuerso Israël*, id est pluribus ex singulis tribubus, post solitos planctus *sepelierunt eum in domo sua*, seu solo natali, *in Ramatha.*] Vnde diu post viri sancti ossa Constantinopolim translata, ibidemque in magna veneratione habita, scribit S. Hieronymus, Nicephorus, & Procopius, qui addit, à Iustiniano Imperatore magnificentum ibidem monumentum in honorem Samuëlis constructum fuisse.

Erat, &c. Hic consequenter agitur de ipso Nabal. Vbi primo describitur Nabal, & Abigail personalis conditio. Secundo ipsius Dauid curialis petitio, ibi: *Cum ergo audisset.* Tertio rusticana responsio, ibi: *Respondens autem.* Quarto Abigail prouida obuiatio, ibi: *Abigail autem.* Quinto circa Nabal diuina vltio, ibi: *Diluculo autem.* Circa primum dicitur. *Erat autem vir quispiam in solitudine: ly solitudine*, non est in Hebræo textu, quia se-

cundum quod dicitur in libro de quæstionibus Hebræicis, manebat in ciuitate Maon: sed eius animalia erant in monte Carmelo, vbi habebat domum pro pastoribus & pecoribus, ad quam venit pro rondendis ouibus cum vxore sua. Sciendum autem quod iste Carmelus est mons in sorte Iudæ. Alius autem Carmelus vbi Helias interfecit sacerdos Baal, est in tribu Issachar. Exprimatur nomen viri & vxoris, cum dicitur. *Nomen autem, &c.* Et conditio vtriusque, cum dicitur.

In desertum Pharan. Sep. habent desertum Maon. De-
sertum Pharan erat ad Meridiem terræ Sanctæ iuxta illud Habac. 3. 3. *Dominus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Huius deserti pars est Maon.

Magnus nimis. Potens, & opulentus præ vicinis suis agricolis, quomodo Iob dictus est, *vir magnus inter omnes Orientales*, Iob. 5.

Eratque, &c. Et sic erat mente, & corpore gratiosa. Porro *vir, &c.* Ad conueniendum.

Et pessimus. Ad iniuriandum proximum, & decipiendum. *Erat autem.* Hoc autem non additur ad designandum, quod Caleb fuerit talis, quia fuit virtuosus, & bonus, vt patet n. 14. & Ios. 14. sed ad ostendendum, quod Nabal erat de tribu Iuda, sicut & Dauid, & ideo grauius peccauit ipsum vituperando.

Pessimus, & malitiosus. Siue vt in Heb. & Græco, *malis operibus*, vel *adinventionibus*, qui scilicet male ageret, & iniurius esset in alios.

De genere Caleb. Itaque vt Caleb ad tribum Iuda pertinebat, ex quo illius ingratitude maior in Dauidem hominem de tribu eiusdem, & de se bene meritum denotatur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 4. ad 6.

Vulg. Cum ergo audisset Dauid in deserto quod tonderet Nabal gregem suum.

Malu. Qui vellens ouem suam.

Vulg. Misit decem iuuenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacificè.

Clar. Sic valeas, vt tibi sit pax,

Arias. Optabitis in nomine meo pacem.

Malu. Postulabitis ei paci.

Sept. Rom. Interrogate in pacem.

Cald. Rogabitis illi pacem.

Syr. Arab. Salutem dicite.

Vulg. Et dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax.

Pag. Ad vitam meam, & tu pacificus, & domus tua pa-

cifica, & omne quod erit tibi, pacificum,

Arias. Ad vitam & pax.

Caiet. Et dicetis sic diuiti.

Malu. Viuenti.

Tigur. Vitam, pacem, & incolumitatem optamus.

Sept. Rom. Et dicetis, hæc in horas, &c. & tu saluus, & domus tuæ salua.

Reg. Ad tempus, & tu saluus.

Cald. Per vitam meam, & tu pax.

Syr. Quis forte minus maneat, tu autem, &c. sis incolumis.

Arab. Viuas, & multis annis tondeas, cum tua, & familia tuæ incolumitate.

Alij. Sic tibi accidat quamdiu vixeris.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Salutabitis eum ex nomine meo pacificè. Alij, Optabitis pacem. Interrogate in pacem, &c. Id est, optate, seu quærite, siue dicite illi verbis meis salutem, & omnium prosperitatem: Sit fratribus meis, & tibi pax. Alij, Ad vitam meam: dicetis diuiti, &c. Heb. est *לחייך* *lechai*, id est ad vitam, vel viuenti, sed Vulg. legit *לחייך* *lechai*, & fortassis Aleph supprimitur: facilis est sententia in Vulg. sed non ita facilis in Heb. nec in Græco, qui legunt sit viuenti, & tu saluus, id est, ita tibi viuo, seu viuenti proximo anno contingat, nempe vt incolumis tondeas oues, quod significare videntur Sep. tum Rom. tum Reg. cum vertunt, *Hæc in horas ad tempus*, id est ad longum, vel ad omne tempus viuas sanus & incolumis. Alij qui reddunt, *Sic tibi accidat, quamdiu vixeris*, nempe vt sis saluus tu, & familia tua, Qui legunt *ad vitam, & tu pax*, id est, sic viuas, vt tibi, & omnibus tuis sit pax. Per viuum autem aliqui intelligunt opulentum, & plura possidentem: plerique Hebræorum hinc *שלום* *shalom*, pro adiectiuo sumunt. *Et tu pacificus, saluus, &c.* Maiorem tamen vim habet substantiuum, *Et tu pax, saluus, &c.* Quasi diceret, te magnopere saluum, & incolumem opto.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**ulg. autem. Hic consequenter ponitur ipsius Dauid curialis petitio: quod patet primo ex amabili salutatione, cum dicitur. *Et salutabitis, &c.* Hoc autem quod ibi sequitur. *Ex multis, &c.* non est in Hebræo. Secundo ex rationabili allegatione, vbi ranguntur quinque ra-

tionibus quibus Nabal debebat inclinari ad exauditionem petitionis. Prima est, quia Dauid, & viri eius pacificè conuersati fuerant cum pastoribus Nabal, licet possent omnidie accipere quod habebant, & hoc notatur, cum dicitur. *Vide in Annot. seq.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 9.

Vulg. Audiui quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: numquam eis molesti fuimus nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo.

Pag. Non ignominia affecimus eos.

Arias. Nunc audiui, quod tondentes tibi non affecimus verecundia eos.

Malu. Et non visitatum fuit eis aliquid.

Sep. Rom. Non prohibuimus eos, & non imperauimus eis quicquam.

Cald. Non læsimus eos.

Syr. Nullum damnum intulimus eis, nec quidquam illis deperit.

Vulg. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die

enim bona venimus, quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid

Malu. Si inuenerunt pueri gratiam, super diem bonam venimus.

Alij. Opportuno tempore venimus.

Sep. Rom. Da seruis tuis.

Cald. Inuenient adolentes misericordiam.

Syr. Benevolentiam, fausto die venimus.

Arab. Faustum diem deprecatur.

Vulg. Cumque venissent pueri Dauid, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Dauid: & siluerunt.

Pag. Quieuerunt.

Varab. Conquieuerunt.

Malu. Pauauerunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Numquam eis molesti fuimus, Alij, Non affecimus verecundia, ignominia, obstitentes eis, sed omnia eis permisimus, nulla à nobis accepta iniuria, nec mandato, licet necessitate premeremur. Inueniant pueri tui gratiam, Alij ex Heb. Inuenerunt. Illud præteritum indicat magnam certitudinem obtinendi beneficij. Quasi dicerent, tantam fidem in tua benignitate posuimus, vt nos existimemus iam gratiam apud te consequuros. Die enim bona venimus, Alij, Fausto die. Aliqui notant morem fuisse veterum, vt cum tonderent oues, solemne instituerent conuiuium, & amicos ad illud inuitarent. Vocabantque illud bonum diem, id est, festum, solemne, imo & faustum, & lætum. In נבאנו, venimus, notant deficere Aleph radicale, quod non aliud indicare videtur, nisi quod nuntij vacui, & re infecta remissi fuerunt. Et quieuerunt, Alij, Conquieuerunt. Quod explicat à labore itineris, eò quod essent fatigati.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ψ. 7.* **N**umquam ei molesti. Secunda, quia eos, & gregem A te positus. Quarta est ratio diei festiui, cum dicitur.

secure seruauerant à feris, & prædonibus. Et hoc notatur, cum dicit.

Nec aliquando. Prædones enim non audebant illuc accedere timore ipsius Dauid, vnde dicitur infra. *Erant nobis pro muro.* Tertia est humilis modus petendi, ibi.

MENOC. *Numquam eis molesti fuimus, &c.* In lucro ac beneficio ponunt agricolæ, & pastores si nihil accipiant damni à militaribus viris: id enim quantauis cura, studioque ducis vix obtineri potest. Itaque verè beneficium contulerat in Nabalem Dauid, ita suos in officio continendo, vt nulla in re pastoribus, aut gregi nocerent. Adde quod eos defenderant etiam, vt ipsi profitentur infra num. 16.

LYRAN. *ψ. 8.* *Nunc ergo.* Cum tamen Dauid de iure posset accipere pro sua voluntate, cum esset rex inunctus, & in necessita-

te positus. Quarta est ratio diei festiui, cum dicitur.

In die, &c. Faciebant enim Hebræi festum magnum tonsoribus suis, & pastoribus in die tonsionis ouium, in memoriam Patriarcharum qui fuerant pastores ouium, vt habetur Gen. 47. Et talibus diebus solent homines magis esse curiales. Quinta ratio accipitur ex parte rei petite, quam simpliciter ponunt in voluntate Nabal quantum ad qualitatem, & quantitatem: quod notatur, ibi: *Quodcumque inuenerit manus.*

In die enim bona venimus. Læta scilicet, quia exhilaratus, & auctus bonis à Domino gratificari soles amicis tuis tenuioribus.

Quodcumque inuenerit manus tua. Si quid occurrerit, si quid in promptu habueris.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 10. ad 13.

Vulg. Respondens autem Nabal pueris Dauid, ait: Quis est Dauid? & quis est filius Itai? hodie increuerunt serui qui fugiunt Dominos suos.

Pag. Hodie multiplicati sunt, qui diuidunt se vnusquisque à facie Dominorum suorum.

Tigur. Qui abrumpunt se.

Malu. Rumpere se facientes vir de faciebus sustentatorum suorum.

Sep. Rom. Et resiliit, & respondit, recedentes vnusquisque.

Cald. Et qui absconduntur vir ab ante Dominum.

Syr. Qui defecerunt.

Arab. Rebellarunt contra heros suos, & baculum absciderunt.

Vulg. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint?

Pag. Et victimam meam.

Arias. Quam mactans.

Malu. Mactationem meam, quam mactavi vultoribus

meis.

Sep. Rom. Capiam vinum meum, & victimas, quas immolauit.

Reg. Pecora mea quæ occidi.

Cald. Cibum & potum, & conuiuium meum, quæ paraui.

Vulg. Regressi sunt itaque pueri Dauid per viam suam, & reuersi venerunt, & nuntiauerunt ei omnia verba quæ dixerat.

Malu. Et verterunt excussi Dauidis via suâ.

Vulg. Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est & Dauid ense suo: & secuti sunt Dauid quasi quadringenti viri: porrò ducenti remanserunt ad sarcinas.

Pag. Manserunt ad supellectilia.

Arias. Super vasa.

Sep. Rom. solum habent: Cingimini vnusquisque gladium suum.

Arab. Manserunt apud impedimenta.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Incrueuerunt serui: Alij, *Multiplicati sunt, &c.* Verbum רבו *rabu*: pro quo Vulg. reddidit, *Incrueuerunt*, non solum in quantitate & numero, sed etiam in qualitate incrementum valet: quare qui honore angetur, & dignitate, vt Magister & Doctor, רב *rab* appellatur, seu Rabi; & quidem verbum Latinum *increfco*, non tam quantitatem discretam, id est augmentum in multitudine, quam incrementum in quantitate continua, aut dignitate valet: vnde sensus erit Nabalis, Hodie serui, qui propter flagella, graue pondus à dominis, quorum imperio suberant, effugerunt, increuerunt, id est spiritus regio sibi arrogans, ad aliquod quasi dignitatis incrementum sublata, ita vt ab alijs quasi à vestigialibus, & subditis victum suo sibi iure imperiose exigant. *Fugiant Dominos suos*, Arab. *Baculum absciderunt*: Prouerbialis sermo apud Arabes valens, descuerunt, imò & rebellauerunt. *Aquas meas*. Sep. *Vinum meum*. Sicut per panem intelligitur quilibet cibus, sic per aquas, quilibet potus; vnde Cald. vertit. *Accipiam potum meum. Et carnes pecorum*, Alij, *Et victimas*. Sed victima hinc pro conuiuio sumitur, vt habet Cald. siue sumitur victima pro pecoribus occisis, vt habet Vulg.

ANNOTATIONES.

Respondens, &c. Hinc consequenter ponitur rusticana A responsio, quia non solum negauit quod petebatur, sed etiam à vituperijs inchoauit, dicens. *Quis est*. Quasi dicat, nullius valoris, quia descendit de aliena muliere, scilicet de Ruth Moabitide, & non solum vituperauit Dauid, sed & viros eius, dicens. *Hodie*. Ita quod notauit eos de seruitute, & malignitate, propter quam fugitiui essent.

Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Ita illum per contemptum appellat.

Incrueuerunt. Multiplicati sunt, vt habent Sep.

Tollam ergo. quasi diceret, non debeo facere.

Regressi sunt. Vacui, & vituperati.

Tunc ait. Merito prouocatus.

Accingatur. Ad accipiendum vindictam de tam vili rustico.

LYRAN. y. 10. MENO C. LYRAN. y. 11. LYRAN. y. 12. LYRAN. y. 13.

VARIETAS LECTIO NVM à Vers. 14. ad 17.

Vulg. Abigail autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent Domino nostro: & auersatus est eos.

Pag. Inuectus est in eos.

Caiet. Fecit volare eos.

Vatab. Vt saluaret.

Malu. Ad benedicere sustentatores nostros, & inuolauit in eis.

Sep. Rom. Declinauit ab eis.

Cald. Abominatus est eos.

Syr. Tædio habuit eos.

Vulg. Homines isti, boni satis fuerunt nobis, & non molesti: nec quidquam aliquando perit omni tempore, quo fuimus conuersati cum eis in deserto.

Pag. Non fuimus ignominia affecti.

Arias. Non fuimus pudefacti, nec visitauius quicquam.

Caiet. Nobis boni valde.

Vatab. Benigni.

Tigur. Magno vsui nobis fuerunt.

Sep. Rom. Non prohibuerunt nos, neque imperarunt nobis quidquam.

Cald. Nos non læsi sumus.

Syr. Nec vllius rei nobis iacturam attulerunt.

Vulg. Pro muro erant nobis tam in nocte, quam in die, omnibus diebus, quibus pauius apud eos greges.

Sep. Rom. Et dum effemus nos in agro, tanquam murus erant circa nos.

Cald. Murus circumdans.

Vulg. Quam ob rem considera, & te cognita quid facias: quoniam completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.

Pag. Et ipse est homo impius.

Arias. Filius sine profectu.

Vatab. Decretum est malum.

Tigur. Et ipse homo perditus est, nec sana ratione præditus.

Sep. Rom. Consummata est malitia; & hic est filius pestilentis.

Reg. Filius pestilens.

Cald. Vir improbus.

Arab. Nunc certo scies malum nobis euenturum, infortunium premet herum nostrum, & domesticos eius. Nabal autem erat apud pastores foris.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT benedicerent Domino nostro. Alij, *Vt saluarent sustentatores nostros*. Vide Concord. v. 1. c. 47. Gen. & de vno Nabale pluraliter loquitur honoris causa, vel certe includit etiam Abigail. *Et auersatus est eos*. Alij, *Fecit volare eos*. *Vy ghit*, non solum auersari, sed inuehere in alium; vilipendere, irridere significat. *Caiet.* vertit, *Fecit volare eos*. Id est, expulit, abegit eos, leues, & celeres tanquam aues expulsas, quam celerrimè iussit eos abire: sed melius, *Et inuolauit eos*. Id est inuectus est in eos more auium rapacium. *Quoniam completa est malitia*. Alij, *Quia decretum est malum*, id est, certissimè veniet: quasi diceret, actum est de hero nostro, & eius familia. *Et ipse est filius Belial*, Alij, *Impius*, *sine profectu*, sed consule quæ iam dicta.

ANNOTATIONES.

Abigail autem. Hinc consequenter ponitur ipsius B Abigail prudens obuiatio. Et secundò ipsius Dauid pacificatio, ibi: *Cum autem vidisset*. Circa primum præmittitur facti notificatio ipsi Abigail per vnum de famulis suis, dicentem ei.

Ecce Dauid. Vbi patitur defectum victualium.

Vt benedicerent. Eum curialiter salutando, & eius beneficium humiliter petendo. Cætera patent ex prædictis vsque ibi.

Benedicerent Domino nostro. Salutarent, bene precarentur.

Considera, &c. Præcauendo tibi, & domui tuæ.

Quoniam, &c. Quia in promptu est vindicta de malitia sua: cognoscebat enim iste animositatem Dauid, & virorum eius.

Et aduersum. Id est in omnes nos redundabit istud malum, quamuis simus innoxij.

Et ipse. Quasi diceret, ideo dixi tibi hinc: quia maritus tuus verbum meum non reciperet, sed magis fugeret.

Completa est malitia aduersum virum tuum. Malitiam vocat pœnam, aitque ex præsumptione valde probabili, quæ ex verbis, signisque nuntiorum colligi posset, defini-

LYRAN. y. 14. MENO C. y. 17. MENO C.

tum esse ac statutum apud Dauidem ingentem aliquam calamitatem in Nabalem, totamque eius familiam importare.

Est filius Belial. Scelestus, & importunus, supra num.

3. dicitur. *Pessimus, & malitiosus.*

Ut possit nemo ei loqui. Ita ut asperum aliquod responsum non ferat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 18. ad 22.

Vulg. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuae passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos.

Pag. Quinque oues paratas, &c. & ducentas carricas.

Arias. Oves factas, botros aridos.

Tigur. Quinque sata tosti farris.

Malu. Centum flaccidos, & ducentas palathas, &c.

Sept. Rom. Quinque Oephi farinæ, & Gomor vnum vuae passæ.

Aquila. Ephi.

Cald. Ducentas tortas panis, & quinque pecora faginata, & quinque Zzauan polentæ, & decem palmites vuarum, & ducentas portiones, &c.

Syr. Centum caseos, & ducentas ficuum palatas.

Arias. Quinque decorticata carniū corpora, & vās plenum ficibus.

Vulg. Dixitque pueris suis: Præcedite me: ecce ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicauit.

Malu. Dixit excussis suis, transite faciebus meis.

Vulg. Cum ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radices montis, Dauid & viri eius descendebant in occursum eius: quibus & illa occurrit.

Pagn. Ecce illa descendente per absconditum montis.

Malu. Incurrit ad eos.

Sept. Rom. In tegmine montis.

Cald. Latere.

Vulg. Et ait Dauid: Verè frustra seruauī omnia quæ huius erant in deserto, & non periiit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.

Arias. Et non fuit visitatum ex omnibus quæ ei.

Alij vt vers. 7.

Vulg. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem.

Malu. Sic faciet Elohim malevolentibus Dauid.

Cald. Si relinqui faciam, &c. vsque ad lucem auroræ cognoscentem cognitionem.

Syr. Appensum ad parietem.

Arab. Res vlla, quæ paxillo appendatur.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quinque arietes coctos, Alij, *Oves paratas.* Scilicet ad edendum, & ideo coctas. *Sata polentæ,* Alij, *Sata farris.* Vide Concord. v. 17. c. 17. *Ligaturas vuae passæ,* Alij, *Botros aridos,* &c. Heb. est צמוקים *tsimmukim*, quas volunt esse vvas exsiccatas & aridas. Nomen seu participium Hebraismo est masculineum, vnde vertunt aridos, *Exsiccatos botros,* Alij per *ligaturas vuae,* accipiunt certas vuarum massas certi ponderis, & mensuræ. Vnde Sep. vertunt, *Gomor vnum vua passæ.* Aquila. *Ephi.* Quare asserit hîc Theod. Gomor esse idem quod Ephi, & satum, sed contrarium vide Exod. 16. v. 16. *Massas caricarum,* Alij, *Palatas, portiones ficuum.* Heb. דבלים *debelim*, quod deducunt quidam à בלה *balah*, quod est inueteratum esse, & inde hoc nomen significare ficus veteres, & pressas non recentes, quas palathas, seu caricas vocarunt; non fit mentio caseorum, nisi ab Arab.

Ad radicem montis. Alij, *Per absconditum, ad latus montis.* Id est per illam partem montis secretiorem, & magis occultam. *Cald.* *Per latus montis.* Solent enim latera montium occulta esse venientibus, & descendentibus ab altero latere. *Vsque mane mingentem ad parietem.* *Cald.* *Vsque ad cognoscentem cognitionem,* quo innuere videtur, quod hoc adagium comprehendit etiam omnes ratione vtentes, exclusis infantulis, sed mihi videtur esse simplicissima expositio, quasi dicat se nulli, vel vilissimo parciturum, ne canibus quidem, qui & ipsi parietes irrorant crure sublato.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 18.
MENO C.

Festinauit igitur. Ad præcauendum malo prædicto: & patet litera vsque ibi.

Quinque sata polentæ. Quinque mensuras tosti farris. Sep. habent: *Quinque Ephi farina,* quorum singula continent decem Gomor, Gomor autem mensura erat cibi in vnum diem sufficientis, etiam edacissimo cuique. Vide dicta Exod. 16. 16.

Centum ligaturas vuae passæ. Has Heb. textus צמוקים *tsimmukim* appellat, quæ vox botros, aut massas vuarum aridarum significat. Fortassè fuerunt vuae passæ in massam compressæ, & compactæ, ad eum planè modum quo ex Græcia vuae passæ deferuntur ad nos in vsum ciborum. Forsitan etiam ligaturæ dicuntur quod botri bini, & bini colligarentur, vt fit in Apulia, tanquam dimittantur in vasa, non autem quod iis sacculi infanti funiculis ligarentur. De hoc cibi genere, vide plura in nostris Oeconomis lib. 1. c. 27. n. 1.

Ducentas caricarum. Has Heb. appellant דבלים *debelim*, Græcè μαλαγας, eadem semper significatione, sunt ficus in massam compressæ, & vt quibusdam placet, in lateris formam figuratæ exilibus fortassè, oblongisque taleolis insertæ, vt apud nos fieri solet, aut aliqua alia ratione compactæ, vt facilius conferuentur, ne nimium arecant, succoque destituantur. *Caldæus* vertit *libras*, ea fortassè de causa quod quælibet massa libræ vnus pondus impletur.

TIRINVS *Quinque sata polentæ.* Quid sit *polentæ*, dixi cap. 17. v.

B 17. *De sato.* Vide Prologomena de mensuris.

Viro autem, &c. Quia præ auaritia, & nequitia sua totum impediuiisset.

Et descenderet, &c. Vbi inter duos montes erat vallis media ad quam descendeat Dauid ex parte vna, & Abigail ex opposita, & sic obuiabant mutuo.

Et ait, &c. Ista dixit Dauid audita relatione nuntiorum, sed hîc ponitur per recapitulationem vt dicunt aliqui: vel procedendo per viam dicebat hoc viris suis, vt dicunt alij, & fortè vtrumque potuit esse.

Malum pro bono. Contumelias scilicet, cum saltem gratias agere debuisset.

Hæc faciat. Hîc est modus iurandi per execrationem, quando aliquis sibi imprecatur malum futurum, nisi impleatur verbum suum, & ideo hîc pro ipso Dauid accipiuntur inimici Dauid, aliter esset iuramentum nullum, sed magis derisorium, sicut & supra c. 20. in in consimili ponuntur inimici Dauid pro ipso Dauid, vt ibidem dictum fuit.

Mingentem, &c. Id est, canem qui leuato crure mingit ad parietem. Dicunt etiam aliqui, quod per mingentem ad parietem, intelligitur infirmus qui non potest surgere, & ideo facit vrinam inter lectum, & parietem, & sic est intellectus verbi, quod non parceret viro & animali: quia etiam canis qui propter vilitatem non esset tangendus, & infirmus cui propter infirmitatem esset parcendum, non euaderent manum meam. Alij vero dicunt: quod per mingentem

mingentem ad parietem intelligitur omnis masculus, quia A
mingit erectus, & sic est intellectus verbi: quod Dauid
intendebat interficere omnes viros, non autem mulieres.

Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat. Iura-
mentum est cum execratione, qua sibi malorum cumulum
imprecatur, si non faciat quod se facturum iurat. Quod
ergo dicit; *Hæc faciat Deus inimicis Dauid*, de ipso Da-
uide intelligendum, & sic habent Sep. Alioqui nulla exe-
cratio foret, & iuramentum ridiculum esset, si tantum hos-
tibus suis malum imprecaretur. Interim & Hebræa ha-
bent illud (*inimicis Dauid*) Et similis phrasis est supra
cap. 20. vbi Ionathas in fœdere inito cum Dauid dicit;
Requirat Dominus de manu inimicorum Dauid, vbi tamen
sensus est, *Si auferas à me, & à domo mea misericordiam,*
requirat Dominus de manu ipsius Dauid, id est, sumat de
eo vindictam. Nonnulli dicunt *mitigationis causâ* dici (*ini-*
micis Dauid) pro ipso Dauid, sicut dicitur ab vxore Iob:
Benedic Deo & morere, id est, maledic. Vel, an fortè optet B
iurans Dauid, vt Deus hanc, & illam faciat inimicis
suis potestatem in se.

Si reliquero de omnibus que ad ipsum pertinent, vsque ma-
ne, mingentem ad parietem. Inferius etiam sic: *Non reman-*
sisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parie-
tem. Vbi notandum est Nabal non esse nominatiui casus,
sed datiu. Sic & Sept. *τῷ Νάβελ*. Quis autem dicatur min-
gens ad parietem, vide Scholion Vatabli, qui per min-
gentem ad parietem canem intelligit. Quod quidem ma-
ximè probabile est. Ita enim, & nunc, vbi de omnimoda
internecione sermo, vulgo dici solet, ne canem quidem
relictum esse, nec felem. Aliæ expositiones aliorum pa-
rum quadrant.

Inimicis Dauid. Nomine inimicorum Dauid se ipsum
intelligit, sed ira loquitur ad molliendam imprecationem,

quam in se ipsum intorquere insanum videtur. Porro Da-
uid hoc iuramento concepto peccauit, non solum quia ab
affectu vindictæ profectum est, sed etiam, quia in inno-
centes læuire animus fuit, quales multi fuerunt in domo
Nabal, & quia grauiorem peccato pœnam priuata etiam
auctoritate inferre statuebat.

Mingentem ad parietem. Ad ipsos vsque canes. Heb. est
יָרַח מַסְתִּין *masstin*, quæ Italicæ nostræ voci *mastino* responderet,
quo nomine pastorum canes appellamus.

Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat.] Hæc TIRINVS.
imprecationis apud Hebræos frequentissima est formula,
qua hîc videtur Dauid imprecari aliquid sibi valde aduer-
sum, hostibus vero suis prosperum ac lætum, quasi dicat.
Det hostibus meis Deus, vt sint in acie aduersum me supe-
riores, vt me de vitæ statu deiciant, &c. nisi notam ho-
die familiam Nabal excidero. Peccat haud dubiè Dauid,
sic iurando, magisque peccasset iuramentum complendo.
Neque enim capite luere debebat Nabal, seu inciuita-
tem, & ingratitude in negandis alimentis Dauidi: seu
contumeliam tam in ipsum, quàm in socios, quasi fugiti-
uos & rebelles, sparsam. Et vt scelus fuisset capitale, non
debebat à Dauid, sed à publico, & legitimo magistratu
puniri: Dauid enim, licet iussu Dei iam priuatim vnctus
esset, & designatus in regem à morte Saülis, non-
dum tamen publicè à populo admissus vel acceptatus
erat. Quòd si Dauid præter Nabalem, etiam inno-
centem illius familiam ferro, vt iurarat, delere con-
stituerit, quænam, obsecro, species honestatis obtendi
poterit tantæ crudelitati? Ita Caietanus, Dionysius, A-
bulensis & Sanctius, contra Theodoretum, qui contem-
dit abfuisse peccatum ab hoc Dauidis, & consilio, & iu-
ramento.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 23. ad 26.

Vulg. Cum autem vidisset Abigail Dauid, festinauit,
& descendit de asino, & procidit coram Dauid su-
per faciem suam, & adorauit super terram.

Arias. Prostravit in facies suas super facies Dauid, & in-
curuauit se in terram.

Malu. Cecidit naribus Dauidis.

Cald. Inclinata est desuper asino.

Vulg. Et cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit, domi-
ne mi, hæc iniquitas, loquatur, obsecro, ancilla tua
in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ.

Pag. Obnoxia pœnæ iniquitatis.

Caiet. Obsecro mi domine, iniquitas.

Vatab. Ego peccaui.

Malu. In me ego sustentator mi prauitas.

Sept. Rom. In me stat iustitia mea.

Arab. Rogo vt condones hæc, culpa mea est.

Vulg. Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super
virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum no-
men suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem
ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos mi-
sisti.

Pag. Quia secundum nomen suum sic est Nabal nomen

eius.

Arias. Et vilitas cum eo.

Caiet. Ad virum Beli-iahah, &c. & ignominia cum eo.

Malu. Et fatuitas cum ipso.

Sep. Rom. Super hominem pestilentem hunc, quia iuxta
nomen suum hic est, Nabal nomen ei, & insipientia cum
eo.

Cald. Stoliditas cum eo.

Syr. Dedecus eius comitatur eum.

Arab. Actiones eius nomini suo respondent; Nabal no-
men eius indicat actiones, & ineptias eius.

Vulg. Nunc ergo, domine mi, viuât Dominus, & viuât
anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, &
saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal ini-
mici tui, & qui querunt domino meo malum.

Malu. Et nunc sustentator mi, &c. qui minuit te Ihuh.

Sept. Rom. Et seruare manum tuam tibi.

Reg. Ne venires in sanguinem innocentem.

Cald. Quod prohibuit te ab vliscendo manu tua te.

Syr. Non attingas sanguinem, quin liberet te Dominus.

Arab. Nequaquam patiar te sanguines ingredi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Descendit de asino. *Cald. Inclinata.* Sed inclinatione facta descendit. *In me sit hæc iniquitas,* Alij, *Obsecro, in me*
iniquitas Quasi diceret, ego iniqua sum; sed verius *Pag. Obnoxia pœnæ iniquitatis.* Exerce in me supplicium,
modo à viro meo, & à domo mea auertas. *Quoniam secundum nomen suum stultus, & stultitia in eo.* Alij, *Sic est*
Nabal nomen eius. Alij, *Et fatuitas cum eo.* Heb. Nabal, inquit D. Ambr. Epist. 35. Latine insipiens, durus, inhumani-
mus, in hospitalis, ingratus, qui officia nesciret referre. *Et saluauit manum tuam tibi.* Alij, *Et prohibuit te ab vliscendo*
manu tua te, quod non malè redditum: nam hæc verba. *Et saluauit manum tuam tibi*, sensum hunc habent: Ne manu
tua vltimum sumeres de inimicis tuis supplicium, ne venires in sanguinem: *Reg.* addit *innocentem*, nempe respectu A-
bigail, & domesticorum eius, qui non fuerant participes culpæ Nabal.

ANNOTATIONES.

Cvm autem. Hic consequenter ponitur ipsius Dauid C
pacificatio: vbi primò præmittitur ipsius Abigail de-
precatio. Secundò ipsius Dauid acceptatio, ibi: *Et ait*

Tom. IV.

Dauid. Deprecatio autem Abigail ostenditur acceptabilis
primò ex sui humilitate in factò, cum dicitur. *Et procidit*
seram Dauid, &c. Et verbo, cum subditur.

Li

- LYRAN.** *Et dixit.* Primò parata sum recipere quamcumque vindictam pro mariti mei iniquitate. Secundò ostenditur deprecatio Abigail acceptabilis ex rationabili allegatione, cum dicitur.
- Loquatur, &c.* Vbi primò allegat viri sui stultitiam, & ideo factum suum viro prudenti non est accipiendum cordi, & hoc est quod dicitur.
- MENOC.** *In me sit hac iniquitas.* Luam ego pœnas eorum quæ Nabal in te peccauit.
- LYRAN.** *Ne ponat oro.* Nabal enim stultus interpretatur: quasi diceret, stultus est te, & nomine. Secundò allegat suam ignorantiam, dicens,
- Ego autem, &c.* Quasi diceret, si enim vidissem eos, fuissent gratiosè recepti, nec recessissent vacui. Tertio allegat diuinam clementiam quæ parata est semper parcere, dicens:
- MENOC.** *Ne ponat cor suum.* Ne attendat quæ facit aut loquitur Nabal, nec illis offendatur, cum stultus sit, ebrius, nec sui compos.
- A** *Secundum nomen suum, &c.* Hoc enim Nabal significat. *Nunc ergo.* Quasi diceret, verum est quod Deus viuit, & tu viuis: ita diuina clementia factum est, vt venirem obuiam tibi ad impediendum ne venires ad effundendum sanguinem.
- Et saluauit.* Scilicet innocentem: solus enim Nabal erat culpabilis, cum quo fuissent occisi innoxij.
- Et nunc.* Scilicet fatui, & improuidi in factis suis. Ra. Sa. dicit, quod Abigail hoc dixit per spiritum prophetiæ, significans quòd Nabal citò moreretur.
- Viuit Dominus, & viuit anima tua.* Gratias agit Deo, & Dauidi callidè gratulatur, quasi diuinitus prohibitus sit à fundendo sanguine, quæ gratulatio simul ostendit non benefacturum fuisse Dauid si in proposito expectandæ vltionis perseveraret.
- Saluauit manum tuam tibi.* Cohibuit te, & manus tuas vltices.
- Fiant sicut Nabal inimici tui.* Optat vt inimici Dauid fiant contemptibiles, & facillè superabiles sint, vt Nabal.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 27. ad 29.

Vulg. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui sequuntur te dominum meum.

Arias. Et nunc benedictio hæc detur pueris ambulanti- bus in pedibus suis.

Cald. Et nunc oblatio hæc, quam venire fecit, dabitur ministrantibus ante Dominum.

Arab. Attulit famula tua munusculum.

Vulg. Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

Pag. Parce obsecro præuaricationi, &c. præliatus est.

Caiet. Malum non inuenietur in te.

Tigur. Remitte transgressionem.

Cald. Quia firmando firmabit.

Syr. Paratus est.

Vulg. Si enim surrexit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodia quasi in fasciculo viuientium, apud Dominum Deum

tuum: potro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ.

Pag. Erit colligata in fasciculo vitæ.

Alij. Vitarum, &c. animam inimicorum tuorum iaculabitur funda in medio fundæ sedis.

Arias. Funda iaciet eam in medio curuaturæ fundæ.

Caiet. Erit ligata in ligamine vitarum, &c. in medio plantæ fundæ.

Tigur. Iaculabitur in media vola plantæ fundæ.

Malu. Conclusa in colligatura viuientium, &c. fundibulabit eam.

Galatin. Ligata in ligatorio.

Alij. In sacculo loculo.

Hugo Card. Petr. Comest. In fasciculo vitium.

Cald. Erit in thesauro vitarum sæculi, & animam authorum inimicitie tuæ volare faciet, vt qui volare faciunt lapides in funda.

Syr. In medio lancis fundæ.

Arab. Anima est asseruata, cui Deus Dominus tutelam imposuit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Aufer iniquitatem famulæ: Alij, Parce obsecro præuaricationi. Licet suam dicat, non sua erat, sed mariti, quam in te transferri cupit, scilicet pœnam ei debitam. *Domum fidelem.* Alij, Firmando firmabitur. Vnde domum fidelem, id est, posteritatem firmam & stabilem. *Erit anima, &c. custodia, quasi in fasciculo viuientium apud Dominum.* Alij, Colligata in fasciculo vitæ, &c. Primum explodenda lectio Hug. Cardin. & Petri Comest. legentium, in fasciculo vitium; sed malè, nam in Hebr. est חייבים hachaiim, vitarum, & Græcè ἐν δεσφύω τῆς ζωῆς. Ad Concordiam ergo aliarum lectionum deueniamus. Hebr. est. *Fasciculus vitarum*, quo significatur quæta, secunda, & diuturna vita: nam Hebræorum idiotismus est, numero plurali, præstantiam, & magnitudinem rei denotare. Noster, *viuentium*, hoc est, qui soli digni dici viuere; Cald. in thesauro vitarum sæculi. Vitas sæculi vocat vitam diuturnam, & tranquillam, licet aliqui velint loqui Cald. de æterna vita: sensus ergo huius loci est, vt idem sit illigari fasciculo viuientium, quod à Deo, sedulo, diligentet custodiri, conseruarique: ne quis vitam (nam anima hinc vitam præsentem significat) non modo non adimat, sed ne perturbet. Aduerte autem צרור *iferor*. non solum pro fasciculo, colligatura, &c. sumi, sed etiam pro loculo, vbi quis ligatus, ceu inuolutus iacet, ac quiescit: Hinc est quod in tumbis suis iudæi passim hanc insculpunt sententiam: Sit anima eius ligata in loculo viuientium. Vnde sensus erit, vitam viuere beatam, saltem à miseris huius vitæ liberam, sicut ij, qui in limbo sanctorum Patrum requiescunt.

Inimicorum tuorum anima rotabitur, &c. Alij, *Iaculabitur funda, in medio sedis fundæ.* Sedes appellatur pars latior fundæ, vbi lapis iaciendus reponitur. Sensus ergo huius adagij erit: Eiciet celerrimè Deus ex hoc mundo vitam inimicorum tuorum, quemadmodum lapis funda emitti solet: vel vt hoc adagium alteri respondeat, indicatur hostium vita dubia, breuis, plena curis, sollicitudinibus, & ærumnis; nam funditor lapidem rotat, & turbine circumagit, & tandem illum, quo & quando lubet, eicit, vel ille excidit, quæ caua funda patet. Cald. habet, *Volare faciet*, vt qui volare faciunt lapides, è funda volatum intelligit, non emissi iam lapidis, sed reuoluti in fundæ sinu. Ideo melius verteretur in funda, vt habet Vulg. & Sep.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *Quapropter suscipe, &c.* Id est, exenium.
- Benedictionem hanc.* Hoc munusculum.
- MENOC.** *Aufer.* Recipiendo exenium in signum remissionis of-
fensæ, quam Abigail super se acceperat, dicens: *In me, &c.* Vt prædictum est. Quarto allegat regni dignitatem, quam consecutus erat Dauid, quæ quidem dignitas exigit in habente, innocentiam, & hoc est quod dicitur.
- B** *Faciens enim, &c.* Tradendo tibi regnum.
- Quia, &c.* Id est, ad Dei honorem, & communem utilitatem populi.
- Malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.* Quia non decet tantam dignitatem. Quinto allegat protectionem diuinam quæ protegit secundum misericordiam, dicens. *Si enim, &c.*

MENOC. *Aufer iniquitatem famulae tuae* Dixerat enim num. 24. *In me sit ista iniquitas, & se peccati illius quodammodo ream constituerat.*
Faciet tibi domum fidelem. Stabiliet te, & domum tuam non ad breue tempus, vt domum Saül, sed in perpetuum. *Cald. vertit. Regnum firmum.*

Malitia. Peccatum, quale hoc esset si sciret in nos.

TIRINVS. *Faciens enim faciet,* id est, certissime faciet, *Dominus tibi domum fidelem.* Id est, familiam, & stirpem regiam tibi stabiliet: quasi dicat. Non solum tu rex futurus es, sed & stabile manebit regnum in tua familia. Atqui minime decet, regem ac personam tam sublimem, priuatas persequi inimicitias aduersus impotentes subditos, aut iniurias proprias vlscisci. Sic Imperator factus Hadrianus, à vindicta mox destitit illius, quem priuatus insectabatur: vnde occurrenti dixit, *enassisti*: neque enim potest priuatas iniurias honeste persequi Imperator. Et Ludouicus XII. ex Duce Aurelianensi factus rex Galliae, cum quidam suggererent, vt vindictam sumeret de acceptis ante iniuriis, sapienter magnificeque respondit: Non pertinet ad regem Galliae iniurias vlscisci, quas Dux Aurelianensis accepisset.

LYRAN. *Erit anima, &c.* Id est, à Deo protegetur contra omnes infidias malorum. Dicunt hic aliqui, quod loquitur metaphoricè, quia sicut ramusculi alibi transplantandi, vel inserendi, in fasciculo ligantur, & in aqua ponuntur, &

postea transplantantur, vel inseruntur, sic iusti in praesenti vita conseruantur in humore gratiae, vt transplantentur in terra viuientium per adeptionem gloriae, de quibus reputabat ipsum Dauid.

Pro inimicorum, &c. Id est, voluetur per vitia diuersa, & mala, quousque proiciatur ad pœnam gehennæ. Sexto allegat pacem conscientiae ipsius Dauid futuram, cum dicitur. *Cum, &c.*

Custodia quasi in fasciculo viuientium. Videtur sumpta metaphora ab agricolis, qui decidas ab arbore virgulas, aut furculos colligant in fasciculum, & aquam infundunt ne arefiant. Ita Dauid, quia exulabat, quasi ramus erat ab arbore abstractus, quem Abigail Dei prouidentia in vita optat conseruari, & ab hostibus illum ad necem quaerentibus defendi.

Rotabitur quasi in impetu, & circulo fundæ. Profugi enim, & vagi dissipabuntur, & dispergentur vel vt lapides, quos funda circumacta longè à nobis proiicimus.

Erit anima tua, seu vita tua custodita, quasi in fasciculo viuientium. Seu in numero, & congregatione eorum, quos Deus tutela sua conseruat viuos, & incolumes aduersus quamuis machinationem, aut vim hostilem. Et quidem ita contigit Dauidi: nam & innumeris praeliis implicatus, & infinitis variorum infidiis appetitus, semper ope diuina incolumis euasit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 30. ad 34.

Vulg. Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quae locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israël.

Pag. Et praecepit tibi vt sis dux.

Sep. Rom. Mandabit tibi in lucem.

Cald. Et iuberi faciet te esse regem.

Vulg. Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris: & cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillae tuae.

Pagn. Non erit tibi hoc offensio, & offendiculum cordis.

Arias. Non erit in vacillationem, ad effundendum sanguinem gratis, & ad faciendum salutem Dominus Deus sibi.

Malu. Et non erit istud tibi luxationi, & impactioni cordis, &c. & ad saluare sustentatorem meum sibi.

Sep. Rom. Et non erit tibi hoc abominatio, & scandalum.

Aquila. Suffocatio.

Cald. Non erit tibi hoc in anxietatem, & in pondus cordis.

Vulg. Et ait Dauid ab Abigail; Benedictus Dominus Deus

Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum.

Arab. Benedicta discretio tua.

Tigur. Gratiam habeo moribus tuis.

Malu. Benedictus sit gustus tuus.

Cald. Benedicta sit cognitio tua.

Syr. Sapor tuus.

Arab. Iudicium tuum.

Vulg. Et benedicta tu, quae prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlsciscerem me manu mea.

Pag. Ne venirem in sanguinibus, ad seruandum manum meam mihi.

Malu. Quae coërcuisti me.

Sep. Rom. Hodie in hac.

Syr. Quae me continuisti.

Vulg. Alioquin viuit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.

Malu. Qui minuit me de malefacere ad te.

Cald. Donec luceret aurora cognoscens cognitionem.

Syr. Nec remansisset quicquam aptatum parieti.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In singultum, Alij, *Non sit tibi offensio, luxatio, &c.* In Heb. est פוקה *pukah*, quae vox non alibi occurrit, & haec significata habere dicitur, in amotionem, luxationem, dissolutionem, vacillationem, nutationem, & ideo singultum: ex dolore enim dissolutionis, vel luxationis alicuius corporis partis, singultimus. Septuag. Rom. habent, *Non erit tibi abominatio.* Theodor. inquit, Aquila dixit *νυδος*, suffocatio (sed hoc ita scriptum, ait Nobilius, est in Codice, qui solus tunc erat ad manum, vt facile appareat subesse mendum, aut fortasse legendum *πυδος*, aut *ουδος*, Interpretes quidem habet compunctio.) Significat autem conscientiae aculeos, Scholiastes haec referens habent, *λυδος*, conuulsio ex erosione, singultus, vt habet *Vulg.* *Et in scrupulum cordis*: Sept. Rom. *Et in scandalum.* Ita libri vetustiores; in aliis additur *καδύς*, & ita *Vulg.* *συψ* significat consilium, discretionem, prudentiam, & ideo gustum saporem, quid enim magis sapit quam prudentia & discretio?

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Non erit tibi hoc, &c.* Id est, in mœrorem animi, & B lendi, & mœrendi, conscientiae remorsum.

Quod effuderis, &c. Quantum ad familiam Nabal.

Aut ipse te vltus. De ipso Nabal, quod non decet, vt aliquis vlsciscatur se manu propria, vt dictum fuit cap. praecedenti.

MENOC. *Non erit tibi hoc in singultum, &c.* Causa scilicet do- Tom. IV.

Et ait Dauid, &c. Hic consequenter ponitur ipsius Dauid acceptatio, vbi primò regratiatur Deo, dicens.

Benedictus Dominus, &c. Quia eius prouidentia, & dispositione Abigail occurrit Dauid ad ipsum pacificandum, Secundo ipsi Abigail, dicens.

Et benedictum eloquium. Et patet littera vsque ibi.

ESTIVS.

Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te in occursum meum. Merito benedicit Dauid Deum, qui ipsum prohibuerit, ne iret ad sanguinem, neque exequeretur quod temere iurauerat, tum quia plus mali est peccatum, simul externum & internum, quam internum solum, licet non semper intensius, tum quia in executione facinoris, plerumque crescit malitia voluntatis, tum denique, quia mala voluntas impedita ab executione, facilius conuertatur in bonam,

ut in proposito. Non est enim excusandus Dauid à peccato, quod Nabal cum tota familia, quæ innocens erat, statuisset delere. Et fortè etiam peccatum Nabal non erat tam enorme, quod legibus humanis potuisset plecti morte. In hoc ergo non est Dauid imitandus, sed in eo potius, quod non impleuit iuramentum, quod vidit sine peccato impleri non posse.

Non remansisset Nabal. Nabal est enim datiuus casus: *MENOC. v. 34.* Alij legunt. *De Nabal.* Vide dicta num. 22.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 35. ad 39.*

Vulg. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoravi faciem tuam.

Pag. Accepi faciem tuam.

Arias. Tuli facies tuas.

Calet. Eleuauit.

Sept. Rom. Suscepi.

Reg. Reueritus sum.

Arab. Accepi sermonem tuum.

Vulg. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: & non indicauit ei verbum pusillum, aut grande vsque mane.

Arias. Et cor Nabal bonum super se.

Malu. Et ipse ebrius vsque ad valde.

Cald. Cor pulchrum super ipsum.

Arab. Erat Nabal temulentus, hilaris animi, & admodum ebrius.

Vulg. Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.

Arias. Et fuit mane in egrediendo vinum, &c. & ipse fuit in lapidem.

Sept. Rom. Ut respuit anima, & emortuum est cor eius in eo.

Cald. In visceribus suis.

Arab. Cum ab ebrietate sua expectectus esset, extimuit, atque perterritum est cor eius.

Vulg. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.

Arias. Et fuit ferè decem dies.

Sept. Facti sunt circiter decem dies.

Malu. Consternauit Nabalem.

Cald. Fregit.

Arab. Adeo ut ægrotaret decem diebus, & à Deo cruciatus moreretur.

Vulg. Quod cum audisset Dauid, mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrii mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & locutus est Abigail, ut sumeret eam sibi in vxorem.

Arias. Qui litigauit litem opprobrii mei.

Tigur. Laudandus Dominus qui vindicauit, &c.

Sept. Rom. Qui iudicauit iudicium.

Arab. Ultus est me, & opprobrium, quo me affecterat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Honoravi faciem tuam. Alij, *Accepi, eleuauit, &c.* Quæ in idem ferè coincidunt, nam qui vertunt, *eleuauit*, sic exponunt; crexi te pavidam pro salute domus tuæ, leuauit faciem tuam mœstam, ac demissam: & in hoc gratiam tibi impendi. *Vulg.* autem qui habet, *Honoravi faciem tuam*, hunc sensum habet, respectum tui habui, acceptam te, & gratiam habui, tibi concessi quod à me postulasti. *Emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis:* Alij, *Perterritum est cor eius*, sed non satis exprimunt illius stuporem: Melius ergo *Vulg.* qui posuit, *Emortuum est cor eius*. His enim verbis grandis significatur stupor, qui ex subito quodam horrore, & ex duro atque inopinato successu, & nuncio concipitur, qui solet sic hominem vehementer afficere, ut exanguem reddat, ac exanimem. *Cum pertransissent decem dies*, Alij, *Et fuit quasi decem dies*. sed hæc nota similitudinis veritatem significat: vnde quasi hinc non pro ferè aut circiter ponitur, nam decem dies transierunt ab eius stupore. *Qui iudicauit causam opprobrii mei*, Alij, *Qui litigauit litem*, qui scilicet partes meas suscepit, & aduersus malitiam Nabal sententiam tulit.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 35.

Vade in pace, &c. aliàs, *pacificè*: Quasi diceret, pacificatus sum tibi, & domui tuæ.

Ecce audiui vocem tuam, &c. Id est, exaudiui deprecationem tuam.

Et honoravi faciem. Accipiendo exenium de manu tua: & sic non feci tibi verecundiam, repellendo in aliquo petitionem tuam.

MENOC.

Honoravi faciem tuam. Feci te voti compotem ob honorem, & amorem tui. Sic è contra confundere faciem alicuius, phrasi Hebraica est negare postulata, ex quo fiat vt postulans confusus abscedat, vide 3. Reg. 2. 20.

LYRAN.

v. 36.

Et non indicauit ei verbum. Prudenter enim expectauit tempus, in quo esset extra ebrietatem.

MENOC.

Quasi conuiuium regis. Propter ciborum abundantiam, & conuiuarum multitudinem.

Cor Nabal iucundum. Qui enim largius bibunt, hilariores fiunt.

Non indicauit ei verbum. Prudenter, quia temulentus erat.

Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal. Hinc consequenter describitur diuina ultio circa ipsum Nabal, cum dicitur.

Et factus est quasi lapis. Hæsit, timoreque obstupuit.

Emortuum est cor Nabal intrinsecus.] Quia nempe

cognito ex vxore malo, quod sibi ipse sua imprudentia accessuerat, vixque prudentia vxoris depulerat, tanto correptus est horrore ac stupore, vt omnem sensum amiserit, & instar lapidis obriguerit. Quod sæpè in subito metu, aut dolore contigisse legimus; & Poëta de Niobe fingunt, quòd audita cæde filiorum, conuersa sit in lapidem, id est, instar lapidis obriguerit, sensu & mente destituta. Postquam vero Nabal totos decem dies alienus à sensibus, cautes potius quam homo transegisset, noua alia plaga, putà morbo maligno ac lethali, à Deo percussus, infelix interit. Sideratum fuisse dicit Iosephus, seu noxii sideris afflatu extinctum, nullâ morbi causâ extrinsecus apparente.

LYRAN. *Cumque pertransissent.* Dicit Rab. Sal. quòd tot diebus A languit quasi mortuus, eo quod decem iuvenes missos à Dauid confuderat.

Percussit Dominus. Ex quo patet, quod non fuit mortuus morte naturali, sed accelerata ultione Dei.

MENOC. *Percussit Dominus.* Siue peste, siue alia quavis plaga, ut ait Abulensis.

Quod cum audisset. Tali diuina percussione.

LYRAN. *Ait. Benedictus, &c.* Applaudens diuinæ iustitiæ, secundum illud Psal. 57. *Letabitur iustus cum viderit vindictam, &c.* Non autem gaudebat de morte Nabal, zelo vindictæ.

Misit ergo, &c. Per nuntios missos.

Vt sumeret. Quia sciebat eam esse pulchram, & pru-

dentem, & diuitem, ut patet ex supradictis.

Benedictus Dominus, &c. Lætatus est Dauid, quia non reddidit malum pro malo, & meritum apud Deum. & pacem conscientiæ consecutus est, & in diuina prouidentia lætatus est. De malo autem Nabalis, ut malum eius fuit, gaudere non potuit, id enim ab odio proficiscitur, & animum offensione adhuc exulceratum sapit.

Opprobrij mei. Contumeliæ mihi à Nabal illatæ.

Misit ergo Dauid, &c. Non statim à Nabalis morte, sed aliquo temporis spatio interiecto, vnius verbi gratia, aut alterius mensis, neque enim nota aliqua carent mulieres, quæ statim à prioris mariti morte, ad nouas nuptias conuolant.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 40. ad 44.

Vulg. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: Dauid misit nos ad te, ut accipiat te sibi in vxorem.

Vulg. Quæ confurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, ut lauet pedes seruorum Domini mei.

Arias. Incuruauit se in facies.

Malu. Procumbere se fecit nares in terram.

Sept. Rom. Ad lauandum pedes puerorum tuorum.

Vulg. Et festinauit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierant cum ea, pedissequæ eius, & secuta est nuntios Dauid: & facta est il-

li vxor.

Arias. Equitauit, &c. & quinque puellæ ambulantes ad pedem eius.

Arab. Qui duxit illam in matrimonium.

Vulg. Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezraël: & fuit vtraque vxor eius.

Malu. Et fuerunt etiam duæ eæ ei mulieribus.

Quidam. Et Achinoam acceperat Dauid.

Vulg. Saül autem dedit Michol filiam suam, vxorem Dauid, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

Aliqui teste Malu. Dederat Michol.

Sept. Rom. Phalti filio Amis, qui de Romma.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Sed & Achinoam accepit Dauid, Quidam. Et Achinoam acceperat: Sed vnde sciunt ante Abigail duxisse Achinoam? Dedit Michol, Alij, Dederat. Quasi id mouerit Dauidem ad ducendam Abigailem, quod Dauid ipsi Michol abstulerat, & alteri locauerat: Qui erat de Gallim. Aliter Septuag. Rom. sed Reg. sicut & Heb. conformiter ad Vulg.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Quæ confurgens,* Scilicet Dominum de tanto beneficio laudans, quòd Dauid in regem electus à Deo pete bateam pro vxore: propter quod respondit valde humiliter, dicens. *Ecce famula tua, &c.*

MENOC. *Adorauit prona in terram.* Quasi præfenti Dauid in famulis suis reuerentiam exhibens, vel beneficium Dauidis agnoscens, & pro illo Deo gratias agens.

MENOC. *Festinauit, & surrexit, &c.* Non cum ipsis nuntiis profectam crediderim ad Dauid, sed aliquanto post, ut interim quæ ad nuptias, & profectionem necessaria erant, pararet.

Pedissequa eius. Videntur hæ pedibus iter confecisse, quod etiam ex Hebræo colligi potest, & ita sentit Abulensis, & breuis erat via, & vnius tantum asini fit mentio, qui honoris causa dominæ destinatus erat.

Secuta est nuntios Dauid. Scilicet post aliquot dies, ut diximus.

LYRAN. *Sed & Achinoam, &c.* Videtur quod fecerit contra mandatum Domini Deut. 15. vbi dicitur, quod rex constitutus de Israël non debebat sibi multiplicare vxores. Dicendum quod illud intelligitur de vxoribus alienigenis inclinantibus animum viri ad idololatriam: sicut contigit

B Salomoni, ut habetur infrà 3. lib. 11. cap. hoc autem non fecit Dauid.

Sed & Achinoam, &c. Iosephus ait Achinoam ante ductam fuisse à Dauid, quàm Abigail, cui sententiæ fauet quod 2. Reg. 3. 2. Ammon primogenitus Dauidis filius Achinoam fuisse dicitur, & ubicumque de vxoribus Dauidis agitur, primo loco Achinoam nominatur. Prima ergo fuit Michol, secunda Achinoam, tertia Abigail.

De Iezrael. Quæ est nobilis ciuitas in tribu Iuda.

Saül autem. Dicunt Heb. quod iste fuit legis Doctor, & ideo licet acceperit Michol ad obediendum Saüli, & ut honoraretur tanquam Gener regis: non tamen cognouit eam, quia sciebat eam esse veram vxorem Dauid, qui ipsam non repudiauerat: propter quod Dauid postea recepit eam: qui tamen non accepisset eam, si fuisset ab eo cognita, sicut non fuit ingressus ultra ad vxores suas, quas cognouit Absalon, ut habetur infrà lib. 2.

Qui erat de Gallim. Ciuitate tribus Benjamin, cuius meminit 10. 30. Non caruit culpa Michol, quæ non repudiata, nec soluto matrimonio alteri nupsit, & in adulterio vixit, donec à Dauid reuocata est, 2. Reg. 3. 14.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS.

David iterum à Ziphais apud Saülem delatus, hastam, & scyphum dormienti regi subducit, rege intacto. Quod vbi Saüli innotuit, culpam agnoscit, spondetque Dauidi omnem securitatem.

I. **E**T venerunt Ziphæi ad Saül in Gabaa, dicentes: Ecce, Dauid absconditus est in colle Hachila: quæ est ex aduerso solitudinis. 2. Et surrexit Saül, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israël, vt quæreret Dauid in deserto Ziph. 3. Et castrametatus est Saül in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerso solitudinis in via: Dauid autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saül post se in desertum, 4. misit exploratores, & didicit quòd illuc venisset certissimè. 5. Et surrexit Dauid clam, & venit ad locum vbi erat Saül: cumque vidisset locum, in quo dormiebat Saül, & Abner, filius Ner, princeps militiæ eius, & Saülem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius, 6. ait Dauid ad Abimelech Hethæum, & Abifai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis descendet mecum ad Saül in castra? Dixitque Abifai: Ego descendam tecum. 7. Venerunt ergo Dauid, & Abifai ad populum nocte, & inuenerunt Saül iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius. 8. Dixitque Abifai ad Dauid: Concluserit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundo opus non erit. 9. Et dixit Dauid ad Abifai. Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? 10. Et dixit Dauid: Viuit Dominus, quia, nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit, 11. propitiussit mihi Dominus ne extendam manum meam in Christum Domini. Nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus. 12. Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saüli, & abierunt: & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos. 13. Cumque transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longe, & esset grande interuallum inter eos, 14. clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem? 15. Et ait Dauid ad Abner: Numquid non vir tu es? Et quis alius similis tui in Israël? Quare ergo non custodisti Dominum tuum regem? Ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret regem, dominum tuum. 16. Non est bonum hoc, quod fecisti: viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum, Christum Domini. Nunc ergo vide vbi sit hasta regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius. 17. Cognouit autem Saül vocem Dauid, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi Dauid? & ait Dauid: Vox mea, domine mi rex. 18. Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci? Aut quod est malum in manu mea? 19. Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba serui tui: Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui diis alienis, 20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israël vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus. 21. Et ait Saül: Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stultè egerim, & ignorauerim multa nimis. 22. Et respondens Dauid, ait: Ecce hasta regis: transeat vnus de pueris regis, & tollat eam. 23. Dominus autem retribuet vnicuique, secundum iustitiam suam, & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini. 24. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia. 25. Ait ergo Saül ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abiit autem Dauid in viam suam, & Saül reuersus est in locum suum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 5.

Vlg. Et venerunt Ziphæi ad Saül in Gabaa, dicentes: Ecce, Dauid absconditus est in colle Hachila, quæ est ex aduerso solitudinis.

Pag. Contra faciem Iesimon.

Malu. Abscondens sese in Sibghah Chachilah.

Sept. Veniunt Ziphæi ab æstuosa ad Saül in collem.

Arias. Cum rursus venissent.

Vulg. Et surrexit Saül, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israël, vt quæreret Dauid in deserto Ziph.

Arab. Hebens tria millia virorum animosissimorum.
Lucifer. In desertum opacum.

Vulg. Et castrametatus est Saül in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerso solitudinis in via: Dauid autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saül post se in desertum.

Pag. Quæ est contra faciem Iesimon iuxta viam.
Sep. Rom. Castrametatus est in colle Echela.

Vulg. Misit exploratores, & didicit quod illuc venisset certissimè.

Malu. Misit Dauid pedantes, venit ad stabile.

Sept. Rom. Quia venit paratus de Ceila.

Reg. Paratus illuc.

Lucif. In Siceler.

Aly Græci. Verè illuc.

Cald. In veritate.

Vulg. Et surrexit Dauid clam, & venit ad locum vbi erat Saül: cumque vidisset locum, in quo dormiebat Saül, & Abner, filius Ner, princeps militia eius, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius,

Pag. Saül iacebat in loco castrorum, & populus castrametati erant.

Arias. Iacens in rotunditate.

Malu. Saül cubans in magali.

Sep. Rom. In Lampene.

Reg. In curru.

Aquila. In cauitate.

Lucif. In stragulis præclaris.

Cald. Princeps militia, &c. Saül cubans in vallo, & populus se ponentes circum ipsum.

Syr. Iacebat in semita. *Ita & Arab.*

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Venerunt Ziphai ad Saül, Sep. Rom. habent, *Ab astuosa*, sed ab aliis Codicibus abest. *In Gabaa.* Sept. *In vallem.* Vide dicta superius. *Absconditus est in colle Hachila.* Alij, *In Ghibghah Chachilah:* Putant enim Ghibghah esse nomen proprium loci: *Ex aduerso solitudinis,* Alij, *Contra faciem Iesimon.* Vide dicta superius. *Surrexit Dauid clam.* Alij non habent hanc particulam, *Clam,* nec in antiquis Latinis reperitur. *Dormiebat in tentorio,* Alij, *In vallo, rotunditate, &c.* Heb. מַגְבָּחַל maghabhal, quæ propriè non significat tentorium, sed quid rotundum. Forètè tentorium rotundum, quasi conopæum. Vox illa ergo propriè significat vallum ex curribus, siue propugnaculum confertis curribus, extructum, quæ est tumultuaria castrorum munitio, cum pro vallo, dispositos currus mutuo nexu iungunt. Huiusmodi munitioem Aquila εστρωλάσσι appellat à rotunditate, nam εστρωλάσσι propriè rotunditas est. Vide Concordiam vers. 17. c. 20.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **ET** venerunt. Hic ponitur tertius prouentus Dei circa
 1. 1. **D**avid, per hoc quod Saulem iterum in manu sua tradidit, vt sic Dauid innocentia, & Saül nequitia plenius appareret. Et diuiditur in tres partes: quia primo Saül manibus Dauid exponitur. 2. expositus custoditur, ibi: *Dixitque Abisai.* Tertio à Dauid conuincitur, ibi: *Cumque transfisset.* Circa primum dicitur.

Et venerunt. Isti iam ante Dauid accusauerant Saüli, vt habitum est supra 23 Et ideo timentes ne Dauid post Saül regnaret, & per consequens eorum proditionem puniret, solliciti erant de captione Dauid, vt moreretur.

MENOC. *Ex aduerso solitudinis.* Ad dextram nimirum eius partem, supra enim c. 23. 19. dicitur. *In colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti.*

LYRAN. *Et cum eo tria.* Scilicet ad bellandum.

1. 2. *Videns autem.* Id est, cognoscens per nuntium sibi dicentem, quia processus regis cum tali multitudine bellatorum non potest latere.

1. 3. *In Gabaa Hachila.* In colle siue excelso loco, non enim

A Gabaa hic proprium est nomen, sed commune.

Videns autem, &c. Per exploratores scilicet, vel per seipsum, vt verò rem certo cognosceret, exploratores mittit.

Misit exploratores. Vt sciret certitudinaliter tempus, & locum vbi castra poneret. LYRAN. 1. 4.

Et surrexit Dauid clam. Id est, absconditè, & mutato habitu, ne cognosceretur, sicut Alexander magnus fuit in castris Porì regis Indiæ, ad explorandum, prout habetur in historia ipsius. LYRAN. 1. 5.

Venit, &c. Venit ipsemet, vt vult Lyranus, mentito tamen habitu. Vel etiam dici potest venisse Dauid per exploratores, quo etiam modo explicandum quod dicitur vidisse, vel venit, & vidit ex vicino aliquo edito loco. MENOC.

Saulem dormientem in tentorio. Longè positus dormientem videre non potuit, sed dormientes vidisse dicitur, quia reuera dormiebant, & ipse nullum motum animaduertebat, & magnam populi partem circumfusam videbat humi stratam, & ad quietem compositam.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad II.

Vulg. Ait Dauid ad Abimelech Hethæum, & Abisai filium Saruix, fratrem Ioab, dicens: Quis descendet mecum ad Saül in castra? Dixitque Abisai: Ego descendam tecum.

Pag. Et respondit Dauid.

Malu. Quis descendet ad defidentiam?

Sep. Quis introibit mecum.

Vulg. Venerunt ergo Dauid, & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saül iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius.

Pag. In loco castrorum.

Aly vt versu 5.

Vulg. Dixitque Abisai ad Dauid: Conclufit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundo opus non erit.

Pag. Vice vna, & non.

Tigur. Sine obsecro vt vno ictu defigam eum.

Malu. Et non secundabo illi.

Sep. Rom. Non repetam ei.

Reg. Non secundo percutiam.

Tom. IV.

Vulg. Et dixit Dauid ad Abisai. Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?

Pag. Ne disperdas eum.

Arias. Ne corrupas.

Tigur. Quis enim impune extendet manum in vnctum Domini?

Malu. Et vacuatus erit.

Sep. Rom. Ne humilies eum, &c. & purus erit.

Syr. Ne quid peruersè agas.

Arab. Ne committas vitium.

Vulg. Et Dixit Dauid: Viuit Dominus, quia, nisi Dominus percussit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit.

Malu. Quia si Ihuh consternabit eum, &c. aut in cæsione descendet, & contrahetur.

Sep. Rom. Vel in pugnam descenderit, & apponatur.

Arias. Vel infortunium contingat ei in bello.

Vulg. Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini: nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus.

Pag. Absit mihi à Domino.
Arius. Accipe lanceam, quæ in capitalibus eius.
Malu. Et vnam aquarum.
Sept. Rom. Nequaquam mihi à Domino, &c. lanceam à cervicali eius.

Lucifer. Et lentem aquæ.
Reg. Mihi autem non fiat, &c. & lenticulam aquæ.
Cald. Vas aquæ.
Arab. Accipe viceolum quod est ad caput eius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Secundo opus non erit, Alij, *Et non iterabo.* Quasi diceret, vno ictu perfodiam eum. *Ne interficias, Alij, Ne disperdas, ne corrumpas.* Sed benè *Vulg. Et innocens erit, Alij, Vacuatus,* id est, à culpa vacuus. *Descendens perierit, Alij, Contrahatur:* id est consumetur vsque ad vitæ iacturam. *Propitius sit mihi Dominus, Alij, Absit mihi à Domino.* Id est, non permittat Dominus. *Scyphum aquæ, Alij, Vnam aquarum, vrceolum, &c.* Hebr. est *תפאח תפאח* *pachath*, quod scyphum, vrceum, seu vrceolum, phialam, vnam, ampullam significat. Aliqui volunt esse vas ad vrinam excipiendam. Alij ad sedandam sitim.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *It David ad Abimelech.* David enim habuit duas A cap. 21. & libro de vnitae Ecclesiæ cap. 21. Cæterum ceterum imperare volentem abiicientis, non putat, improban-priuato homini, licet superiori, etsi tyrannicè imperanti, per vim resistere, ac multo minus eum de medio tollere numquam licitum. Nam generale præceptum est; *Non occides,* & idem definitum est in Constantiensi Synodo sess. 15. Et hoc ipsum David suo exemplo ostendit, dum Saüllem in manus suas traditum, nec ipse occidere voluit, nec ab aliis occidi passus: *Quis enim,* inquit, *extendit manum suam in Christum,* id est, vñctum, *Domini, & saluus erit.* Vide etiam Cyprian. in Epistola ad Demetrianum.
- MENOC.** *Quis descendet mecum in castra?* Magno se periculo expoluit David, sed non temerè, quia se diuinitus ad facinus incitari sentiebat. Deus autem iterari clementiæ Davidis exemplum voluit, vt plus à populo diligeretur, & Saülis ingratitude magis appareret.
- LYRAN.** *Dixitque Abisai.* Accepit licentiam interficiendi Saül, quia sciebat quod David non interficeret eum manu propria.
- Et secundo.* Ita vno ictu interficiam eum perfectè, quod non oportebit vltra manum apponere, & sic poterimus recedere expedite.
- LYRAN.** *Et dixit.* Hic consequenter Saül per David à morte protegitur, cum dicitur. *Ne interficias.* Cuius causa subditu.
- Quis enim.* Volebat enim David personæ ipsius deferre, quamdiu à Deo tolerabatur in regno. Ideo subditur.
- ESTIVS.** *Quis enim extendat manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Ostendit David sibi non licuisse Saüllem legitimum regem occidere, eo quod ipse David nondum actu esset rex, de quo plura dicta sunt supra cap. 16. v. 13. Quibus vt pauca adiciamus, appellat illum quidem regem Abigail, c. præced. v. 25. Sed vox illa (*rex*) non est neque in Heb. neque apud Sept. Et ipsa sapientissima Abigail non habuit illum regem, nisi quia ex diuino promisso rex erat futurus, quemadmodum declarant illa eius verba, cum ait: *Cum fecerit tibi Dominus domino meo, omnia quæ locutus est bona de te, &c.* Nondum ergo constitutus erat David, ne quidem dux.
- Queritur occasione huius sententiæ: An ergo numquam liceat regem iniuste subditos opprimentem, vel occidere, vel regno priuare? Respondeo negatiuè procedibus, & toti populo alicuius regni aliquando licuisse videtur regi tali resistere, apparet ex historia Roboam 2. Reg. 12. tum etiam ex verbis Augustini lib. de Ciuitate
- Viuu Dominus.* Id est, per viuentem Deum. **LYRAN.**
- Quia nisi Dominus.* Aliqua pestilentia, vel infirmitate accelerans mortem eius. **LYRAN.**
- Aut dies eius venerit, &c.* Scilicet vltima.
- Vt moriatur.* Scilicet morte naturali.
- Aut in prælium.* Istis tribus modis poterat mori. Per hoc intendit David dicere quod nullo modo volebat esse causa efficiens mortis suæ, forsitan se defendendo, ita quod non posset aliter euadere.
- Nisi Dominus percusserit eum.*] Morbo scilicet. Tria **MENOC.**
- genera mortis hic tangit David, ex morbo, ex senectute, ex casu, verbi gratia, in bello. Sic Cicero, sic Seruius ex triplici causa mortem contingere dixerunt, natura, fato (secundum Stoicos) & casu.
- Nunc igitur tolle hastam.* Id est, fixa in terram ad caput lectuli, vt si esset necesse statim posset eam accipere. Erat etiam in parte superiori signum armorum regis, ad significandum locum regium. **LYRAN.**
- Et scyphum.* In Hebræo habetur: *Et Phialam aquæ.* Et forsitan erat aqua Rosacea, ad refrigerium caloris, vel aqua simplex ad ablutioem manuum regis, quando surgeret de somno. **LYRAN.**

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 12. ad 16.

Vulg. Tulit igitur David hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saül, & abierunt: & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.

Pag. Sopor enim vehemens ceciderat super eos.

Sept. Rom. Quoniam stupor Domini.

Cald. Quia omnes illi soporati, quia somnus fortis ab ante Dominum ceciderat.

Arab. Dominus reddiderat grauissimum somnum eius.

Vulg. Cumque transisset David ex aduerso, & sterisset in vertice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos.

Pag. Multus locus erat inter eos.

Malu. Transiuit David transitum.

Sept. Rom. Transiuit vltra.

Vulg. Clamauit David ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem?

Pagn. Quis es tu, qui clamasti ad regem?

Sept. Vocas ad regem.

Reg. Quis es tu, qui vocas me? Quis es tu?

Cald. Quis est hic, qui clamans in capite regis?

Arab. Et quis es tu vt regem voces?

Vulg. Et ait David ad Abner: Numquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israël? Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? Ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret regem, dominum tuum.

Pag. Ad perdendum Regem ad corrupendum.
Malu. Ad funditus perdere Regem, sustentatores tuos.
Arab. Quomodo non custodisti excubias Domini tui Regis?
Vulg. Non est bonum hoc, quod fecisti: viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum, Christum Domini, nunc ergo vide vbi

fit hasta regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius.

Pag. Quia obnoxij morti estis.

Tigur. Digni estis extremo supplicio.

Sept. Rom. Filij mortificationis vos estis.

Cald. Permanens ipse Dominus, quod filij debitotes occisionis vos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quia sopor Domini irruerat super eos. Alij, *sopor vehemens ceciderat*. Dicitur sopor Domini à Vulg. Quia vehementissimus, & profundissimus: nam nomen Dei adiungi solet ad auxesin. Vide Concord. v. 21. c. 2. Genes. Aliqui etiam asserunt hunc soporem à Deo immisum. *Ex aduerso*. Alij, *ultra*. Vox גָּבֵר *gheber*, variè redditur, *ultra* in interiorem partem, in latus oppositum. *Qui inquietas Regem*. Alij, *Qui clamanisti ad Regem*. Id est, qui clamando excitas & inquietas Regem, vel qui ita inclamas, vt excites Regem à somno suo. *Filij mortis estis*. Alij, *Digni estis extremo supplicio*, Nam hoc iure gentium capitale est.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T non erat quisquam qui. Cuius causa subditur. *Quia A*
 V. 12. *sopor*. Id est, somnus grauis à Deo immisus.

Irruerat super eos. Vt sic Dauid sine periculo recederet, & per hastam acceptam & vas aquæ, suam declararet innocentiam, & Saül de nequitia conuinceretur.

ESTIVS. *Quia sopor Domini irruerat super eos*. Sopor Domini duobus modis intelligi potest, vel sopor à Domino specialiter immisus. Certè diuinitus factum videtur, vt nullus eorum expergisceretur. Vel sopor Domini, id est, sopor magnus, quemadmodum exponit Chaldaus paraphrastes Nempe phrasi Hebraïca, omnia magna, eximia, & singulariter fortia Deo tribuuntur. Sic sæpè in scriptura dicuntur: *Cedri Dei, Montes Dei*, Scilicet magni & excelsi.

MENOC. *Scyphum aquæ*. Sunt qui matellam esse putent, qua vrina excipitur, appellant enim Hebræi vrinam, *Aquam*, vt Ezech. 7. 17. *Omnia genua fluent aquis*, vrina scilicet vt fit in magno timore Verius videtur fuisse vas aquæ, vt suppeteret quo in æstu itinere fatigatus recrearet se.

Sopor Domini, Id est, à Deo immisus, vel grauissimus, & maximus, sic cedri Dei dicuntur & montes Dei, id est, admodum proceræ, & montes Dei montes valdè excelsi.

LYRAN. *Cumque transisset*. Hic Saül & viri eius à Dauid conuincuntur: quia primò viri Saül conuincuntur de negligentia, cum subditur:

Clamauit. Cùm iam esset sic elongatus & in tuto loco positus, quòd viri Saül non possent capere eum, & primò conuincit Abner singulariter, cum subditur.

Quare non ergo, &c. Quia erat princeps militiæ, & custos erat principalis personæ regiæ.

Ingressus est enim. Ille fuit Abisai qui voluit eum interficere, vt prædictum est. Secundò arguit omnes alios, dicens:

Nunquid non vir tu es? Clarus & insignis, ironicè, vel ita laudat vt laudem in exprobrationem vertat, quasi dicat: Tutantus vir, tam diligenter Regem custodis? Ex hac exprobratione putat Salius ortam Abneris alienationem animi à Dauide, qua stimulatus impedimento fuit per 7. annos, ne totus Israël, extincto Saule, Dauide sequeretur.

Vnus de turba. Abisai, vel sensus est, ingressus est vnus quispiam, aut ingredi potuit, & obruncare Regem.

Dominum tuum. Non dicit meum, quia à Saule tanquam alienus, & hostis tractabatur.

Viuit Dominus. Id est, digni morte, consequenter probat dictum suum per euidentis signum, dicens:

Nunc ergo. Per hoc enim patebat quòd ille qui hastam abstulit, regem interficere potuit.

Filij mortis. Rei mortis.

Vide vbi sit hasta, &c. Ne te immeritò accusatum, & increpitum putes.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 20.

Vulg. Cognouit autem Saül vocem Dauid, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi Dauid? & ait Dauid: Vox mea, Domine mi rex.

Sept. Rom. Et dixit Dauid, seruus tuus Domine mi Rex.

Vulg. Et ait: Quam ob causam Dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea?

Malu. Ad quid istud, sustentator meus, persequens post seruum?

Sept. Rom. Quid peccaui, & quæ inuenta est in me iniustitia?

Cald. Et non in manu mea culpa.

Syr. Quodnam crimen?

Arab. Scelus.

Vulg. Nunc ergo audi, oro, Domine mi rex, verba serui tui: Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui diis alienis.

Arias. Odoret munus, &c. Quia expulerunt me ab inhærendo in hæreditate Domini.

Malu. Si Ihuu eleuauit te in me, introspirabit Min-

chah.

Sept. Rom. Si Deus incutit te in me, ob hoc fiat sacrificium tuum, &c. Quoniam eiecerunt me non confirmatum.

Reg. Vt non firmarer in hæreditate Domini.

Cald. Si ante Dominum destinatus es in me: accipiatur sacrificium meum in veritate, &c. Abi inter gentes cogentes errores.

Syr. Offeramus sacrificium.

Arab. Offeram.

Vulg. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino, quia egressus est Rex Israël vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus.

Pag. Quemadmodum persequitur quispiam perdicem.

Arias. Cantorem.

Calet. Et nunc non cadet sanguis meus.

Sept. Rom. Quoniam exiit Rex Israël quærere animam meam, sicut persequitur Nieticorax.

Cald. Ad quærendum debilem vnum, vt perquiratur perdix.

Arab. Spero haud effundendum sanguinem meum, &c. Quia Dominus custos meus est, quemadmodum quæruntur perdices.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

O *Odoretur sacrificium.* Alij, *Munus introspirabit, Minchab.* Id est, nihil aliud peto, quàm vt gratum, & acceptum habeat Deus tanquam odorem suauissimum, sacrificium istud, quo me ad omnem persecutionem, & mortem etiam libenter offero, vt gratum habet munus legis, siue sacrificium pro peccato, si contra Deum, aut te ô Rex aliquid commisi. *Sicut persequitur perdix in montibus.* Alij, *Sicut quispiam persequitur cantorem.* Sept. *Sicut persequitur Nicticorax.* Sunt qui actiue persequitur sumunt, hoc sensu. Sicut ipsa perdix pulices venatur, eos etiam in montibus persequens, & hi coniungunt cum præcedentibus, vt vnica sit tantum comparatio. Sed alij capiunt passiuè, pro *perdix* patitur persecutionem. Quasi dicat. Tam auidè me & tanto conatu persequeris, etiam inter abrupta montium, quanta cupiditate & pertinacia perdicem auceps persequitur. Scriptores enim Ecclesiastici sæpe pro passiuus quædam deponentia sumunt, vt promereor, *Talibus hostiis promeretur Deus.* Hebr. 13. Ita hîc sumit persequitur, & Græcum *ἡττάσθη.* Mont. vertit *cantorem*, sed de perdice illice loquitur, quæ cantu cæteras aduocat, & illaqueat. Sept. verterunt, *Nicticoracem*, sonum nominis attendentes.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **C** *Cognovit.* Hîc consequenter conuincitur Saül de malitia, quia persequatur Dauid sine causa. Et patet litera vsque ibi:
- LYRAN.** **S** *Si Dominus incitat.* Scilicet ad me persequendum.
- LYRAN.** **O** *Odoretur sacrificium.* Id est, patientia mea in persecutione ista, sit accepta coram Deo, ac si offerrem holocaustum ad altare suum.
- Si autem filij, &c.* Incitant te ad hoc sicut faciebat Doeg, & sui complices.
- Maledicti sunt in conspectu.* Cuius ratio subditur:
- Quia eiecerunt me hodie, &c.* Id est, in præsentem tempore.
- Vt non.* Id est, vt non habitem pacificè in terra promissionis, vbi vigeat cultus diuinus, vt possem illuc accedere, & debita sacrificia offerre.
- Dicentes.* Facto.
- Vade, serui.* Quia illi qui propter persecutionem coguntur intrare tetram idololatriæ subditam, exponuntur peccato idololatriæ, eo quòd ab idololatriis ad hoc eo facili inclinantur, & aliquando violentia pænæ coguntur.
- MENOC.** **O** *Odoretur sacrificium.* Præsto sum ad mortem subeundam, quasi victima Deo consecrata in odorem suauitatis.
- In hereditate Domini.* In terra Israël, quam Dominus populo suo in hereditatem dedit.
- Vade, serui diis alienis.* Licet enim hoc verbis non diceretur, factis tamen videbantur suadere, cum illum persequerentur. Prudenter Dauid Saülis culpam in alios transfert. Certè Ziphæi, vt patet ex capitis huius initio, Dauidi aduersabantur, & aduersatus fuerat Doeg Idumæus, probabileque est alios in regis aula non defuisse, qui illius incrementis inuiderent.
- TIRINVS** **S** *Si Dominus incitat te.* Id est, si non malus genius quo agitaris, si non inuidia & æmulatio qua cum tuis laboras, sed voluntas & nutus summi Dei te mouent ad me persequendum; per me licet, nihil abnuo, non recusò mortem.
- Odoretur Deus sacrificium.* Quod ipsi de me, tanquam expetita ab ipso victima lubens & vltro offero in odorem suauitatis. Voluptas erit mihi, si ita Deus exigat, ad aras regio cultro iugulari. Verùm hoc Deus non exigit, sed filij hominum maledicti, verbi gratia, Doeg Idumæus, & Ziphæi, & similes alij, qui me modis omnibus perditum vellent: & iam *eiecerunt me ab hereditate Domini*, id est, ex terra Israël, quam Dominus populo suo in hereditatem dedit. Et dicunt. *Vade, serui diis alienis.* Non quòd disertis verbis id dicerent, sed te ipsa cogebant ita facere, saltem quantum ex se erat. Cum enim per ipsos nusquam Dauidi liceret in toto regno Israëlitarum tutò consistere,
- A** cogebatur vel ad Philistæos, vel ad Ægyptios, vel ad Moabitæ confugere. Quod erat ex natura rei, præsens discrimen adire, deserendi Deum verum, & idololatriam amplectendi. Neque tamen hac tanta impietate, & spiritali meo meorumque exitio contenti, insuper odio acti diabolico, vrgent te vt gladio tuo sanguinem haurias meum. Sed quo bono, quo honore, ô Rex? quin potius quanto tuo probro ac dedecore? Perinde enim est ac si sordidum *pulicem* manu regia conteras, vel imbellem *perdicem* tremulam & pauitantem per auia & inuia persequaris. Carpunt hîc Hæretici Latinum Interpretem, quòd voculam *persequitur* hîc passiuè vsurpet, vt idem sit, quod *persecutionem patitur*. Sed hoc ipso produnt suam antiquitatis ignorantiam; nam constat multa verba *deponentia* apud præcos Grammaticos terminationem habuisse *passiuam*. Sicut enim teste Sanctio & Serario, Ennius apud Nonium dicere ausus est, *Criminat: & Contemplat: Turpilius, Proficisceret: Pacuuius, Moderant: alij, Miro osculo, tuto, populo perscruto, &c.* Ita videntur hîsdem & similibus vocibus in terminatione passiuæ, passiuè quoque vti consueuisse. Vnde patet, nostrum interpretem, quando *persequitur* passiuè vsurpat, non maiorem sibi licentiam assumpsisse, quàm in aliis verborum similibus significationibus aut formis antiqui assumpserunt.
- Et nunc.* Id est, terra in qua colitur Deus, quasi dicat, **LYRAN** **V.** 20. melius est quod fugiam propter persecutionis atrocitatem.
- Quia egressus est Rex Israel.* Cum exercitu forti.
- Vt querat pulicem.* Id est, hominem nullius momenti.
- Sicut persequitur perdix.* Hebr. dicunt *quoquim*, quæ est auis insequens muscam vel aliam rem vilem. Et consonat literæ precedenti, vt patet tam ratione sententiæ, quàm ratione significati huius dictionis *persequitur*, quod est in sensu actiuo. Secundum translationem vero nostram oportet dicere quòd *ly persequitur*, habet hîc sensum passiuum, & sit sensus: sic me persequitur rex Israël; *Sicut perdix persequitur ab ancipe.* Id est, fugatur, vt capiatur. Et est similis modus loquendi ad Hebr. & ad Tim. *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Id est, pro merito talium acquiratur Deus. Tamen secundum grammaticam communem, *promeretur* sensum passiuum importat. Consequenter Saül peccatum suum confitetur, dicens.
- Non effundatur sanguis, &c.* Petiit Dauid ne Saüle **MENOC** iubente, vel conscio interficiatur, quia scilicet indignum sit tantum principem tantulum aduersarium ad mortem persequi, & quidem tanta ferocitate, quanta rapaces aues solent perdicem in montibus persequi.
- Persequitur.* Sumitur in passiuæ significatione.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 21. ad 25.

V *Vlg.* Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltro tibi malefaciam, eò quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quòd stultè egerim, & ignorauerim multa nimis.

Pag. Errans multum nimis.

Caet. Ecce insaniui.

Malu. Ecce stultus, & incogitanter egi.

Sept. Rom. Quoniam prætiola &c. Et in hodierna.

Reg. In die hac.

Arab. Nam quia honorasti me hodie, magna que facta est anima mea in oculo tuo, noui me esse valde reum, & peccatorem.

Vulg. Et respondens Dauid, ait: Ecce hasta regis: transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam.

Malu. Transiit vnus de excussis, & accepit eam.

Cald. Et retulit Dauid, & dixit.

Arab. En spiculum Regis.

Vulg. Dominus autem retribuet vnique, secundum iustitiam suam & fidem: Tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini.

Malu. Reuertere faciat viro iustitiam suam, &c. Et non amaui admittere, &c. In vnctum Domini.

Sept. Rom. Restituet secundum iustitias eius.

Cald. Dominus reddet meritum eius, & veritatem eius.

Arab. Quoniam tradiderat.

Vulg. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia.

Malu. Et ecce secundum quod grandefacta fuit, &c. Et

eripuit me de omni coangustatione.

Sept. Rom. Et tegat me, & eruat me ex omni tribulatione.

Reg. Eruat me, & liberet me,

Cald. Et ecce sicut pretiosa fuit anima tua.

Syr. Quemadmodum magni fuit anima tua.

Vulg. Ait ergo Saül ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abiit autem Dauid in viam suam, & Saül reuersus est in locum suum.

Pag. Et valendo valebis.

Cald. Etiam regnando regnabis, & etiam prosperando prosperabis.

Syr. Tum opere complesti, tum victoriam reportasti.

Arab. Iam præclarum opus egisti, vicisti.

Alij. Etiam conficiendo conficies, & etiam præualendo præualebis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quod stultè egerim. Alij, *Ecce insaniui.* Vera enim dementia benefactorem persequi. *Hodie.* Sept. Rom. *In hodierna,* sed alij addunt *siue,* die. Lucifer. *In diem hunc.* Restituat vnique secundum iustitiam suam. Sept. Reg. *Iustitias eius.* Non enim habet *regnum*: Sed Rom. non omisit. *Magnificata est anima.* Syr. *Vita:* Sed anima pro vita sumitur. *Faciens facies.* Alij, *Conficiendo conficies.* Eiusdem vocis geminatio magnam emphasim habet, & significat quod faciet omnia expedite & facile, & quod studiis suis non deerit successus. *Et potens poteris.* Alij, *Prosperando prosperabis.* Id est, potentissimus eris in omni negotio, quod aggressus fueris, prosperè ages, vinctes.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 21.** **P**eccavi, reuertere fili mi. Tamen Dauid non fuit reuersus, tum quia Saül aliàs sibi promissum non tenuit vultum, quia Dauid in curia inimicos habebat qui impetrassent retractationem promissi; tum quia dæmon arripiens Saül, per tempus eum ad occisionem incitabat; tum quia ex afflictione dæmonis Saül memoriam ferè amiserat, & ideo citò oblitus fuisset promissorum, maximè propter habitum præcedentem rancoris, & odij contra Dauid. Cætera patent in litera.

MENOC. *Pretiosa fuerit anima mea.* Vita mea, cui tanquam rei pretiosæ pepercisti, nec eam perdere voluisti.

Ignorauerim multa nimis. Veritatis enim inopia laborant Principes, cum inter aulicos, qui illos circumstant, adulandi certamen sit. Ignorauit Saül aulicorum suorum inuidiam, Ziphæorum malignitatem, Doeg calumnias,

A familiae Dauidis innocentiam, ipsius denique Dauidis animum à regni cupiditate alienum.

Ecce hasta regis. Prudenter Dauid Saüli non fidit, licet ab illo inuitatus, suspicari enim meritò poterat, ne, ut aliàs, rediret ad ingenium. Hastam reddit, ne videatur illam tanquam hostis spoliū retinere.

Magnificata est anima tua. Idem est quod num. 21. dictum, *pretiosa fuerit anima mea.*

Sic magnificetur anima mea, &c. Pretiosa sit Domino, ita ut illam conseruatam velit.

Faciens facies, &c. Id est, res tibi succedent ex animi sententia, & ad regnum peruenies, & potestatem regiam nancisceris.

In locum suum. In Gabaa scilicet, ciuitatem suam.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS.

Dauid inconstantia Saüli fidere non ausus, ad Achis regem Geth reuertitur, à quo urbem Siceleg impetrat, è qua plurimas in dies prædas ex Amalecitis & aliis vicinis locis agit.

I. **H**ait Dauid in corde suo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nonne melius est vt fugiam, & saluer in terra Philistinorum: vt desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israël? fugiam ergo manus eius. 2. Et surrexit Dauid, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth. 3. Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipse & viri eius; vir & domus eius; & Dauid, & dux vxores eius, Achinoam Iezrahelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli. 4. Et nuntiatum est Sauli quòd fugisset Dauid in Geth, & non addidit vltra quærere eum. 5. Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate regis tecum? 6. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda, vsque in diem hanc. 7. Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philistinorum, quatuor mensium. 8. Et ascendit Dauid, & viri eius agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad terram Ægypti. 9. Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum & mulierem: tollensque

oues, & boues, & asinos, & camelos, & vestes, reuertebatur, & veniebat ad Achis: 10 Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat Dauid: contra Meridiem Iudæ, & contra Meridiem Ierameel, & contra Meridem Ceni. 11. Virum & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens: Ne fortè loquantur aduersum nos: Hæc fecit Dauid, & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione Philistinorum. 12. Credidit ergo Achis Dauid, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israël: erit igitur mihi seruus sempiternus.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 7.

Vulg. Et ait Dauid in corde suo: Aliquando incidam vna die in manus Saül: nonne melius est vt fugiam, & saluet in terra Philistinorum, vt desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israël: fugiam ergo manus eius.

Arias Et nunc consumar, non mihi bonum quod eruendo etiam in me.

Malu. Quia euadere saluus euadam saluus.

Sept. Rom. Nunc apponar in die vna, &c. Et cesset à me Saül à quærendo me.

Cald. Quiescet.

Syr. Vt fatigetur quærendo me deinceps.

Vulg. Et surrexit Dauid, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maach Regem Geth.

Pag. Et transfuit ipse.

Sept. Iuit ad Anchus.

Vulg. Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipse & viri eius; vir & domus eius; & Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezrahelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

Pag. Singulus cum familia sua.

Vulg. Et annuntiatum est Saüli quòd fugisset Dauid in

Geth, & non addidit vltra quærere eum.

Vulg. Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbiū regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate regis tecum?

Arias. In vna vrbiū agri,

Sept. Dent mihi, &c. Sedebo illic, & vt quid sedet seruus tuus?

Cald. Si nunc inueni misericordiam.

Arab. Si clementiam apud te nactus, iube dari, &c. prope desertum.

Vulg. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg, propter quam causam facta est Siceleg Regum Iuda, vltique in diem hanc.

Sept. Facta est Regi Iudæ.

Vulg. Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philistinorum quatuor mensium.

Pag. Annus & quatuor menses.

Arias Dies & quatuor, &c.

Tigur. Quatuor menses & aliquot dies.

Malu. Dies, & quatuor inuouationes.

Syr. Anni & quatuor mensium.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Aliquando incidam. Alij, *Consumar, apponar, &c.* Hebr. אָשֶׁפֶל *asephel*, quod idem est quod *consumar, adimar, abstrahar, abripiar* à manu Saul. *Vt desperet Saul.* Alij, *Vt fatigetur.* Vim verbi אָשֶׁפֶל *iaasch*, in Niphal hanc esse aiunt vsque adeo obrui aliquo malo, vt de cæpto suo quis diffidat, & desistat, & consilium mutet: abdicare animum, ita vt cesset à proposito. *In vna vrbiū regionis huius.* Alij, *Agri in deserto:* Vnde quidam exponunt in vrbe quadam agrestium, non aulicarum aut regiarum. *Quatuor menses.* Pag. *Annus & quatuor menses:* Sic etiam Syr. & Arab. Alij, *Dies & quatuor menses,* יָמִים וָאַרְבַּעַת חֳדָשִׁים *iamim vearbaghab hodesim.* Scio dies in plurali aliquando sumi pro anno, vt aliqui hinc etiam vertunt, sed malè, quoniam fuga Dauidis fuit post mortem Samuëlis, qui obiit septem menses ante Saül, Cogimur ergo hinc per dies in Hebr. intelligere non annum, sed partem quinti mensis. Itaque non mansit annus & quatuor menses, sed tantum quatuor menses & aliquot dies. Quòd si illud & expositiue sumas, ita vt idem valeat quòd id est, vt in Script. frequens, sensus erit facilis, & nostræ translationi consentaneus; fuit Dauid ibi aliquot dies, id est aut nempè quatuor menses, seu dies, quibus quatuor complentur menses.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. 1.

ET ait Dauid. Hic post multam persecutionem (vt patet ex prædictis) describitur exulatio Dauid extra terram Israël. Et primò describitur ipsius Dauid egressus, secundo habitationis locus, ibi: *Dixit autem Dauid.* Tertio viuendi modus ibi: *Et ascendit Dauid.* Circa primum dicitur.

Et ait, &c. Id est, diligenter & deliberatè considerauit.

Aliquando. Non dixit hoc Dauid, eò quòd timeret occidi à Saüle in propria persona, cum sciret certitudinaliter ex diuino promisso se post ipsum Saülem regnaturum. Sed quia timebat, ne sic accideret, quòd oporteret eum pugnare cum Saule, quòd horrebat Dauid propter mortem suorum, & aliquorum qui erant cum Saule. Præterea non debebat Deum tentare, omittendo scienter ea quæ erant ad conseruationem vitæ propriæ, & suorum, cuiusmodi erat talis exitus. Vnde subditur:

Et desperet Saul. Scilicet à mea captione.

Cessetque. Quia non poterat eum persequi in terra aliena, præterea Saul in terra Israël multos persequebatur, imponendo eis quòd receperant Dauid & viros eius, quorum damnis & persecutionibus Dauid debebat præcauere.

Aliquando incidam vna die in manus Saul. Non dubitabat Dauid, quin Deus suum promissum esset impleturus de promouendo se ad Regem, sed humano more solli-

citus erat, quibus viis id fieret. Nam sciebat, non solum, quid Samuël ipsi promississet, sed & Ionatham sibi dicentem audierat cap. 23. *Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saul patris mei: Et tu regnabis super Israel; Sed & pater meus Saul scit hoc.* Et Saül ipse cap. 24. dixit ad eum: *Scio quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël.* Vide etiam supra cap. 23.

Incidam vna die in manus Saul. Prudens est Dauidis consilium, Dominus enim, qui protector illius erat, simul volebat vt ex humana prudentiæ legibus sibi caueret. Credibile est consilium cum præcipuis sociis communicasse, & etiam super ea re Domino per Abiathar consulto diuinum responsum expectasse.

Desperet Saul. Possè me comprehendere.

Et surrexit, &c. Achis. Iste enim erat inimicus Saül, eò quòd Saül frequenter debellauerat Philistæos: & id eo libentius recepit Dauid, eò quòd Saül reputabat eum inimicum.

Ad Achis. Probabile est antequam ad Achis veniret, legationem ad eum misisse, qua postulauerit vt fieret sibi potestas in regno illius domicilium figendi.

Vir, & domus eius. Id est, quisque cum domo, & familia sua,

Et habitauit, &c. Hoc fuit tantum ad horam, quia habuit alium locum assignatum, vt postea dicitur.

Vir &

ESTIVS.

LYRAN

V. 3.

Vir &

TIRINVS *Vir & domus eius.* Apud Hebræos vir aliquando valet vniuersale signum, vt idem sit quod quilibet. Ergo vir & domus eius, idem est quod *Omnes socij Davidis cum familijs suis.* Quas vnà secum ad Philistæos traduxerunt, quòd putarent, eas parum tutas fore in Iudæa ab ira, furore & insidijs Säuilis, qui commodè in vxores & liberos acerbitatis suæ virus euomisset, quod in absentes coniuges & parentes concepisset.

LYRAN. *Dixit autem.* Hic consequenter agitur de loco ipsi Dauid assignato, quem petiuit Dauid extra ciuitatem regiam, vt liberiùs ire posset cum suis viris ad deprædandum infideles, vnde cum suis posset viuere. Et patet litera vsque ibi:

MENOC. *Cur enim manet seruus tuus in ciuitate Regis tecum?* quasi dicat, si manerem, essem tibi oneri, vel quod in ciuitate frequenti, quippe regia, cum sexcentis viris, & eorum familijs, angustias facerem, vel ne ego cum tanto comitatu quasi alter rex existimer velle videri, vel ne aliqua de me sit suspicio quasi Regi, aut regno insidier, vel ne sim oneri, si me tuis expensis alere velis. Porro Dauid seorsum à Rege habitare cupiebat, vt populari regiones incircumcisorum tutius posset, vtque suos ab idolatriæ periculo subduceret.

MENOC. *Dedit siceleg.* Non ad inhabitandum solum, sed vt in illius dominium cederet.

Facta est Siceleg Regum Iuda vsque in diem hanc. Verba hæc ostendunt postremam huius libri partem tardius aliquanto scriptam esse, fortassis ab aliquo Samuelis discipulo, vt coniectat Salianus, quamquam non desunt qui huiusmodi verba, quæ sæpè occurrunt, posterioribus læ-

A culis ab Esdra inserta fuisse arbitrentur, vel ab aliquo Prophetarum, vide Abulensem quæst. 12. & 14. in hoc cap. 27.

Dedit Achis Siceleg urbem. Et quidem non ad inhabitandum solum, sed & vt in Davidis dominium cederet. Vnde subditur, *Ideo Siceleg factam esse regum Iuda.* Ex quo apparet eximia huius regis liberalitas & humanitas: vt non sine causa Dauid iam secundo ad hunc potiùs, quàm ad alium quempiam Philistinorum satrapam, sibi confugiendum putarit ita Salianus.

B Petes, Cur potiùs ad Philistæos iuratos Israëlitarum hostes, quàm ad Ammonitas, Idumæos, Tyrios vel Sidonios Israëlitis tunc confæderatos transfugit Dauid? Respondeo; Quia confæderati nolissent hominem fugitiuum regi Säuili repetenti denegare, ne fortè molem belli in se traherent. At verò à Philistæis, quibuscum acre Sauli bellum erat, nec petere tale quid ausus fuisset, nec si peteret, impetrasset. Imò vel ea maximè de causa Dauidem Philistæi libenter excepturi erant, & armis defensuri, quòd Saulis esset inimicus, ita Abulensis.

Fuit autem numerus. In Hebræo habetur *Dies & 4. menses;* Et per dies secundum aliquos Hebræos intelligitur annus vel anni: secundum verò. Rab. Sa. intelliguntur tantum duo dies naturales; vtroque enim modo in vet. Testamenti inuenitur hoc nomen *dies* in plurali acceptum, scilicet pro duobus diebus naturalibus, & pro anno vel annis indeterminatè. Quod autem hinc accipiatur secundo modo, magis videtur ex hoc quod dicitur infra 29. quod dixit Achis de mora Dauid cum ipso: *Est apud me multis diebus vel annis.*

VARIETAS LECTIONVM. *Vers. 8. & 9.*

Vulg. Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad terram Ægypti.

Pag. Quæ fuit à sæculo.

Arias. Et viri eius se diffuderunt.

Caiet. Extenderunt se ad Gethsuritam, habitabant à semper.

Tigur. Irruerunt.

Malu. Et expoliauerunt.

Sept. Rom. IncurSIONES faciebant in omnem Geziri.

Reg. Quoniam habitabatur terra à Gezire.

Cald. Diſtracti sunt, habitabant terram quæ à sæculo des-

census Hhagæa.

Arab. Procedebant contra Gessur.

Vulg. Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum & mulierem, tollensque oues & boues, & asinos, & camelos, & vestes, reuertebatur, & veniebat in Achis.

Arias. Et non viuificauit virum, &c.

Teste. Vatab. Ab aduenientibus quæ à Gelampsur murata.

Caiet. Et consumet omnem &c.

Aliqui. Non seruabat viros incolumes.

Tigur. Non permisit viuere.

Cald. Non manere faciens virum.

Syr. Vastauit terram nemine seruato.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Agebant prædas. Alij, *se diffuderunt;* Scilicet omnem terram depopulantes. *De Gessuri, & de Gerzi.* Sept. Rom. *In omnem Geziri.* Nobil. ait, In vno codice vetusto additur *τὸν Ζεγρί,* Zegri, pro quo in Complut. est *ἡ τὴν ἰζερίον* & Istraum. *Hi enim pagi habitabant, &c.* Alij, *A sæculo,* Id est semper habitauerunt gentes illæ regiones illas in finibus Israël. Sept. Rom. *Et ecce terra habitabatur ab aduenientibus quæ à Gelampsur murata,* siue muratorum. Ab eodem libro, nempe codice illo antiquo, inquit Nobil. abest illud *ἀπὸ γελამσουρ,* ab alijs *ἀπὸ ἀντίπτων & τετιχομένων:* Si illud *γελამσουρ* diuidatur in duas dictiones, *γελαμ* videtur dictio Hebræa, quamuis paululum immutata, quæ significat sæculum, & *σουρ* nomen loci proprii: quamobrem si legeretur, *ἡ ἀπὸ γελὰμ ἀπὸ ἀντίπτων σουρ* responderet Hebræo qui habet, quæ à sæculo adueniente, Sur, & Vulg. Antiquitus abeuntibus Sur. Quod tamen hinc est Sur, in Hebræo ita ponitur, vt significari etiam possit murata, vnde fluere potest illud *τετιχομένων:* Ita apparet quædam variarum interpretationum coagmentatio. In Reg. locus sic habetur, *Habitabatur terra Gessur. Non relinquebat viuentem virum.* Alij, *Non viuificauit:* Idem valet quod occidebat, sicut non sanctificare idem quod polluere.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET ascendit.* Hic describitur viuendi modus, scilicet **C** irruptionem faciebat Dauid, nimirum regionem ad Austrum Iuda positam, ab ingressu deserti Sur. Ægyptum versus Gessur, & Gessuri duplex in scriptura reperitur, altera trans Iordanem contermina Syriæ, proptereaque Gessur Syriæ appellatur, pertinuitque ad tribum Manasse. Altera est ea, de qua hinc est sermo, vicina Amalecitis; & extra terminos Israëlitarum, versus meridiem, cuius alibi non fit mentio, quàm hoc loco, sicut neque de Gezri.

MENOC. *Ascendit.* Cum expedita scilicet suorum manu.

Agebat prædas. Non tamen de Philistæis, quia ingratus fuisset in Regem, à quo humaniter, & donatione oppidi liberaliter fuerat exceptus, nec facilè potuisset diu latere, sibi que magnum periculum creasset. Ita Abulensis quæstione 15. quam sequitur Salianus. Non desunt tamen qui secus sentiant.

De Gessuri, & de Gerzi, &c. Definit regionem in quam Tom. IV.

TIRINVS *Non in has vrbes inuolabant, sed in pagos,* (vt sequi-

tur) harum vrbium.

Nota, non agi hinc de Gessur trans Iordanem, contermina Syriae, ac propterea vocata Gessur Syriae: cuius regis filiam David postea duxit uxorem, ex eaque suscepit Absalonem & Thamarem. 2. Reg. 3. v. 3. ad quem ut auum matrum confugit etiam Absalon cap. 13. & 15. Sed de altera Gessur cis Iordanem vicina Amalecitis, Meridiem versus.

Petes, Quo iure apud hos populos praedas agebat David, imò & promiscuas caedes, nullo sexus aut aetatis discrimine? Respondeo, Iure legis diuinæ, qua & Amalecitas, & omnes incolæ terræ promissæ, etiam paruuli & feminae, occidi iubentur.

Dices, David necdum erat rex, Respondeo, Sed erat dux & chiliarcha constitutus à Saule. Et licet Saül Davidem odisset & persequeretur, gratum tamen & ratum habebat tum Saul, tum omnis populus, quòd David communes hostes excinderet, ita Caietanus & Abulensis. Possent etiam cum Saliano dici, Davidem, qui pontificem & ephod apud se habebat, consulto Domino speciale ab eo mandatum de vicinis illis Iudææ hostibus excindendis accepisse.

LYRAN. *Nec relinquebat.* Ne accusarent eum apud Achis. Licet enim non essent de Philistæis, tamen aliqui eorum poterant esse sub eorum tributo, vel habere aliqua pacta seu conuentiones cum eis, propter quod Achis potuisset contra David prouocari.

ESTIYS. *Et percutiebat David omnem terram illam, nec relinquebat viuentem virum & mulierem.* Quare non reliquerit aliquem viuentem, causa aperitur paulo post his verbis v. 11. *Virum & mulierem non viuificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur aduersum nos: Nempe irruebat in ipsos subditos, seu foederatos regi Geth, & simulabat se praedas agere de Israëlitis, sic enim concluditur hoc caput: Credit ergo Achis David dicens, Multa mala operatus est contra populum suum Israel.* Ita enim David illi dicebat, vt patet ex præcedentibus verbis. In quo

A sicut David non potest excusari ab omni mendacio, ita Quæritur, qua auctoritate David homines illos occideret & spoliaret? Respondeo illos fuisse ex illis, quos Dominus iusserat occidi. Vnde & Abigail dixit ad eum: *Quia prelia Domini Dei tui preliaris.* Si instas, qua auctoritate? dici potest, primo, Davidem à Saule dudum constitutum fuisse ducem belli contra inimicos populi Israël: quæ potestas per hostilitatem, quæ intercessit inter Saulem & Davidem, non videtur fuisse extincta, quia neque Saül eam reuocasse legitur, neque David quicquam hostiliter egit contra Saulem, per quod videretur læsæ maiestatis reus. Vel certe dicendum, quod David instinctu spiritus diuini talia fecerit. Nam & habebat secum Abiathar sacerdotem, per quem diuinum oraculum consulebat, iturus ad pugnam, vt patet in illis verbis cap. 30. *Et applicuit Abiathar Ephod ad David, & consuluit David Dominum, dicens, &c.*

Percutiebat David omnem terram. De Amalecitis non est difficilis quæstio, quo illos iure vexaret David, nam Exodi 17. 14. habetur: *Bellum Domini erit contra Amalech, & generatione in generationem,* hoc est, perpetuum, potuit ergo illorum vrbes vastare iure belli. De aliis gentibus dicendum est, vel illas fuisse comprehensas intra terminos terræ olim Israëlitis promissæ, ex qua gentilium nationes delendæ erant, vel certè à Deo vt ita faceret, iustum fuisse David, qui per Abiathar sacerdotem numen de rebus agendis subinde consulebat.

Tollensque oues & boues, &c. Saül vt vidimus supra c. 15. iussus fuerat omnia Amalecitarum demoliri, & interficere, à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem bonem, & ouem, &c. Itaque David hac lege solutus fuit à Domino, vel certè Sauli dumtaxat præceptum illud fuit impositum, vt sentit Abulensis quæst. 20. in hoc caput.

Veniebat ad Achis. Cui scilicet optima quæque honoris causa offerebat. Prius tamen quam veniret ad Achis, ab expeditione reuertens diuertebat in Siceleg, quæ ex Adrichomij Topographia ferè media est inter Geth regiam Achis, & regionem, quam populabatur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 10. ad 12.

Vulg. Dicebat autem ei Achis: in quem irruisti hodie? Respondebat David: Contra Meridiem Iudæ, & contra Meridiem Ierameel, & contra Meridiem Ceni.

Pag. Quò iuistis ad prædam hodie?

Arias. Quò diffudistis vos.

Caiet. Quò extendistis vos hodie?

Varab. Super quem impetum fecistis?

Malu. Exspoliauistis die? Super Austrum Iehudah.

Alij. Vbi incurSIONEM fecistis?

Cald. Quo extracti estis?

Arab. Vbi fuisti tu, & socij tui?

Vulg. Virum & mulierem non viuificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Ne fortè loquantur aduersum nos: Hæc fecit David, & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione Philistinorum.

Pag. Non relinquebat viuum, &c. Et sic fuit consuetudo eius.

do eius.

Arias. Et sic iudicium eius.

Caiet. Ne fortè nuntient contra nos.

Sept. Rom. Et hæc autem fuit iustificatio eius.

Vulg. Credit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israel: erit igitur mihi seruus sempiternus.

Pag. Abominando abominatus est populum, &c.

Arias. Fœtere faciendo, fœtere fecit in populo.

Caiet. Fastidiendo fastidiuit eum populum.

Tigur. Omnino sordet illi gens sua Israëlita,

Alij. Magnam nauseam habet super populo.

Sept. Rom. Fidem sibi conciliauit.

Reg. Confundebatur confusus in populo.

Cald. Immitendo immisus est in populum.

Syr. Arab. Ipse crimen commisit in patriam suam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In quem irruisti hodie? Alij, *Quo iuistis?* &c. Particulam *in al*, variè reddunt. Pro *in an* nonnulli sumunt: Alij pro *in y ghal mi*, super quem, nonnulli vbi &c. Sed alij natiuam voculæ significationem malunt retinere per interrogationem. *Virum & mulierem non viuificabat.* Alij, *Non relinquebat viuum.* Vide præced. Concord. *Et hoc decretum illi:* Alij, *Consuetudo, Iustificatio.* Non solum apud Sept. sed etiam apud Hebr. interdum iustificatio significat ritum, consuetudinem, modum. *Multa mala operatus est contra populum suum.* Alij, *Abominando abominatus est, fastidiendo fastidiuit.* Vide Concord. vers. 30. cap. 34. Genes. & v. 4. c. 13. huius libri. Et sensus est, odiosum & abominabilem se reddidit popularibus suis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Respondebat David.* Illæ enim terræ de quibus prædas accipiebat, licet essent versus illam partem, non tamen erant de filiis Israël, videtur tamen quòd David per hoc non excusetur à mendacio, quia tali modo loquendi utebatur vt Achis crederet ipsum filios Israël deprædasæ, vt patet ex sequentibus. Istud tamen mendacium erat

officiosum, scilicet pro salute sui & suorum, à quo non oportet David excusari, quia multa peiora fecit. Nec ipse David peccauit prædictos infideles interficiendo: quia manebant infra terminos terræ promissionis, quorum habitatores fuerunt à Domino condemnati ad mortem, vt dictum est supra frequenter in libro Iosue & Deuterion,

& Num. propter quod filij Israël poterant eos licite occidere habita opportunitate, & bona eorum occupare nisi per inducias ad tempus positas impedirentur: quæ seruandæ sunt de iure naturali quamdiu durat, licet enim filij Israël non possent cum illis fœdera perpetua contrahere: poterant tamen ex aliqua causa rationabili inducias seu pacta ad tempus cum ipsis inire, vt dictum fuit suprâ Iosue II. in fine.

MENOC. *Contra meridiem Ierameel, &c.* Erant hæc nomina partium quarundam fortis Iuda.

MENOC. *Non viuificabat.* Viuum non relinquebat.

v. II. *Hoc erat decretum illi omnibus diebus, &c.* Vt scilicet neque mancipium seruaret vllum, neque ancillam de hostibus, in quos infestus irruerat, ne scilicet strophæ detegeretur.

A *Non viuificabat.* Idem est, quod occidebat. Phrafi Hebraeorum, apud quos ille dicitur aliquid accipere, qui nihil amittit: & contrâ. Sicut latrones dicunt se vitam dedisse cui illam non ademerunt. Sic Act. 7. *Vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.* Id est, ne in vita seruarentur, & 2. Reg. 8. *Mensus est Dauid duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum,* Id est, Dauid sententia lata definiuit, quinam essent vel occidendi, vel in viuis conseruandi. Sic sæpè in Scriptura sanctificari ponitur pro non polluere, &c.

Erit igitur. Credebat enim eum tot mala fecisse filiis Israël, quod de cætero non posset cum eis reconciliari, & sic esset coactus ipsi Achis fideliter seruire.

Erit ergo mihi seruus sempiternus. Cum scilicet irreconciliabiles cum sua gente inimicitias gerat.

TIRINVS.

LYRAN.

v. 12.

MENOC

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

SYNOPSIS.

Philistæi ingentes copias aduersus Saulem armant. Dauid se iungit Achis regi Gerb. Saül per Pythonissam iubet suscitari Samuelem, ex quo mortem suam suorumque in crastinum discit.



I. Actum est autem in diebus illis, congregauerunt Philistiim agmina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israël: dixitque Achis ad Dauid: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui. 2. Dixitque Dauid ad Achis: nunc scies quæ facturus est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus. 3. Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israël, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua. Et Saul abstulit magos & hariolos de terra. 4. Congregatique sunt Philistiim, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam: congregauit autem & Saul vniuersum Israël, & venit in Gelboë. 5. Et vidit Saul castra Philistiim, & timuit, & expauit cor eius nimis. 6. Consuluitque Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. 7. Dixitque Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eum: Est mulier Pythonem habens in Endor. 8. Mutauit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, & abiit ipse, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Diuina mihi in Pythone, & suscita mihi quem dixerō tibi. 9. Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, & quo modo eraserit magos & hariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar? 10. Et iurauit ei Saul in Domino, dicens, Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem. 11. Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita. 12. Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. 13. Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra. 14. Dixitque ei: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quod Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit. 15. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me vt suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philistiim pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam. 16. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te, & transferit ad æmulum tuum? 17. Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid: 18. Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalec, idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. 19. Et dabit Dominus etiam Israël tecum in manus Philistiim: cras autem tu & filij tui mecum eritis: sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philistiim. 20. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. 21. Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valdè) dixitque ad eum: Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea; & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me. 22. Nunc igitur audi, & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, & possis iter agere. 23. Qui renuit, & ait; Non comedam. Coegerunt autem eum serui sui & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum. 24. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinauit, & occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam, & coxit azyma, 25. & posuit ante Saul & ante seruos eius. Qui cùm comedissent, surrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 1. ad 5.

Vulg. Factum est autem in diebus illis, congregauerunt Philistiim agmina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israël: dixitque Achis ad Dauid: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui.

Malu. Collegerunt desideria suas militiæ ad cædere in Israël, &c. Cognoscere cognosces quia ad me exibis in desideria.

Vulg. Dixitque Dauid ad Achis: Nunc scies quæ facturus est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

Malu. Ad sic obseruantem capiti meo ponam.

Sept. Rom. Sic principem custodiae corporis ponam.

Arab. Efficiam te farrissophorum & custodem domus meæ.

Vulg. Samuel autem mortuus est, planxitque cum omnis Israël, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua. Et Saul abstulit magos & hariolos de terra.

Pag. Remouit Pythones & Magos.

Arias. Et sciolos.

Tigur. Diuinos.

Malu. Et gnostas.

Aliqui. In Ramatha & in vrbe sua.

Sept. Circumabstulit ventri loquos.

Reg. Et diuinatores.

Cald. Ariolos, & incantatores.

Arab. Porro Samuel Propheta iam mortuus, &c. Et sepelierunt eum in sepulchro quodam, & Saül ciecerat, &c. Ne vno quidem relicto.

Vulg. Congregati sunt Philistiim, & venerunt & castrametati sunt in Sunam. Congregauit autem & Saül vniuersum Israël, & venit in Gelboe.

Malu. Et defederunt in Sunem.

Cald. Composuerunt se in Sunam.

Syr. In Sechim.

Vulg. Et vidit Saül castra Philistiim, & timuit, & expauit cor eius nimis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN Ramatha vrbe sua. Alij, In Ramatha, & in vrbe sua. Plerique Et, pro id est accipiunt. Alij, Et in vrbe sua. Id est, intra urbem ipsam, & non extra: sed dicendum quod hoc additur, quoniam erant duæ Rama. Samuel mortuus est. Alij, Iam mortuus erat. Vnde hic præteritum perfectum pro plusquam perfecto positum est, quod apud Hebr. non est infrequens, cum tempore careant plusquam perf. Abstulit Magos & Ariolos. Alij, Pythones & Sciolos, &c. Vide Concord. v. 31. Leuit. 19. & alibi.

ANNOTATIONES.

LVRAN.
v. 1.

Factum est. Hæc est vltima pars principalis huius libri primi: In qua describitur Saülis mors & consummatio per bellum contra Philistæos. Primò igitur describitur belli apparatus. 2. Dauid recessus cap. 29. 3. Saülis occubitus cap. 31. Circa primum sciendum, quòd propter magnitudinem apparatus in Philistinorum exercitu Saül territus consuluit Pythonissam. Circa quod primò, describitur consultationis occasio. 2. Ipsa consultatio; ibi: Dixitque Saul. 3. Data responsio, ibi: Dixit autem Samuel. 4. Saulis desolatio, ibi: Statimque Saül cecidit. Circa primum dicitur.

Congregauerunt Philistiim. In multitudine magna & valida.

LVRAN.
v. 2.

Dixitque Quia multum confidebat de probitate Dauid, & eius fidelitate. Dixitque Dauid ad Achis, &c.

Nunc sci. Scilicet pro te contra inimicos tuos, vt dicit hic Glos. interlinearis. Sed videtur quòd in hoc Dauid peccauerit, quia si intendebat hoc facere, intendebat pugnare contra fideles pro infidelibus, quòd est illicitum. Aut si non intendebat hoc, sed magis contrarium, scilicet iuuare filios Israël contra Philistæos, sicut opinati fuerunt satrapæ vt habetur seq. cap. sic fuit falsus, & proditor intendens nocere ei quem promittebat adiuuare. Dicendum quòd Dauid intendebat adiuuare ipsam Achis, cui tenebatur ex beneficiis receptis, quia Achis ipsum benignè receperat: & sic eum securum fecerat à persecutione Saulis, vt patet ex prædictis. Nec peccasset hoc faciendo duplici ratione. Vna accipitur ex parte Achis, scilicet si habebat iustum bellum contra Saul, quod potuit esse, si Saul qui erat arreptitius à dæmone aliqua pacta fregerat, seu iuramenta cum Philistæis inita, quia talia sunt seruanda. Vnde & Sedechias. 2. Paral. 36. arguitur, eò quòd fregit iuramentum quod fecerat Nabuchodonosor. Quamuis autem filij Israël non possent facere cum Philistæis fœdera perpetua; eò quòd habitabant in terra sibi promissa, tamen ex causa rationabili poterant facere inducias ad tempus, & iuramento firmare, vt patet ex supradictis. Alia ratio accipitur ex parte ipsius Dauid, qui habebat ius in regno Israël: & ideo poterat illud acquirere virtute armorum, facultate occurrente: & in tali bello poterat licitè vti Philistinorum confortatione, & auxilio. Cogitabat enim probabiliter; Quod si Philistæi haberent victoriam,

A Achis ei amicus & fauorabilis eum iuuaret ad possidendum regnum: quia habita victoria Philistæi illud regnum non possederunt, sed in terram suam reuersi fuerunt: & Ibsoseth filius Saül successit in regno, vt habetur infra 2. lib. 2. cap. Ex dictis patet argumentum factum in contrarium:

Scies quæ facturus est seruus tuus. Quomodo scilicet tibi sim obsecuturus, & quam strenue pro te pugnaturus, ita sonant verba, & in hunc sensum ea acceperat Achis. At ea perpendiculari apparebit nihil certi promississe Dauid, qui eo, sine dubio, animo fuerit, vt consulto prius Domino, eius prouidentia, & voluntate tegetetur, vt neque contra gentem suam arma ferret, neque beneficio regi videretur ingratus.

Nunc scies. Seu experientia discas, *Quæ facturus est seruus tuus.* Consulto nil certi affirmat Dauid regi Achis, eò quòd necdum statuisset, quid in prælio facturus esset, sed rem totam diuinæ voluntati (quam per Pontificem Abiathar & ephod inquisiturus esset) permittere decreuisset, ita Burgensis, Tostatus, Sanctius & Salius. Deus verò prouidentia sic consuluit famæ & conscientie sui clientis, vt vtraque salua, neque pugnarit contra Saulem, neque datam Palæstino regi fidem violarit, vt videbimus cap. sequenti.

Samuel autem. Licet mors eius supra descripta fuerit 25. cap. tamen hic repetitur, quia erat excitandus de proximo ad denuntiandum Saulis casum.

Et Saul. Istud ponitur hic ad declarationem sui facinoris, quia quod destruxerat quasi zelo legis, iterum requisit. Dicunt tamen aliqui quod eos interfecit, eo quod vaticinabantur Dauid regnaturum post eum.

Et inter. Hoc non est in Hebr. nec est de textu. Sed primò videtur per modum Glossæ appositum, postea per scriptores textui insertum.

Samuel autem mortuus est, &c. Cum de Pythonissa sermonem facturus esset sacer textus, mortem Samuelis iterum memorat, de qua locutus fuerat initio c. 25.

Saul abstulit magos, &c. Eo nimirum tempore quo non erat melior illo in populo.

In Sunam. Fuit hæc vrbs in Tribu Issachar ad latus australe montis Hermon, vt ait Adrichomius in Issachar num. 57.

MENO

TIRIN

LVRAN

v. 3

MENO

MENO

v. 4

Vexit in Gelboe. Quem Iosephus ait fuisse situm è regione A Sunam, in eadem nimirum tribu Issachar. Erant ergo ita dispositi exercitus, vt Saül meridianam plagam occuparet, Philistæi Aquilonarem, vallis autem Iezraël esset vtrique exercitui interiecta,

Vidit Saul castra Philistim. Ex edito illo loco, in quo sederat cum exercitu.

Expavit cor eius nimis. Vel quia ingentes hostium copia; vel quia ipse sibi propter toties offensum Dominum male conscius; vel quia Dominus ei timorem immisit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad 9.

Vulg. Consuluitque Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.

Pag. Neque per vrim.

Arias. Interrogavit in Domino, &c. Nec etiam in illuminationibus.

Sept. Rom. Et in manifestationibus.

Cald. Etiam in luminibus, etiam in Scribis.

Syr. Tentavit per somnium, etiam per ignem & per aquam.

Arab. Interrogavitque Prophetas, nec responsum est ei.

Vulg. Dixitque Saul servis suis. Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam: Et dixerunt servi eius ad eum: Est mulier Pythonem habens in Endor.

Arias. Dominam Pythonis.

Figur. Quæ spiritum habet Pythonis.

Sept. Rom. Ventriloquam.

Cald. Quæ sciat educere Pythones.

Syr. Quæ ascendere faciat Pythones.

Arab. Quæ mortuos è sepulchris euocet.

Vulg. Mutavit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, & abiit ipse & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi, diuina mihi in Pythonem, & suscita mihi quem dixero tibi.

Pag. Fac ascendere ad me quem dixero.

Malu. Nudavit se Saul;

Sept. Rom. Et cooperuit se Saül. Vaticinate mihi nunc in ventriloquio, & reduc mihi.

Reg. Et mutatus est Saul.

Symm. Et transfiguravit se.

Arab. Contemplare sydus meum.

Vulg. Et ait mulier ad eum: Ecce tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodo craserit Magos, & Ariolos de terra, quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar?

Pag. Et vt quid offendiculum ponis animæ meæ, vt mori facias me?

Caiet. Quare tu offendis in animam meam?

Vatab. Illaqueas te in anima mea?

Figur. En laqueum tendis animæ meæ.

Malu. Ad quid tu capere faciens te in anima mea?

Alij. Cur causam quæris contra animam?

Alij. Cur te ponis in tendiculum?

Sept. Rom. Et vt quomodo exterminavit ventriloquos? Vt quid illaqueas? &c. Ad mortificandum eam?

Cald. Quare tu concitatus? &c.

Syr. Quare tu venaris animam meam?

Alij. Quare veteratorie te geris?

Alij. Quare tu captiosus es?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nequè per Sacerdotes. Alij, Neque per vrim, illuminationes, Id est, non per Pontificem indutum Rationali, in quo erat vrim, id est, illuminationes. Vide Concord. vers. 30. Exod. 28. & alibi. *Mulierem habentem Pythonem.* Alij, Dominam Pythonis; Huic enim malo dæmoni imperabat, quasi sagarum magistra. *Mutavit habitum suum.* Alij, Nudavit se, &c. Verbum *וּבָרַח* *chaphasch* in hitpaël varia admittit significata, vt *dissimulavit se* Saul, mutato scilicet habitu, alij, *Nudavit se, discooperuit se, operuit se*, scilicet aliis vestibus, quam propriis. *Quare ergo insidiaris animæ meæ?* Alij, *Quid offendiculum ponis animæ meæ?* Verbum *וּבָרַח* *nakasch*, positum in Hitpaël varia complectitur; vt offendiculum ponere, insidias struere, illaqueare.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 6.** **C**onsuluitque Dominum, &c. Quia eos occiderat excep-
to Abiathar, qui ierat cum Dauid.
Neque per. Dicunt hîc aliqui, quod in tali requisitione debebant ieiunia, & orationes præcedere, quod non fecit Saul.

Neque per Prophetas. Isti fuerant discipuli Samuëlis.

MENOC. Et non respondit ei neque per somnia, &c. Consuluerat Deum, illum rogando vt qua ratione voluisset, siue per somnia, siue per prophetam aliquem quid fieri vellet indicaret; at responsum nullum tulit.

TIRINVS Non respondit ei Dominus, neque per somnia. De his responsis vide quæ dixi Genes. 40.

Neque per Sacerdotes. Hebraicè, neque per vrim, de quo vide Exod. 28. Non respondit, inquam, Dominus, seu ephod pontificale tum deesset, sublatum ab Abiatharo, & ad Dauidem delatum, cap. 23. v. 6. Seu quod (si aliud postea ephod concinnarunt, vt vult Abulensis) Deus tam impium hominem responso suo dignatus non sit.

Neque per Prophetas, Qui iuxta Gabaa patriam Saülis plurimi erant, c. 10. supra.

LYRAN. **Y. 7.** **D**ixitque. Descripta occasione consulendi Pythonissam, scilicet timore Saülis de apparatu & negatione diuini responsi, hîc consequenter describitur Pythonissæ consultatio. Ad intellectum tamen sequentium quæritur vtrum in tali suscitatione apparuit ipse Samuël, vel malignus spiritus in eius specie. Et arguitur primò quod fuerit ipse Samuel, quia Scriptura hîc de ipso loquitur.
Tom. IV.

Btur, tanquam de persona ipsius, nominans ipsum pluribus proprio nomine: & ideo videretur falsitatem præterdere: nisi ipse fuisset. Item magna irreuerentia facta fuisset sancto, si malignus spiritus toties in scriptura sacra nominatus fuisset nomine ipsius. Item Eccles. 46. dicitur de ipso. *Et post hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vite sue, &c.* Item dicit certitudinaliter verum de futuris contingentibus, scilicet de morte Saül & filiorum eius, & de debellatione sui exercitus, & videtur fuisse verus propheta Samuel, & non malignus spiritus qui est mendax & pater mendacij, vt habetur Ioan. 8. In contrarium arguitur per glossam quæ habetur Esa. 29. quæ dicit sic: Pythonissa non suscitavit Samuelem, sed euocavit dæmonem. Item Deus volebat respondere Sauli per prophetas viuos, vt patet ex prædictis: & multò minus per mortuos, vt videtur. Item, ille qui apparuit dixit Saül: *Cras mecum eris.* Cum igitur Saul esset reprobatus, & igne gehennæ cruciandus, videtur quod ille qui sibi apparuit, malignus spiritus fuerit eidem igni deputatus. Item ille qui apparuit, permisit se adorari à Saule: quod non permisisset sanctus Samuël; cum solus Deus sit adorandus: & ideo videtur quod fuerit malignus spiritus, talis honoris cupidus. Item si fuit Samuel, aut apparuit diuina virtute, vel magica. Non primo modo, quia sic Deus multum fauisset arti magicæ, faciens apparere Samuelem ad inuocationem Pythonissæ, quod omnino videtur falsum & irrationabile. Nec secundo modo, quia ars magica nullam virtutem habet de se, sed dæmones per aliqua pacta

cum magis inita, voluntariè apparent vel aliqua faciunt, vt homines teneant in errore. Si igitur Samuel virtute magica apparuit, hoc fuit quia dæmon ipsum adduxit. Tunc quæritur, aut fuit adductus voluntariè, & sic dæmoni confensit in malo actu, quod est inconueniens, cum esset in parte sanctorum. Aut coactus per dæmonem, & hoc videtur inconueniens: quia dæmones super sanctos defunctos nullam habent potestatem.

Responsio: Ad quæstionem istam respondet August. in epistola ad Felicianum. Cuius responsio ponitur in glo. super locum istum, & tangit ibi duplicem opinionem vel dicendi modum. Primus est quod fuerit anima Samuelis ipsi Sauli apparens: Et hoc secundum ipsum potuit esse dupliciter. Vno modo per dæmonem eam ad hoc ducentem, tamen ex permissione diuina ex aliqua ratione nobis occulta. Sicut Christus permisit se à diabolo assumi & super pinnaculum templi portari & super montem excelsum collocari, vt habetur Mat. 4. & ideo nullum inconueniens videtur, quod talia permixtus fuerit facere in anima Samuelis, quæ longè incomparabiliter minor fuit ipso Christo: & aliquam figuram facere seu ostendere per quam appareret Sauli quasi in proprio corpore & habitu, vt litera præterdit. Alio modo, quod ista apparitio non fuerit aliquo arte magica seu potestate diabolica ad hoc permixta, sed diuina virtute hoc faciente ex sua dispositione quæ Pythonissam & dæmonem latebat, vt Sauli propter sua demerita, sententia diuina super eum futura de proximo per Samuelem denuntiaretur, sicut per ipsum viuentem reprobatio à regno sibi fuerat ante denuntiata, sicut dictum fuit supra c. 15. Alium vero modum dicendi ponit August. in ea epistola: quod non fuerit Samuel, sed malignus spiritus apparens in eius effigie. Dicit enim Apostolus II. Cor. II. quod *ipse Sathana transfiguratur se in angelum lucis*, & multò fortius vt videtur potuit se transformare in similitudinem Samuelis, tamen Deo hoc permitte in vtraque transfiguratione, sine qua nihil potest facere. Adducit etiam ad hoc aliquas rationes tactas in arguendo pro parte ista: & ad hoc videtur magis declinare agens de præstigijs dæmonum, vt habetur in decretis 27. q. 5. c. Nec mirum. Dicendum igitur, quod si decretum allegatum habeatur pro determinatione ecclesiæ, tenenda est ista pars determinatè. Si autem non sit determinatio ecclesiæ, vt probabiliter videtur: tum quia August. cuius est decretum, vtrumque modum dicendi ponit vt probabilem & rationabilem in epistola ad Simplicianum: tum quia post compilationem decretorum expositores sacræ scripturæ prædictos modos recitauerunt & scripserunt tanquam probabiles & rationabiles, quod non fecissent, si vnus dicendi modus esset ab ecclesia determinatus, nisi forsitan ex ignorantia huius determinationis: quod non videtur eis imputandum. Et ideo si illud decretum non sit determinatio ecclesiæ videtur (absque tamen assertione) quod probabilior sit modus dicendi, quod anima Samuelis virtute diuina & eius dispensatione apparuerit modo prædicto ad annuntiandum. Sauli diuinam sententiam, quia huic dicto magis videtur concordare text. Bibliorum hinc & in Ecclesiastico, vt supra alleg. est pro ista parte. Ad hoc etiam faciunt rationes supra inductæ, hoc etiam dictum tenent omnes Hebr. doct. Istud etiam dictum videtur concordare ei quod habetur in libr. Num. in casu quantum ad aliquid simile. Dicitur enim ibi 22. & 23. Quod Balaam magus & ariolus quater quæsiit responsum dæmonis, bis in domo sua, & bis cum Balac, & tunc secundum omnes doct. Catholicos, dæmon virtute diuina sibi responsum dare ei responsum, & angelus bonus dedit sibi responsum, & angelus bonus mago vel magicæ arti non fauebat: sed magis effectum artis magicæ impediabat. Sic videtur in proposito rationabiliter posse dici, quod dæmon fuit prohibitus ad vocationem Pythonissæ venire. Ad hoc enim illa ars ordinatur, vt ab omnibus tenetur, & patet per glo. Esa. superius allegatam: quod diuina virtute & voluntate apparuit Samuel annuntians Sauli contrarium voluntati suæ. Tenendo igitur modum istum, ad ea quæ obiiciuntur in contrarium potest responderi. Ad primum dicendum, quod Pythonissa non suscitauit Samuelem: sed

A illum Deus apparere fecit: vt dictum est, sed ipsa vocauit dæmonem, qui tamen fuit prohibitus venire, vt dictum est, & sic illa glo. non est huic modo dicendi contraria, quamuis non sit magnæ autoritatis, cum sit quædam glo. magistralis. Ad secundum dicendum quod non fuit sine causa quod Deus magis respondit Sauli per Samuelem iam defunctum, quam per prophetam viuum, vt patet ex supra dictis. Ad tertium dicendum, quod Samuel permisit se adorari adoratione dulciæ. Nec hoc fuit malum. Sicut & Dauid permisit se adorari à Nathan propheta vt habetur 3. Reg. 1. Ad quartum dicendum, quod Samuel dixit Sauli ipsum fore secum in crastino, id est, in statu defunctorum, nec plus sonat autoritas: quia si sonaret statum sanctorum, eadem ratione adduceretur ad oppositum, quia dixit Sauli: *Cras tu & filij tui eritis mecum*. Ionathas autem ibidem interfectus erat valde bonus vir & perfectus, vt patet ex supra dictis in pluribus locis. Propter quod tenendum est quod receptus fuit in parte sanctorum, & ideo si ex Saule arguitur apparuisse dæmonem, eadem ratione ex Ionatha arguitur ipsum fuisse Samuelem. Ad quintum dicendum, quod Samuel fuit adductus virtute diuina, non in fauorem artis magicæ, sed magis in impedimentum, vt patet ex dictis in quæstione. Verum quia August. videtur magis declinare ad alium dicendi modum, vt dictum est, ideo similiter soluenda sunt argumenta in contrarium facta. Ad primum dicendum, quod rerum similitudines in sacra scriptura frequenter nominantur nominibus rerum, vt patet Gen. 41. vbi dicitur: quod Pharaon vidit septem spicas & septem boues, & tamen certum est quod non vidit nisi earum similitudines. Et eodem modo sicut dicit Aug. effigies Samuelis per dæmonem repræsentata hic vocatur nomine ipsius secundum istum dicendi modum. Nec ex hoc scriptura inducit aliquid falsum, sicut nec Gen. 41. vbi similitudines bouum vocat boues: sed dat studiosis occasionem quærendi sanum intellectum ex circumstantiis facti & aliis locis scripturæ: Nec propter hoc facta est irreuerentia sancto: quia talis denominatio est æquiouoca, vt patet: Et eodem modo soluitur illud quod inductum fuit de ecclesiastico. Ad aliud dicendum, quod non est inconueniens dæmones prædicere veraciter aliqua futura contingètia, quæ habent per reuelationem à sanctis angelis secundum diuinam ordinationem nobis occultam, & aliquando coguntur ad hoc, sicut patet in multis locis, & potest dici, quod sic fuit in proposito: ad denuntiandum sententiam diuinam ipsi Sauli, eò quod non erat dignus quod sibi responderetur per angelos sanctos vel prophetas. His dictis reuertamur ad literam exponendam de consultatione Pythonissæ, vbi primò ponitur eius inquisitio, cum dicitur:

Quærite. Dicunt Hebræi, quod hoc dixit Saul duobus sibi familiaribus & secretis, scilicet, Abner & Amasæ. Secundò ad eam peruentio, cum dicitur:

Mulierem habentem Pythonem, Vetitum erat lege Deur. 18. 10. ne quis Pythones consuleret, & quamuis Saul, vt supra diximus, ariolos, & Pythonicos delere conatus esset, non dubitabat aliquos adhuc superesse, mulieres præsertim, quæ leuiore, & ad superstitionem proniores esse solent. Pythonissas LXX. *εὐλαστικίδες* appellant, id est, *ventriloquas*, quod Dæmon, vt quidam voluit, per inferiora ventris detestabiles ederet voces.

In Endor. Quæ ciuitas fuit quidem intra sortem Issachar, pertinebat tamen ad Manassem, vt constat ex libro Iosue c. 17. II.

Mulierem. Id est dæmonem familiarem, à quo impetret ex pacto quicquid petat. Pythius propriè Apollo vocabatur, quod Pythona serpentem sagittis confecisset. Vnde quotquot ab Apolline quasi afflati te illustrati secreta suis maleficijs reuelabant, Pythij, vel Pythiæ vel Pythonissæ vocabantur. Id verò faciebatur varijs modis, vt docet Abulensis, putà vel per signa, sine verbis, verbi gratia, exhibendo in speculo, vel in circulo effigiem eius quem quæris. Vel per nuda verba, ex pala annuli, vel alia exrecula respondendo. Vel per cadauera, vel per arreptitios, vel per vèrem propriū oracula fundendo, dæmone in concluso ibi aëre voces quas vult efformante. Vnde & ventriloquæ, & Necromantici, & Magi vocantur. Vide de his plura apud Delrionem.

LYRAN.
v. 8.

Mutavit. Scilicet ne ab ea cognosceretur, quia tunc non fuisset aulæ suam artem exercere. Item, quia Saül volebat alios latere, quod consuleret Pythonissam: & propter istas duas causas subditur.

Veneruntque ad mulierem. Vt eius negotium esset occultum. Tertio ponitur eius exultatio, cum dicitur.

Diuina. Illa autem timente hoc facere, Saül eam affecturavit etiam iuramento: & tunc illa consensit, dicens: *Quem suscitabo.*

MENO C.

Mutavit ergo, &c. Ne à muliere agnosceretur, metuque illius se Pythonissam negaret, & diuinationem exercere nolleret. Vel etiam clam profectus est, ne regis absentia exercitui timorem crearet.

Tu nosti quomodo Saül, &c. Prælustre, & laudandum factum: ita lege iubente Exod. 22. v. 18. Suspicamur autem vel Samuëlis auctoritate, & consilio eos à Saüle sublato fuisse sub initium regni illius: vel certè, cum iam ipse à maligno exagitaretur spiritu, voluisse hac maleficorum victima placare sibi Deum, dæmonemque ex suo corpore exigere. Et verò videtur Deus in mercedem eius operis, Saülem posteriori vitæ tempore ab obsidente cacodæmone liberum reliquisse: neque enim mentionem amplius audimus istius maligni spiritus, in Saülem antea toties irruentis. Congruum quippe videtur eum à dæmone liberari, qui regnum totum ab illis infernalibus mancipiis expurgaret, ita Salius.

TIRI NVS

VARIETAS LECTIO NVM à Vers. 10. ad 14.

Vulg. Et iuravit Saül in Domino, dicens: Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem.

Pag. Si tibi euenierit punitio propter hoc.

Arias. Peruersitas in verbo hoc.

Figur. Si quid culpæ hac in re tibi imputetur.

Malu. Si incurret in te prauitas.

Sept. Rom. Iniustitia.

Reg. Si obuiauit tibi malum.

Cald. Permanens ipse Dominus, si contigerit tibi culpa.

Syr. Non erit tibi nocumentum.

Vulg. Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuëlem mihi suscita.

Pag. Fac ascendere mihi.

Alij vt vers. 8.

Vulg. Cum autem vidisset mulier Samuëlem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saül: Quare imposuisti

mihi? Tu es enim Saül.

Pag. Et in die, &c. vt quid decepisti me?

Cald. Quare mentitus es in me?

Vulg. Dixitque ei rex: Noli timere: Quid vidisti? Et ait mulier ad Saül: Deos vidi ascendentes de terra.

Pag. Diuum vidi ascendentem.

Casert. Non timebis.

Cald. Angelum Domini vidi, qui ascendit.

Vulg. Dixitque ei: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saül, quod Samuël esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adorauit.

Pag. Incuruauit se in faciem.

Malu. Quod lineamentum eius, & verticauit nares.

Sept. Rom. Quid cognouisti? Virum erectum, ascendentem in terra, & hic diploide indutus.

Cald. Quis amictus eius.

Syr. Pallio conuolutus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cum vidisset mulier Samuëlem: Alij, *Et vidit.* An verus fuerit Samuël suscitatus, & quâ virtute, vide Annotat: *Quare imposuisti mihi?* Alij, *Quare mentitus es?* Mentitus est quidem per vestimentorum depositionem, vt rex non appareret. *Deos vidi ascendentes,* Alij, *Angelum Domini.* Hebr. est *אלהים Elobim*, quod & singulariter, & pluraliter sumitur: & licet hæc mulier viderit solum Samuëlem, dicit tamen se Deos vidisse, ad indicandam augustam, & quasi diuinam maiestatem eius qui apparebat: Quasi diceret, virum heroicum, diuinum, plenum maiestate.

ANNOTATIONES.

MENO C.
v. 10.

Iuravit ei Saül. In quo iuramento peccauit, sacrum adhibens iusiurandum vt mulierem induceret ad sacrilegum maleficium.

ESTIVS.
v. 11.

Samuëlem mihi suscita. Ita prorsus sonare videntur verba Scripturæ sacræ, quasi Samuël ipse in hac suscitatione apparuerit. Aliis magis placet vt dicatur in persona Samuëlis apparuisse illum qui se etiam trāfiguratur in Angelum lucis. Disputat de hac re problematicè S. Augustinus q. 3. ad Simplicianum. Author vero quæst. vet. & noui testamenti quæst. 27. omnino contendit, non ipsum Samuëlem, sed in eius persona malignum spiritum apparuisse. In eadem sententia est Author lib. de Mirabil. sacræ Scripturæ lib. 2. cap. 11. Et his libris falso nomine Augustini diu publicatis, decepti multi idem secuti sunt. Sed hac in re omni audienda ipsa scriptura, quæ alio loco manifestiori hanc quæstionem satis dissoluere videtur. Nam Eccl. 48. sic legimus inter alia, ad commendationem Samuëlis spectantia. *Et post hoc dormiuit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra, in prophetia, delere impietatem gentis.* Hæc autem in laudem Samuëlis non dicerentur, si per diabolum gesta fuissent. Rationes quæ pro contraria sententia adferuntur, perspicuè soluit Aug. quæst. illa 3. ad Simplicianum supra citat. Inter alia tamen proferunt quoque Hier. ita dicentem in Ezech. 13. Qualis fuit illa, quæ visa est suscitasse animam Samuëlis; quibus verbis satis innuitur Samuëlem ab ea non fuisse suscitatum. Sed nihil hoc facit contra alteram probabiliorem sententiam; nam nec ille vult Samuëlem suscitatum virtute artis magicæ, hoc est, ab illa Pythonif-

Tom. IV.

Bsa muliere, sed diuinæ voluntatis dispensatione ipsum spiritum Samuëlis apparuisse, Deum autem permisisse, agi has præstigias, vt Saül impius tanto iustius videret se à Deo desereri, & puniri. Ita quoque de his Bellarm. lib. 4. de Christo c. 10. & lib. 2. de purgatorio c. 6. prolixissimè hæc stabilis.

Samuëlem mihi suscita. Sperabat enim pro antiqua benevolentia, eum suæ summæ necessitati opem laurum. MENO C.

Cum autem vidisset. secundum veritatem, iuxta primum modum dicendi superius positum, vel dæmonem in effigie Samuëlis iuxta secundum. LYRAN. v. 12.

Exclamauit. Præ timore Saülis, quem tunc sciuit esse præsentem. Si autem quæretur quomodo sciuit? Respondent Hebræi cōmuniter, quod hoc fuit, quia quando alius à rege petebat aliquem suscitari per artem Pythonicam, primo apparebat ex parte pedum, quando autem rex hoc faciebat, primo apparebat ex parte capitis propter reuerentiam regis. Alij dicunt, & videtur verius, quod ille, qui apparuit hoc sibi dixit.

Cum autem vidisset mulier Samuël. Anima enim Samuëlis apparuit, non vi incantantis Pythonissæ, sed Deo ita volente. MENO C.

Exclamauit. Fortassè, quia prius affuit quàm illa carmen suum necromanticum absoluisset; vel quia non eo modo apparuit quo euocatos mortuos apparere aiunt Rabbini apud Lyran. Abulensem, & Bellarminum lib. 2. de Purg. c. 6. pedes nimirum sursum habentes, caput vero deorsum, vel supinos, vt in sepulchris condi solent, sed erectos eo situ quo sunt homines viuentes.

K k iiii

Tu es enim Saül. Quod vel ex Samuële cognouit, vel ex familiari dæmone.

TIRINVS *Tu es Saül.* Vnde hoc rescivit Pythonissa? Respondeo cum Iosepho, & Abulensi, Samuëlem id ei indicasse.

LYRAN. *Deos vidi.* Id est, homines diuinos, vt dicunt Hebræi, dicentes, quòd duo fuerunt, scilicet, Samuël & Moses. Cuius rationem assignant, quia Samuël timuit vocari ad diuinum iudicium: ideo adduxit secum Moysen, vt esset sibi testis, quod legem integraliter obseruasset. Sed hoc videtur fictitium, quia propheta Samuël ante tempus iudicij sciebat Christum venturum. Videtur etiam textui contrarium, quia statim subditur.

MENOC. *Deos vidi ascendentes de terra.* Pluralis numerus ponitur pro singulari. Hebraica phrasi, vt in Exodo de vnico vitulo aureo dictum est. *Hi sunt Dij tui.*

TIRINVS *Deos vidi ascendentes de terra.* Hebraica phrasi pluralis numerus pro singulari ponitur, ad designandam personæ de qua agitur dignitatem. Sic exod. 32. de vitulo aureo, qui vnicus erat, dicitur, *Hi sunt Dij tui,* & passim Elohim, Dij, pro vno Deo in Scripturis ponitur. Insinuat ergo Pythonissa, eum qui apparebat, tanto esse splendore, vt non aliquis ex hominum numero, sed Deus ipse esse videretur. Quod & Saül optimè intellexit, cum in singulari rogat, *Qualis est forma eius?* Et mulier quoque relicto iam plurali numero respondet. *Vir senex ascendit amictus pallio,* nempe prophetico, quale dudum lacerarat Saül, c. 15. v. 27. Dubitare an verus fuerit Samuël, saltem secundum animam, penè temerarium iam putarim, cum Eccles. 46. diserte dicatur. *Postquam dormiuit, notum fecisse regi Saül finem vite sue, & exaltasse vocem suam de terra in prophetia, &c.* Quæ in hunc solum locum quadrare possunt.

Petes, an probabile sit, arte magica suscitatum fuisse verum Samuëlem? Respondeo: Nulla ratione; sed sola virtute, & imperio Dei id factum, præueniente Deo conatus mulierculæ. Sicut volente Balaamo maleficiis suis à dæmone responsa extorquere, præuertit Deus, & per os illius benedixit Israël. Sic Ochozia mittente, qui consulerent Beelzebub idolum Accaron, præuenit Deus responsionem diaboli, misso Elia qui mortem regi prædiceret. Ita plerique Hebræi apud Abulensem, & S. Ambrosius, Basilus, Iustinus, Tertullianus, Iosephus, Augustinus,

A Isidorus, S. Thomas, Lyranus, Bellarminus, Suarez, Delrio, Serarius, & alij. Non ergo obsecutus est Deus magiæ, sed impediuit: nam ne dæmon responderet, præuenit Samuël. Quin & in punitionem tentatæ magiæ videtur Deus tam tristem tamque vicinam cladem Sauli manifestari iussisse. Qua veinam ille ad resipiscentiam seriamque penitentiam, vt poterat, vsus fuisset! Porro de obitu suo (verba sunt Iosephi) *præmonitus Saül à propheta Samuële, noluit tamen mortem vitare, & ob vite cupiditatem exercitum hosti prodere, atque hoc modo regiam maiestatem dehonestare: sed cum liberis totaque familia periculo se obiciens, pulchrum existimauit in prælio pro subditis pugnando cadere, & filios in eiusdem laudis societatem assumere, potius quam superstites relinquere, incertum qualesnam futuros, Regno in aliam familiam translato. Existimauit enim loco posteritatis perpetuam laudem, & immortalæ memoriæ sibi futuram.*

Qualis est forma. In singulari, & ita est in Hebræo, & ideo dicendum, quod solus Samuël apparuit. Et ponitur hic *Deos* in plurali pro Deum, sicut Exod. 32. *Isti sunt Dij tui Israël.* Et tamen erat ibi tantum vnum idolum.

B *Et intellexit.* Secundum veritatem, vel secundum apparentiam secundum duos modos suprascriptos, & ita intelligatur istud nomen hîc, & in aliis. Fuerat enim Saül in sepultura Samuëlis, prout dictum fuit supra 15. c. & vidit eum sepeliri in habitu suo sicut religiosum, quia primo congregauit homines religiosè viuentes sub ipso, vt patet ex superioribus, & ideo ex figura, & ætate, & habitu sibi relatis per Pythonissam Saül coniecurauit, quod esset Samuël: patet etiam ex hoc, quod licet Saül audiret verba Samuëlis, non tamen eum vidit, nec alij, qui erant cum eo, sed solum Pythonissa. Dicunt etiam Hebræi, quod solus Saül audiuit verba Samuëlis cum eo loquentis. Et hoc satis videtur ex circumstantia literæ. Tum quia mulier illa rogauit eum comedere: tum quia nec ipsa, nec illi, qui erant cum eo suaserunt sibi absentare se à periculo, vel à prælio futuro, vbi erat moriturus, videtur tamen probabiliter, quod hoc fecissent si verba Samuëlis audissent. Cætera patent ex dictis.

Amictus pallio. Prophetico scilicet, quale dudum lacerauerat Saül supra c. 15. 27. MENO

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 15. ad 19.

Vulg. Dixit autem Samuël ad Saül: Quare inquietasti me vt suscitarer? Et ait Saül: Coarctor nimis: siquidem Philistiim pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam.

Pag. Vt quid commouisti me? &c. angustiis afficior valdè.

Arias. Quid irritasti me?

Caiet. Quare mouere fecisti me?

Vatab. Quare molestus es mihi?

Alij. Quare terruisti me?

Sep. Rom. Vt quid perturbasti me faciens me ascendere? &c. tribulor valdè.

Reg. Non exaudiuit me.

Cald. Non accepit orationem meam.

Syr. Ingenti mœrorè conficior.

Arab. Cur interurbasti me?

Vulg. Et ait Samuël: Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum?

Pagn. Et est cum inimico tuo.

Malu. Ad quid postulabis me? &c. & fuit excitator meus.

Sep. Rom. Et factus est cum seruo tuo.

Cald. Et ad quid tu petis à me, & dictum Domini proiecit te, & erit in auxilium viri, cuius tu obtines inimi-

citias, eius.

Cald. Cur me consulis?

Arab. Cum Dominus bonum à te auerterit.

Vulg. Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid.

Malu. Disrupit regnum, & dabit illud sodali tuo.

Cald. Transire fecit regnum tuum à te.

Arab. Sicut dixerat per linguam meam dum viuerem.

Vulg. Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalec, idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

Arias. Nec fecisti iram nasi eius, ideo verbum hoc fecit tibi Dominus.

Malu. Non fecisti ardorem nasi eius.

Cald. Non fecisti fortitudinem indignationis eius in homines domus Ghamalek.

Syr. Non exercuisti iram furoris eius.

Vulg. Et Dabit Dominus etiam Israël tecum in manus Philistiim: cras autem tu, & filij tui mecum eritis: sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philistiim.

Malu. Etiam defidentiam Israël dabit, &c.

Sept. Rom. Cras tu, & filij tui tecum cadent.

Reg. vt Vulg.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quare inquietasti me? Alij, *Commouisti me*. Quies dicitur locus, vbi quis quietas sedes obtinet: quare qui educeret aliquem à sua quiete, ille inquietare diceretur quiescentem. Vnde recte vertit Vulg. dicens, *Quare inquietasti me?* Quia Samuël erat in requie in patrum limbo. Aliqui reddunt, *Quare terruisti me?* Rationem reddunt, nam putabat instare diem Iudicij Domini, cum suscitaretur à requie sua, sed hoc fictitium: sciebat enim Samuël nondum venisse Messiam. *Transibit ad emulum tuum*, Alij, *Fuit excitator tuus*. Dictio *W ghar*, à *W ghur*, dicunt esse excitatum, quasi vigilantem, acrem ad nocendum, ad prouocandum, qualis est inimicus. *Scindet regnum tuum*, Alij, *Disrumpit*. Sane *tuum*, non est in Heb. neque in Cald. Syr. Arab. nec in Latinis Gothicis, sed est in Sep. *Cras tu, & filij tui mecum eritis*. Sep. Rom. *Tecum cadent*, sed non est cur non admittatur lectio nostra, cui alia sunt conformes, nam cum ait Samuël, quod secum mane erunt *in mecum*, inquit D. Aug. ad Simplic. non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis refertur.

ANNOTATIONES.

- MENOC. *ψ. 15.* **Q**uare inquietasti me? Turbatio in animas Sanctorum, quæ in limbo sunt non cadit: itaque turbatio hinc iuxta communem loquendi modum accipienda est, inquietari enim dicuntur, qui à loco quietis, & pacis educiti, molestis negotiis implicantur.
- LYRAN. *ψ. 16.* *Et ait Samuël.* Hic consequenter ponitur Samuëlis responsio. Et patet litera ex prædictis vsque ibi.
- MENOC. *Quid interrogas me? &c.* Quasi dicat, An ignoras me tibi fauere non posse, cum sis inimicus Domini mei?
Ad emulum tuum. Dauid.
- LYRAN. *ψ. 17.* *Et dabit illud.* Quia propter peccatum principis bene puniuntur subditi pœna temporali, & etiam morte corporali, & maximè: Quia multi erant fautores Saülis, & consentanei in malis suis.
- MENOC. *ψ. 18.* *Neque fecisti iram furoris eius in Amalec.* Non paruisti Domino Amalecitis irato, nec eos vt fueras iussus, interuentione deluisti.
- A *Cras autem.* Istud iam expositum est supra.
- LYRAN. *ψ. 19.* *Cras autem tu, &c.* Sensus est, mortui eritis, & in communi statu alterius sæculi, id est, mortuorum. Vel etiam intelligi potest, quod essent futuri simul in loco infero. Nam inferorum loca erant plura. Vnde etiam hinc non sequitur, non fuisse ipsum Samuëlem qui hæc dixerit, sed diabolum in eius specie. Nam & Samuël non aliter hoc intellexit quam de communi loco mortuorum; Nam si id intellexisset de receptaculo Sanctorum Prophetarum, non parum potuisset id eum recreare: Iam vero, testante scriptura. *Saül cecidit porrectus in terram, timuerat enim verba Samuëlis.* Non quod ipsum Samuëlem sibi loqui non crederet, sed quia seuerè ipsius impietatem increpantem, & infaustam mortem prædicentem audiret.
- MENOC. *Cras tu, &c.* Hoc non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem mortis conditionem referendum est.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 20. ad 25.

Vulg. Statimque Saül cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuëlis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota illa die.

Pag. Et festinauit Saül, & cecidit plenitudo staturæ eius in terram, &c.

Arias. Etiam vis non fuit in eo, tota die, & nocte.

Caiet. Et iecit plenitudinem altitudinis suæ in terram.

Tigur. Illico corruit quantus erat.

Malu. Cecidit impletio surrecturæ eius, &c. etiam virtus non fuit.

Sep. Et festinauit, & non fuit fortitudo in eo ultra.

Reg. A statione.

Cald. Cecidit plena statura.

Arab. Ita vt nulla maneret in eo facultas erigendi sese.

Vulg. Ingressa est itaque mulier illa ad Saül (conturbatus enim erat valdè) dixitque ad eum: Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea, & audiui sermones tuos, quos loquutus es ad me.

Pag. Parui verbis tuis.

Arias. Posui, &c. in vola mea.

Malu. Quia subito tempore percussus fuisset.

Sep. Rom. Et intrauit, &c. & vidit, quia festinabat valdè.

Reg. Quia turbatus erat.

Vulg. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conuales-

cas, & possis iter agere.

Pag. Et erunt in te vires, vt eas per viam.

Malu. Posui faciebus tuis fragmentum panis, & fuit in te virtus.

Sep. Rom. Et erit tibi fortitudo, quoniam vadis in via.

Vulg. Qui renuit, & ait: Non comedam. Coegerunt autem serui sui, & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum.

Sep. Noluit, sedit super sellam,

Reg. Renuit, & noluit.

Vulg. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinauit, & occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam, & coxit azyma.

Pag. Erat ei vitulus pinguis in domo.

Arias. Vitulus saginarij.

Alij. Vitulus adhesionis, agglutinationis.

Sep. Rom. Et mulieri erat vitula pascualis, &c. & immolauit eam, & sumpsit farinas, & conspersit azyma,

Reg. Vitulus lacteus.

Syr. Habebit vitulum nutritum.

Vulg. Et posuit ante Saül, & ante seruos eius. Qui cum comediissent, surrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.

Malu. Et accedere fecerunt faciebus Saül, & faciebus seruorum, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Statim cecidit porrectus in terram, Alij, *Et cecidit plenitudo staturæ eius*. Sed rectè noster Vulg. nam corruit vt erat erectus: Verbum autem *festinauit*, significat etiam trepidationem, & turbationem. *Non comederat panem, tota illa die*. Hebr. additur, *Et nocte. Sedit super lectum*. Sept. Rom. *Super sellam*, sed lectus triclinaris ille etiam sella nuncupari potest. *Vitulum pascualem*. Alij, *Pinguem, saginarij*: non à Paschate, sed à pascendo dicitur ille vitulus pascualis: dicitur autem saginarij, id est, è saginario, nempe loco, in quo saginabantur vituli, Alij vertunt, *Vitulus adhesionis*, id est, qui vberibus matris adheret, vnde Reg. vertit, *Vitulus lacteus*.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. *Statimque.* Hic consequenter ponitur Saülis desolatio: tum propter Domini sententiam: tum propter debilitatem, cuius causa tangitur, cum dicitur.
- Quia non.* Id est, cibum aliquem: consequenter ponitur eius aliqualis consolatio, & primo ex parte mulieris inuitantis eum curialiter, & obnixè ad accipiendum cibum, dicens.
- LYRAN. *Ecce obedini, &c.* In facto mihi periculoso, ideo subditur.
- Et posui.* Id est, feci opus ad tuam petitionem sub pœna mortis prohibitum: quasi diceret, ex hoc debes inclinari meæ petitioni, secundo ex parte sociorum suorum, cum dicitur.
- MENOC. *Ingressa est mulier ad Saül.* Tantisper enim discesserat, vt Saül cum Samuële liberius rem remotis arbitris colloqui posset.
- Coegerunt autem.* Precibus importunis: & sic aliquantulum consolatus, eis acquieuit.
- Mulier autem.* In Hebr. habetur, *præsepium*, id est, in præsepio impinguum.
- Tollensque.* Infundendo aquam, vt inde faceret pastam.
- Et coxit.* Quia non habebat tempus fermentandi.
- Qui cum comedissent, &c.* Confortati cibo.
- Et ambulauerunt.* Vbi apparet mirabilis probitas, & animositas Saülis, qui ita festinauit redire ad populum suum, vt esset cum eo in prælio, in quo sciebat se moriturum.
- Ambulauerunt per totam noctem.* Videntur pedites iter fecisse, quod sic facilius, & suos latere possent, & hostes, si in aliquos eorum per noctem dum iter faciebant, incurrisset.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS.

Cum David se suosque iunxisset copiis regis Philistæi Achis, agrè id ferunt reliqui satrapæ, iubeturque domum remitti, & in Siceleg reuerti.

I.



Ongregata sunt ergo Philistiim vniuersa agmina in Aphec: sed & Israël castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrahel. 2. Et satrapæ quidem Philistiim incedebant in centuriis, & millibus: David autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis. 3. Dixeruntque principes Philistiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philistiim: Num ignoratis David, qui fuit seruus Saül regis Israël, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, vsque ad diem hanc? 4. Irati sunt autem aduersus eum principes Philistiim, & dixerunt ei. Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? 5. Nonne iste est David, cui cantabant in choris, dicentes. Percussit Saül in millibus suis, & David in decem millibus suis? 6. Vocauit ergo Achis David, & ait ei: Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris: & non inueni in te quidquam mali, ex die qua venisti ad me, vsque in diem hanc: sed satrapis non places. 7. Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philistiim. 8. Dixitque ad Achis. Quid enim feci, & quid inuenisti in me seruo tuo: à die qua fui in conspectu tuo vsque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos Domini mei regis? 9. Respondens autem Achis, locutus est David: Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed principes Philistinorum dixerunt. Non ascendet nobiscum in prælium. 10. Igitur confurge mane tu, & serui Domini tui, qui venerunt tecum: & cum de nocte surrexeritis, & cœperit dilucescere, pergite. 11. Surrexit itaque de nocte David ipse, & viri eius, vt proficiscerentur mane, & reuerterentur ad terram Philistiim: Philistiim autem ascenderunt in Iezrahel.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 5.

Vulg. Congregata sunt ergo Philistiim vniuersa agmina in Aphec: sed & Israël castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrahel.

Malu. Collegerunt omnes desiderias suas in Aphete.

Sep. Rom. Israël castrametatus est in Aendor.

Reg. In Nain.

Arab. Prope ciuitatem Iezrahel.

Vulg. Et satrapæ quidem Philistiim incedebant in centuriis & millibus: David autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis.

Arias. Transcutes ad centena, & millena, &c. transibant in nouissimo.

Malu. In Posterioritate pertranscutes.

Vulg. Dixeruntque principes Philistiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philistiim: Num ignoratis David, qui fuit seruus Saül regis Israël, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, vsque ad diem hanc?

Malu. Istud dierum, aut in istud annorum. In die cadere eum vsque, &c.

Sep. Rom. Fuit nobiscum dies, hunc secundum annum, &c. ex qua die incidit ad me.

Reg. Qui factus est mecum iam secundus annus.

Sym. Confugit ad me.

Cald. A die quo separatus est ad me.

Syr. Qui mansit apud nos duobus annis, & mensibus.
Vulg. Irati sunt autem apud eum principes Philistinum, & dixerunt ei: Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in praelium, ne fiat nobis aduersarius, cum praeliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris?
Pag. Et in quo placebit Domino suo?
Arias. Acceptabitur hic nisi in capitibus virorum istorum?
Figur. In qua enim re se præbebit gratum?
Malu. Ad sustentatores suos?
Sep. Rom. Et contristati sunt super eum, &c. & non fiat insidiator castrorum, & in quo conciliabitur?
Cald. Non erit nobis Zzatan.

Aquila. Irritati.
Sym. Irati.
Syr. Ne sit nobis molestia.
Arab. Ne sit nobis offendiculo, putasne virum istum nullam Domini sui habere rationem? nihil aliud opraret, nisi vt nos trucidaremus, Dominus autem suus victor existeret.
Vulg. Nonne iste est Dauid, cui cantabant in choris, dicentes. Percussit Saül in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis?
Malu. Cui respondebant ei in choris: Percussit Saül in mille suo, & Dauid in multiplicatibus suis?
Cald. Cui audire faciebant in canticis.
Arab. In timpanis quadratis canebant.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Super fontem. *Sep. Rom. In Aendor. Reg. In Nain. Hebr.* quidem est *בַּחַיִּים* *baghain*, *בְּיַחֲזִיק* *ghin* autem significat fontem. *Incedebant in centuriis, Alij, Transcentes ad centena, & millena*, lustrantes scilicet copias suas. *Et est apud me multis diebus vel annis, Alij, Fuit nobiscum dies hunc secundum annum.* Legenda est Concord. v. 7. c. 17. Si ergo, vt est in illo capite, mansit apud Achis solum 4. menses, & aliquot dies, quomodo hic dicitur multos annos apud eum mansisse? Aliqui dicunt in hoc mentitum, vel dixisse exaggerationis gratia: Alij sic explicant, fuit apud me multis diebus, id est, 4. mensibus, quibus mihi æquè notus est ac si plures annos apud me mansisset. Alij, computasse Achis finem anni elapsi quo ad se venerat Dauid, & initium anni sequentis, siue currentis, quo adhuc secum manebat: id enim exigunt *Sep.* dum vertunt, hic quippe secundus annus est à die quâ transfugit ad me. Alij, *A die cadere eius.* Verbum cadendi in significatione habitandi, etiam vsurpari volunt plures, vnde sensus est, à die quo mecum habitat. *Sepr. Incidit ad me, עָשִׂים*, quod respondet *Heb. Irati*, Alij, *Contristati*: Angebantur enim, imo & commouebantur, quod in exercitu Achis esset Dauid. *Ne fiat nobis aduersarius.* Alij, *Non fiat insidiator*: Id est, proditione nos circumueniat. *Cui cantabant in choris.* Alij, *Cui audire faciebant in canticis, &c.* Vide Concordiam vers. 6. c. 18. & vers. 11. c. 12.

ANNOTATIONES.

- C**ongregata. Hic consequenter describitur recessus Dauid de Philistinorum exercitu: & primo describitur huiusmodi recessus, secundo incidens casus cap. 30. Circa primum Achis propter Dauid, & viros eius reprehenditur, secundo propter hoc Dauid ad locum suum remittitur, ibi: *Vocauit ergo Achis Dauid.* Prima pars patet vsque ibi.
- In Apeec.** Locus in valle Iezrael.
- Super, seu iuxta fontem in Iezrael.** Castra Israëliitarum erant in monte Gelboë regione Sunam, in tribu Issachar ad plagam Meridionalem, & protendebantur vsque ad fontem Iezrael, qui erat ad radicem montis: Philistæorum vero castra erant ad Septentrionalem plagam circa montes Hermon, & vrbes Sunam & Apeec. Vallis autem Iezrael intermedia erat inter vtrumque exercitum. Ceterum cur, & vniuersa Philistinorum agmina ex vna parte, & vniuersa Israël ex altera parte hic conuenisse dicantur? certo colligitur, supra quadringenta vtriusque millia, id est simul octingenta millia, conuenisse. Nam contra solos Ammonitas gentem multo minorem, haud ita pridem eduxerat Saül *trecenta millia filiorum Israël, & virorum Iuda triginta millia.* Neque vllam ex eo tempore cladem Iudæi acceperant.
- In centuriis, & millibus.** Suas centurias, & chiliadas lustrabant satrapæ præcipui, illasque obibant ordinandi, adhortandi, & videndi gratiâ, an omnia rectè haberent.
- In nouissimo agmine cum Achis.** Non ex ignauia, aut timore, sed quia locus ille Achi obtigerat aliqua sorte, vel ratione dignitatis, quod omnium satraparum præstantissimus esset. Adde in extrema acie fortissimos quosque collocari solitos. Sic apud Romanos qui Triarii vocabantur, vltimum tenebant locum.
- Dauid, & viri eius sexcenti erant in nouissimo agmine cum Achis.** Erat hoc non ignauia, sed virtutis, & auctoritatis signum. Propria enim Imperatoris cohortes posteriora in exercitu loca tenent. Et apud Romanos Triarii, viri fortissimi spectatæque virtutis, in quibus summum robur exercitus, & spes suprema victoriæ, vltima loca occupabant. Et satis constat Gethæos, quorum satrapa, seu rex erat Achis, omnium Philistæorum fortissimos fuisse,
- teste Goliath Gethæo, & aliis. Sane Iosephus non obscure indicat, hunc Achin supremum fuisse inter quinque satrapas, seu reges Imperatorem.
- Numquid.** Quasi dicat, non debetis timere de eo, quia Saül persecutus est eum vsque ad mortem, & ideo compulsum fuit fugere ad terram meam.
- Et est.** Illi autem, qui dicunt, quod fuit ibi tantum 4. mensibus, habent consequenter dicere, quod Achis dixit de mora Dauid in terra sua, plus quàm esset in veritate ad pacificandum principes Philistinorum, vnde subditur.
- Et non inueni.** Scilicet, quid machinationis ad malum: quæ tamen fuisset percepta in tanto tempore si fuisset in eo secundum veritatem. Cætera patent vsque ibi.
- Quid sibi volunt Hebraei isti?** Facile illos nosse poterant ex dialecto, & fortassis etiam ex vestitu, & armorum genere.
- Multis diebus vel annis,** supra cap. 27. num. 7. habemus: *Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philistinorum, quatuor mensium.* Itaque vel mentitus est Achis, vt fidem faceret Philistæis Dauidem satis superque sibi notum, quod probabile putat Abulens. quæst. 15. in c. 27. & q. 5. in hoc c. 29. vel annos retulit ad primam commorationem, quæ ante annos aliquot ante illum inchoata fuerat, vel annos intelligit finem prioris, & posterioris initium, quo modo etiam explicari possunt. LXX. qui habent *מָנְסִי אִתִּי יָמִים רַבִּים*; *mansit apud nos dies, plurimos scilicet, hic quippe secundus annus est.*
- Dauid est apud me multis diebus vel annis.** Cap. 27. v. 7. dicitur quatuor mensibus, & aliquot diebus Dauid hæsisse apud Philistæos. Quod ergo hic dicit Achis, de annis (nisi velimus, mentitum fuisse, vt fidem Dauidis magis exploratam redderet Philistæis, vt vult Sanctius) vel de partibus duorum annorum intelligendum est: vel de tempore quo Dauid prima vice venit ad Achis, sed mox simulata stultitia discessit, quasi dicat. Iam pridem, ab annis circiter duobus (vt est in LXX.) mihi adfuit, & notus est Dauid.
- Placare Dominum suum nisi in capitibus nostris.** Quasi dicat, insigni aliquo facinore in perniciem nostram per-

LYRAN. *Y. 5.* **P**atrato, redimet, & redintegrabit cum Saule gratiam. *Percussit Saul.* Ista litera videtur sonare, quod in acie Saul essent tantum mille bellatores cum eo, & cum Dauid decem millia, quod non est verum, quia plures fortiores ponuntur circa regem, & ideo exponendum est hoc sicut fuit supra expositum 18. c. ita quod mille hic nomi-

A nati intelliguntur percussi ab ipso Saule, vt sit sensus: *In millibus suis.* Id est, in millibus ab eo percussis, & eodem modo de decem milibus Dauid.

Percussit Saul in millibus suis, &c. Vide obscura hæc ESTIVS verba explicata supra c. 18. v. 7.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad II.

Vulg. Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris: & non inueni in te quidquam mali, ex die qua venisti ad me, vsque in diem hanc: sed satrapis non places.

Pag. In oculis principum non es bonus.

Arias. Clamauit Achis, &c.

Cald. Permanens ipse Dominus, &c. in oculis tyrannorum non es gratus.

Arab. Quod apud me es integer, & gratus es mihi, & approbauit introitum tuum.

Vulg. Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philistinum.

Pag. Et non facies malum in oculis principum.

Vulg. Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inuenisti in me seruo tuo: à die qua fui in conspectu tuo vsque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos Domini mei regis?

Malu. Quia non veniam, & cadam in maleuolentibus sustentatoris mei regis?

Cald. A die quo fui ministrans, & non inibo bellum aduer-

sus olores, &c.

Vulg. Respondens autem Achis, locutus est ad Dauid: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed principes Philistinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium.

Sep. Rom. non habent. Sicut Angelus Dei.

Complut. autem, & Reg. legunt.

Vulg. Igitur confurge mane tu, & serui domini tui, qui venerunt tecum: & cum de nocte surrexeritis, & coeperit dilucescere, pergite.

Pag. Et illuscet vobis, & ite.

Arias. Et nunc manica in mane.

Sep. Rom. Et ite ad locum, vbi collocaui vos illic, & verbum pestilens ne posueris in corde tuo, quoniam bonus tu coram me, & diluculo surgite in viam.

Cald. Et nunc anticipa in aurora.

Vulg. Surrexit itaque Dauid ipse, & viri eius, vt proficiscerentur mane, & reuerterentur ad terram Philistinum: Philistinum autem ascenderunt in Iezrael.

Malu. Et manicauit Dauid ipse.

Sep. Rom. Ad abeundum, & custodiendum terram alienigenarum, ascenderunt ad bellandum in Iezrael.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

ET bonus in conspectu meo. Et exitus tuus. Heb. ita interpungunt. *Quia bonus es tu, & bonus in oculis meis egressus tuus.* Id est, habeo te vt virum bonum, & commercium tuum mihi gratissimum. *Sicut Angelus Dei;* Hæc non habentur in Sep. Rom. at in Compl. & Reg. inueniuntur. Est phrasis Hebræa, cum enim quempiam valde laudare, & extollere volunt, Angelum Dei vocant. Sep. Rom. habent. *Ite ad locum vbi collocaui vos illic, & verbum pestilens non posueris in corde tuo, quoniam bonus es tu;* Reg. solum habent, *Vadite ad locum, vbi constitui vos,* sed in aliis exemplaribus non leguntur. *Et reuerterentur ad terram Philistinum,* Sep. addunt, *Ad custodiendam terram alienigenarum. Ascenderunt in Iezrael.* Sep. addunt, *Ad bellandum,* eo enim sine illuc ascenderunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Y. 6.* **V**ocauit ergo. Hic propter prædictam causam Dauid B ad locum suum remittitur, quod à Deo factum est, ne fortè bellando contra filios Israël aliquos bonos de illo populo vel amicos suos interficeret: secundo vt Amalecitas, qui manum Saul euaserant, & ciuitatem Siceleg in odium Dauid incenderant, deleret: & prædam ab eis captam recuperaret, tertio, vt ex præda ibi acquisita amicos sibi aggregaret, qui iuuant ipsam post mortem Saulis ad obtinendum regnum.

ESTIVS. *Vocauit ergo, &c.* Et paulo post: *Scio quia bonus es tu in oculis meis sicut Angelus Dei.* Obseruandum quod Achis homo alienigena iurat per nomen Dei Israël. Nam vbi dicit, *Viuit Dominus,* est nomen Dei tetragammaton. Et similiter, quod faciat mentionem Angeli Dei. Et mirum videri posset, vnde habuerit harum rerum notitiam? Nisi quod omnino verisimile est, eum hæc didicisse ex conuersatione cum Dauide, qui cum eo iam aliquanto C tempore habitauerat; & ita habitauerat, vt sicut testatur ipse Achis, non inuenerit in eo quicquam mali à prima die qua ad eum venerat. Ex quo intelligimus quantum efficaciam habeat prædicatio veritatis apud infideles, quando coniuncta est simul innocentia vitæ eorum qui prædicant.

MENOC. *Exitus tuus, & introitus tuus.* Consuetudo, & actiones tuæ mihi probantur.

TIRINVS *Exitus & introitus tuus* (id est, conuersatio, & consuetudo tua, adeoque omnia opera tua) *mecum in castris reatus est, & bonus,* id est, mirè mihi placent probanturque vehementer.

Satrapis non places. Prudenter Achis quid in Dauide timerint Philistæi tacitus transmittit, solumque generatim, ait satrapis illum non placere.

Vt non veniam, &c. Queritur an Dauid licite potuerit pugnare contra Israëlitas? Respondent quidam quod sic, quandoquidem tot iniuriis à Saule esset affectus. Sed omnino videtur respondendum, id Dauidem licite facere non potuisse. Cuius præcipua causa fuit, quia bellum ex parte Achis iniustum erat, quia gerebatur contra populum Dei haud iusto titulo, sola scilicet cupiditate dominandi. Quicumque autem militat principi, quem scit iniustam habere causam, peccat mortaliter. Alia causa est, quia contra populum suum: cuius iam ipse à Deo designatus erat rex; stultissimum fuisset pugnare cum illo rege; qui illum populum omnino voluisset deletum, aut in seruitutem redactum. Itaque sicut c. 27. simulabat se agere prædas de Israëlitis, & reuera agebat de subditis, aut fœderatis ipsius Achis; ita & in hoc bello illum facturum fuisse non incredibile est. Speciosa autem verba quæ hic Dauid dat ipsi Achis: vel ad mendacia officiosa referenda sunt, vel etiam pleraque tanquam in terminis tantum generalibus, & interrogando prolata, à mendacio excusari possunt.

Quid enim feci, &c. Pulchrè Dauid seruit fabulæ, & MENS speciem exhibet hominis de facta sibi iniuria conquerentis. Necessaria querela ne si taceret, suspicionibus Philistinorum suffragari videretur.

Sicut Angelus Dei. Meminit Angeli Dei sicut à Dauide, aut aliis Hebræis in familiari colloquio vsurpari audierat. Vel etiam eum dicendi modum Philistæi à vicinis hauserant Hebræis, conterminæ enim regiones, vt experientia docet, multas voces, & phrasas communes habent.

Cum de nocte surrexeritis, &c. Lucem iubet anteuertere, MENS summo mane discedere, ne reliquus exercitus eorum quæ gerebantur ignarus, mali aliquid suspicaretur, aut animis deficeret.

CAPVT TRIGESIMVM.

SYNOPSIS.

Absente cum suis Dauide, Amalecita urbem Siceleg inuadunt, spoliant, igne succendunt, ablata inde omni præda. Sed Dauid profecutus illos, penè omnes occidit, prædamque recuperat: quam ex aquo diuidi iubet etiam iis qui ad sarcinas lassii substitierant.



1. Vmque venissent Dauid, & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte Australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni. 2. Et captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo vsque ad magnum: & non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo. 3. Cùm ergo venissent Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas, 4. leuauerunt Dauid, & populus qui erat cum eo voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ. 5. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoam Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli. 6. Et contristatus est Dauid valde, volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vnus cuiusque viri super filiis suis, & filiabus. Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo: 7. Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelec: Applica ad me Ephod. Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, 8. & consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam. 9. Abiit ergo Dauid ipse, & sexcenti viri qui erant cum eo, & venerunt vsque ad torrentem Besor: & lassii quidam substitierunt. 10. Persecutus est autem Dauid ipse, & quadringenti viri, substitierant enim ducenti, qui lassii transire non poterant torrentem Besor. 11. Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederuntque ei panem vt comederet, & biberet aquam. 12. Sed & fragmen massæ caricatum, & duas ligaturas vix passæ. Quæ cum comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus, & tribus noctibus. 13. Dixit itaque ei Dauid: Cuius es tu? vel vnde? & quò pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius. 14. Siquidem nos erupimus ad Australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad Meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni. 15. Dixitque ei Dauid: Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait: Iura mihi per Deum, quod non occidas me: & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Et iurauit ei Dauid. 16. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ, comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, & spoliis quæ ceperant de terra Philistiim, & de terra Iuda. 17. Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adulescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant. 18. Erui ergo Dauid omnia quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores suas eruit. 19. Nec defuit quidquam à paruo vsque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, & de spoliis, & quæcumque rapuerant, omnia reduxit Dauid. 20. Et tulit vniuersos greges, & armenta, & minauit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda Dauid. 21. Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassii substitierant, nec sequi potuerant Dauid, & residere eos iusserat in torrente Besor: qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacificè. 22. Respondensque omnis vir pessimus, & iniquus, de viris, qui ierant cum Dauid, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat vnicuique vxor sua & filij: quos cum acceperint, recedant. 23. Dixit autem Dauid: Non sic facietis fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in manus nostras. 24. Nec audiet vos quisquam super sermone hoc: aqua enim pars erit descendens ad prælium, & remanens ad sarcinas, & similiter diuident. 25. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israël vsque in diem hanc. 26. Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini: 27. His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad Meridiem, & qui in Iether, 28. & qui in Aroër, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo, 29. & qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni, 30. & qui in Arama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach, 31. & qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. I. ad 6.*

Vulg. Cumque venissent Dauid, & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecita impetum fecerant ex parte Australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni.

Pag. Iuerat ad prædam versus Meridiem.

Arias. Deffenderant se.

Tigur. Irruerant.

Alij. Grassati fuerant.

Malu. Exspoliauerunt ad Austrum.

Sep. Rom. Amalec incurfionem fecit.

Cald. Extraeti sunt super Meridiem.

Syr. Excurrerant.

Vulg. Et captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo usque ad magnum: & non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo.

Malu. Non mori fecerunt virum & abduxerunt.

Sept. Rom. Non mortificauerunt, sed captiuarunt.

Vulg. Cum ergo venissent Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas.

Vulg. Leuauerunt Dauid, & populus qui erat cum eo vo-

ces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lacrymae, *Pagn.* Donec non essent eis vires ad flendum.

Malu. Virtus.

Sep. Rom. Fortitudo.

Arab. Adeo vt in deliquium incidissent, nec superesset eis robur flendi.

Vulg. Siquidem, & dux vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoam Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

Vulg. Et contristatus est Dauid valdè, volebat enim cum populus lapidare, quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filiis suis, & filiabus. Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo.

Pag. Et angustiis affectus est, &c. & roborauit se Dauid.

Vatab. Fortificatus est.

Malu. Et coangustata fuit Dauidi valdè, &c. & obtinuit sese Dauid in Ihu.

Sep. Rom. Et tribulatus est valdè.

Cald. Confortatus in dicto Domini.

Arab. Maximo tædio, & angore angebatur, &c. patienter autem ferens confidit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

A *Malecite impetum fecerant, Alij, Iuerant ad prædam.* Vide dicta superius. *וּבַּפָּאָר* enim significat prædari, & se diffundere. *Ex parte Australi in Siceleg, Alij, In Meridiem & in Siceleg,* Itaque non irruerunt iuxta ea verba, in plagam Australem vrbs Siceleg, vt noster indicare videtur, sed prius in partem Australem, deinde in Siceleg. *Non interfecerant quemquam, Alij, Virum,* sed bene *Vulg.* pro viro dixit quemquam, quod pluries aliàs fit, vt vir ponatur pro nomine collectiuo, nempe viro & muliere. *Et contristatus est Dauid valdè, Malu. Et coangustata fuit ipsi Dauid.* Heb. verbum est fœmineum, & nomini Dauid præfixus est articulus datiu: vnde subaudiendum est anima, Aliqui notant tribui verbum fœmineum Dauidi, propter fractum tunc, & percussum grauitè eius animum præfenti infortunio. *Confortatus est in Domino.* Alij, *Roborauit sese.* Coniugatio enim hitpahel qualis est hîc, magnam vim habet, & significat quòd egregiè se animauit, & confortauit.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 1.

Cumque. Hic consequenter describitur incidens casus, scilicet de ciuitate Siceleg incensa, & deprædata, tempore quo Dauid, & viri eius erant in exercitu Philistinorum. Circa quod 1. describitur incendium ciuitatis, & eius deprædatio. 2. Hostium infecutio, ibi: *Confortatus est.* 3. eorum debellatio, ibi: *Qui cum dixisset.* 4. prædæ diuisio ibi: *Respondensque.* Circa primum ostenditur qui fecerint istud maleficium, cum dicitur.

Amalecita. Odiebant enim filios Israël, eò quòd Saül ferè delcuerat eos, & ideo cognoscentes quòd Dauid, & viri eius erant absentes, ciuitatem Siceleg inuaserunt.

MENOC.

Amalecita. Causa incurfionis huius Amalecitarum videtur fuisse, quod iam à Dauide sæpius vexati, in omnem occasionem vltionis intenti, cum illum castra Philistæorum secutum fuisse cognouissent, arma cœperunt, & regionem Philistæorum, ac potissimum Siceleg populati sunt.

TIRINVS

Amalecita. Iam à biennio penè à Saüle excisi, recentè iterum à Dauide variis prædationibus exhausti, cum iam scirent tam Saulem, quam Dauidem in agrum concessisse, neque ab ipsis quidquam iam sibi metuendum, vt pote bello cum Philistæis prorsus implicitis; vsi occasione, iniurias acceptas ex parte vlcisci, ac vicem rependere statuerunt.

Sed Nota hîc diuinam prouidentiam, & in Israëlitas clementiam, quod cum Dauid, dum ex Amalecitis prædas ageret, nullos seu viros, seu mulieres, infantes in viuis reliquisset, vt dicitur c. 37. v. 9. & 11. tamen horum barbarorum, iam ad acceptas illas iniurias vindicandas accurrentium furorem ita mitigarit, vt paris vltionis, seu memoriam, seu appetitum vsque eo extinxerit, vt neminem ex omnibus Hebræis captiuos aut occiderint, aut læserint.

LYRAN.
v. 2.

Et non. Quia volebant eos habere, & vendere in seruos, & ancillas, vt facerent vtilitatem suam, non solum de rebus, sed etiam de personis. Cætera patent vsque ibi.

MENOC.

Donec deficerent in eis lacrymae, vel vt est in Hebræo, *donec non essent eis vires ad plorandum.*

A *Volebat.* Eo quòd erant in passione doloris positi, & quia secum duxerat omnes bellatores, nec dimiserat aliquos ad custodiam loci.

Confortatus. Hic consequenter describitur hostium infecutio, & primò ex directione diuina, requirendo eius consilium, cum dicitur.

Volebat eum populus lapidare. Quod illum tantæ cladis auctorem facerent, vel propter irritatos Amalecitas; vel propterea quod abductis omnibus militibus suis, urbem præsidio nudatam reliquisset.

Confortatus est Dauid. Bona spe imbutus amissa recuperandi, & vlciscendi iniuriam, Deo bene iuuante.

Volebat eum populus lapidare. Dolo nimio rationem obruente. Accedebat innata Hebræis animi leuitas, qua, huc atque illuc faciliè momento flectebantur. Vti & Moyfen olim tam præclare de se meritam toties volüere nulla de causa lapidare, Exodi 17. & alibi. Sed aliquam hîc causam prætexere potuisse videntur, quod ex vrbe Siceleg propugnatores omnes eduxisset, imbelli tantum turba in ea relicta. Et quamuis indigenæ Philistæi in ea remansissent, illi tamen inundanti barbarorum multitudini pares non fuerant, & fortè non assueuerant armis. Sed Dauid dum prudenti consilio suadet, à luctu ad vindictam, & prædæ recuperationem properare, exacerbatos animos paulatim compefcuit: & mox applicato Ephod (de quo modo consulendi Dominum, vide Exod. 28.) & indicio seruuli Ægyptij deprehensis latronibus, tanta cæde in eos grassatus est, vt totis viginti quatuor horis aliud nihil egerit, nec nisi quadringenti ex toto numero, salui beneficio camelorum euaserint. Videturque Deus non alia ratione permisisse hanc Amalecitarum aduersus Hebræos expeditionem, quam vt fæcem illam perpetuò repullulantem, & malè à Saüle reseruatum, Dauidi ad victimam, ad lanienam obiiceret: vt à nouo rege sub initium regni sui, iusta vltione corrigeretur, quod Saül initio sui principatus, per inobedientiam peccarat, ita Theodoretus.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 10.

Vulg. Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me Ephod. Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid.

Arias. Fac mihi quæso accedere.

Cald. Affer nunc mihi.

Arab. Affer thoracem, per quem exposcis oracula.

Vulg. Et consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus. Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.

Pag. Interrogauit Dominum, &c. quia comprehendendo comprehendes, & eruendo erues.

Malu. Quia attingere attinges.

Sept. Rom. Si perseguar post Geddur istud, si assequar eos.

Reg. Post exercitum hunc.

Cald. Interrogauit in dicto Domini.

Syr. Quia breui assequeris eos.

Vulg. Abiit ergo Dauid ipse, & sexcenti viri qui erant cum eo, & venerunt vsque ad torrentem Besor: & lassii quidam substiterunt.

Arias. Residui.

Malu. Superrelicti steterunt.

Cald. Vsque ad fluuium, &c. & pars eorum relicti sunt.

Vulg. Persecutus est autem Dauid ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassii transire non poterant torrentem Besor.

Arias. Qui pigrescebant à transeundo.

Caier. Qui se vetuerunt.

Tigur. Qui resederunt.

Sept. Rom. Qui quidem trans torrentem.

Cald. Qui prohibiti sunt à transeundo.

Syr. Surgentes custodierunt, ne quis pertransiret torrentem.

Arab. Reliquit ducentos viros ad impedimenta sua, vt custodirent ea.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Applica ad me Ephod. Alij, Accedere fac. Affer thoracem, per quem exposcis oracula: medio enim amiculo sub perhumerali consulebatur Deus. Persequar latrunculos hos? Sep. Rom. Post Geddur istud, Compl. & Reg. post exercitum. Ipsum *οὐστρεῖα* vocat Heb. *זֶדְדִּי*, quod alibi exponitur *μικρομερον* Vocatur autem sic globus, & agmen latronum. Et lassii quidem substiterunt, Alij, Et superrelicti steterunt, & subaudiunt, maior pars transiit, reliqui vero substiterunt. Qui lassii, Alij, Qui pigrescebant: Quasi consona voce *פִּיגְגֵרִים* pigrescebant autem ex lassitudine contracta ex itinere.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A**pplica ad me Ephod. Id est, pro me: Quasi diceret, A induc te veste sacerdotali, vt consulas Deum pro me. Cætera patent vsque ibi.

ESTIVS. **A**pplica ad me Ephod. Et mox addit scriptura. Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, &c. Sensus est, quod sacerdos indutus Ephod veste sacerdotali, pro Dauide adstante consuluit Dominum. Erat quidem & Ephod quoddam lineum quo Dauid ipse licite legitur fuisse indutus, ludens ante arcam Domini 2. Reg. 6. itemque puer Samuël supra cap. 2. huius libri, sed id genus vestis non absolute vocatur Ephod, sed statum cum additamento, Ephod lineum. Atque adeo Ephod propriè dictum, seu Ephod summi sacerdotis, Exod. 28. & 29. vocatur superhumeralis, Ephod vero lineum reliquorum sacerdotum tunica linea. Atque ita scilicet, sicut nunc pueri, & ministri inferiores adstant diuinis officiis in habitu quodam non dissimili ab habitu sacerdotum, & superiorum ministrorum; ita & tunc puer Samuël, & Dauid ludens ante arcam, Ephod

quoque lineo induti fuisse leguntur, non autem quod Ephod ipsum sacerdotale Dauid sibi porrigi voluerit, illudque induisse vilo modo credendus sit.

Applica ad me Ephod. Non petit Dauid indui Ephod Pontificali, sed vult vt illud sibi applicet sacerdos ad obtinendam Dauidi interroganti responsonem.

Et lassii. Scilicet, ducenti, qui licet propter fatigationem non possent competenter aduersarios persequi: tamen poterant competenter custodire sarcinas: propter quod Dauid, & viri eius reliqui dimiserunt sub custodia eorum, illa quæ poterant eis esse oneri, vt patet ex sequentibus, id est, vt possent hostes expeditius persequi, secundo insequitur Dauid hostes directione humana, cū dicitur.

Ad torrentem Besor. Hic torrens sub fines tribus Simeonis constituitur ab Adrichomio, eumque ex montanis Iudæ deriuatum ad occidentum mare deducit, ad oppidum, & portum Maioma non multum vltra Gazam, ad quam ille pertinet.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 11. ad 15.

Vulg. Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederuntque ei panem vt comederet, & biberet aquam.

Malu. Et comedit, & bibere fecerunt eum aquas.

Vulg. Sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas vix passæ. Quæ cum comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus, & tribus noctibus.

Arias. Fragmen caricæ, & duos botros siccos.

Malu. Fragmen palathæ caricarum, & duos flaccidos.

Sept. Rom. Restitutus est spiritus eius cum eo.

Syr. Duos etiam caseos, & resumpsit spiritum.

Vulg. Dixit itaque ei Dauid: Cuius es tu? vel vnde? & quod pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitarum: dereliquit autem me dominus meus, quia agrotare cœpi nudius tertius.

Malu. Cui tu, & vbi de istuc tu? & dixit excussus, dereliquit me sustentator meus, quia agrotavi dies tres.

Sept. Rom. Quia turbatus sum ego, hodie tertianus.

Reg. vt Vulg.

Vulg. Siquidem nos erupimus ad Australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad Meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni.

Pag. Nos iniuimus ad prædam ad Meridiem Cerethi.

Arab. Vastauimus Meridiem.

Vatab. Nos grassati sumus.

Malu. Nos exspoliavimus Austrum.

Sept. Rom. Nos incursionem fecimus.

Reg. Irruimus.

Cald. Nos extracti sumus.

Syr. Ex quo venimus à Negheb Iuda.

Vulg. Dixitque ei Dauid: Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait: Iura mihi per Deum, quod non occidas me: & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Et iurauit ei Dauid.

Pag. Num descendere facies me ad exercitum istum?

Arias. Agmen?

Malu. Ad latrocinium istud?

Sept. Rom. Ad Geddur istud?

Cald. Firma mihi in dicto Domini.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fragmen *massæ caricarum*. Alij, *Palathe caricarum*. Vide Concord. v. 19. cap. 25. *Et duas ligaturas vna passæ*. Alij, *Duos botros siccos*. Vide Ibid. *Et quo pergis?* In aliis lectionibus id non habetur. *Quia egrotare cæpi*. Sep. Rom. *Quia turbatus sum*, scilicet ex infirmitate. *Nudiusfertius*. Sep. Rom. *Hodie tertianus*. Id est, hodie sunt tres dies. *Si quidem nos erupimus*, Alij, *Nos inimus ad prædam*. Vide Concord. v. 1. *Ad cuneum istum*. Sep. Rom. *Ad Gaddur istud*. Vide Concordiam superiorem.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **E**T inuenerunt. Infirmitate, & fame, quasi morti propinquum.
 V. II.
 LYRAN. **R**eversus est. Id est, aliqua conualescentia virtute cibi confortantis.
 V. 12.
Non enim, &c. Id est, aliquem cibum.
Neque biberat, &c. Id est, aliquem potum.
Tribus. Et ideo non est mirum si erat exinanitus. Cætera patent.
- MENOC. *Fragmen massæ caricarum, &c.* Ferebant secum milites aliquid viatici, prudenter utique, cum versus loca deserti iter facerent. *Massæ caricarum* sunt *massæ aridorum ficuum simul compactorum*.
Ligaturas vna passæ. Vide dicta supra c. 25. n. 18.
- MENOC. **D**ereliquit autem me Dominus meus. Cuius inhumani-
 V. 13.
 tatis pœnas luit, si enim cum præda curru impositum abduxisset, fortassè non habuisset Dauid, cuius indicio recedentes Amalecitas persequeretur.
- MENOC. **A**d plagam Australem Cerethi. Cerethæos Rabbi Da-
 V. 14.

uid interpretatur Philistæos: alij quamdam eius prouinciam, vt Varablus, & Abulensis, quod si ita est, pertinebat is locus ad Satrapiam Gazæ, quæ omnium maxime ad Austrum vergit.

Contra Iuda. Terram Iuda montanam, in qua posteri Caleb habitabant.

Ad Australem plagam Cerethi. Regio Palæstinæ sic dicta à robore, & vi bellica incolarum, ita ex S. Hieron. Ribera. Cerethim enim Heb. significat excidentes: sicut Phelethim, liberatores. Hinc à robore vocatæ sunt duæ legiones, seu prætoriani milites Dauidis passim libro sequenti Cerethi, & Phelethi, ita Iosephus.

Non tradas me in manus domini mei. Si fortè accidat vt aliqua conuentione sit cum Amalecitis paciscendum, ille me reposcat, aut aliquis alius huiusmodi casus incidit.

Ducam te ad cuneum istum. Fortassè enim ex abeuntibus cognouerat quo essent profecturi.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 20.

Vulg. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ, comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, & spoliis quæ ceperant de terra Philistiim, & de terra Iuda.

Pag. Ecce diffusi erant in superficie, & trepidantes, *Arias.* Et descendere facit eum, & ecce relictæ super facies.

Tigur. Et ecce disiecti iacebant.

Malu. Et ecce dimissi, &c. & festinantes.

Sep. Rom. Profusi.

Cald. Extensi.

Syr. Et ecce ipsi metati fuerant.

Arab. Et ecce descenderunt super, &c.

Vulg. Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant.

Pag. A crepusculo vsque ad vesperam in crastinum.

Sep. Rom. Percussit eos à Lucifero ad vesperam, & in crastina.

Reg. Ab hora matutina, & vsque ad vesperum, & ad crastinum diem.

Aquila. Obscura Luna.

Syr. Ex quo cæpit obtenebrescere.

Cald. A tenebris, & vsque ad vesperum diei sequentis, & non est liberatus ex eis.

Syr. A matutino ad vesperum, vsque à tergo eorum.

Vulg. Eruit ergo Dauid omnia quæ tulerant Amalecitz, & duas vxores suas eruit.

Cald. Liberavit omnia, quæ captiuauerunt.

Vulg. Nec defuit quidquam à paruo vsque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, & de spoliis, & quæcumque rapuerant, omnia reduxit Dauid.

Arias. Et non desideratum est ex eis.

Malu. Et non decongregatum fuit de eis.

Sep. Rom. Et non dissonuit eis. *Syr.* Nec deperit.

Vulg. Et tulit vniuersos greges, & armenta, & minauit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda Dauid.

Pag. Duxerunt ante gregem.

Malu. Abduxerunt faciebus acquisitionis eius.

Sep. Rom. Et de spoliis dicebatur: Hæc spolia Dauid.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

A vespera vsque ad vesperam, Alij, *A crepusculo, & vsque ad vesperam*. Heb. משפחה *meaneseph*, exponunt quidam hic *neseph* pro crepusculo matutino, quando illos cæpit cædere, durauitque cædes illa vsque ad vesperam eiusdem diei: Et quando additur *crastina diei*, hoc referendum putant ad initium persecutionis, nam circa vesperam incæpit persequi eos, & tota nocte insecutus est eos, mane inuenit eos effusos super terram. Alij accipiunt משפחה *neseph*, pro prima vespera, & ערב *ghereb*, pro alterius diei vespera, & למחרת *referendum* putant ad Dauid, & viros eius, vt sit sensus, in crastina exitus eorum percussit eos ab Aurora vsque ad vesperam. Noster ergo accipit (sicut plures ex Heb.) crepusculum hic vesperum, seu nocturnum, nimirum à crepusculo nocturno, seu vespera vltima: nam, vt vidimus Exod. 12. vers. 6: duæ sunt vesperæ vnius diei. *Vsque ad alteram vesperam diei sequentis*, Sept. habent, *A Lucifero*. Id est, à crepusculo, seu vespertino, seu matutino, sed Sym. & Aquila, vt vidimus, accipiunt vespertinum. *Nec defuit*, Alij, *Et non desideratum, & non decongregatum fuit*. Verbi עדי *ghadar*, in niphali cum negatione, vt hic ponitur hanc vim esse volunt: & non detractum, non desideratum, non decongregatum, &c. Sep. habent, *Et non dissonuit*. Id est, nihil defuit.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **Q**ui cum dixisset. Hic consequenter describitur hostium debellatio, qui à Siceleg elongati credebant esse securi.
 V. 16.
Comedentes, & bibentes, &c. Et sic sibi non præcauentes: & ideo fuerunt faciliter debellati. Et patet litera vs-

que ibi.
Quasi festum celebrantes diem. In Hebræo est, *tripudiantes*, in Deorum scilicet suorum honorem, quibus collectæ ingentis prædæ beneficium se debere profitebantur.

LYRAN. *vsque ad vesperam, &c.* Qui fugiebant, & abscondebant se per diuersa loca, in quibus Dauid, & viri eius insequentes eos persequerentur: & ideo tantum tempus apposerunt. Cætera patent.

MENOC. *Et percussit eos Dauid, &c.* Pugnatum non est; totus labor fuit vino madidos, cibo distentos, tripudio fatigatos conficere, & fugam arripientes assequi.

A vespere vsque ad vesperam alterius diei. Mirum tanto temporis spatio plures non euasisse, quam quadringentos. Credibile est situm loci fuisse Dauidi, eosque quasi

A cauea inclusos euadendi facultatem facile habere non potuisse.

Omnia reduxit Dauid. Iis exceptis, quæ incendium absumpserat, vel in cibum, & porum cesserant.

Hæc est præda Dauid. Voces hæ sunt militum suo Duci gratulantium.

Hæc est præda Dauid. Intercalaris est versiculus in epinicio, quod Dauidi duci suo, & tantæ victoriæ auctori decantabant eius socij.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 21. ad 25.

Vulg. Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassifubstitierant, nec sequi potuerant Dauid, & residere eos iusserat in torrente Besor: qui egressi sunt obviam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacificè.

Malu. Et postulauit eis paci.

Sep. Interrogauerunt eos, quæ ad pacem.

Cald. Præcatus est illis pacem.

Vulg. Respondensque omnis vir pessimus, & iniquus, de viris qui ierant cum Dauid, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam erimus: sed sufficiat unicuique vxor sua, & filij: quos cum acceperint, recedant.

Arias. Respondit omnis vir Belial.

Caier. Respondit vir malus & malignus.

Tigur. Iniqui & perditii milites.

Lyran. teste aliqui legebant. Respondit vnus vir pessimus.

Sept. Rom. Vir pestilens.

Syr. Perditii inter viros.

Vulg. Dixit autem Dauid: Non sic facietis fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in manus nostras.

Arias. Dedit agmen veniens contra nos.

Sep. Tradidit Dominus nobis Geddur.

Vulg. Nec audiet vos quisquam super sermone hoc: æqua enim pars erit descendenti ad prælium, & remanenti ad sarcinas, & similiter diuident.

Arias. Sicut portio descendenti, &c. & sicut portio manentis super vasa.

Malu. Vnite dispertient.

Sept. Quoniam non minoris.

Reg. Non minores sunt quia secundum portionem, &c.

Arab. Pars æqua debet esse parti eius, qui assidet ad latas impedimentorum.

Syr. Suppellectilis.

Vulg. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israël vsque in diem hanc.

Pag. Positum est hoc in legem, & in ius.

Arias. In statutum, in iudicium.

Lyran. Factum est à die illa, & ab ante.

Tigur. Fuit enim ab hoc die, & iam ante constitutus hic mos.

Sep. Rom. In consuetudinem, & in iustificationem.

Reg. In præceptum, & in constitutum.

Arab. In sædus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Salutauit eos pacificè, Alij, Postulauit eis paci, siue ad pacem: Vide Concord. v. 4. cap. 10. Omnis vir pessimus, & iniquus; Aliqui, Respondit vir vnus iniquus: Sed bene noster Lyran. plures erant illius sententiæ; & ideo bene emendatus locus, *Æqua enim pars erit, &c.* Sep. Rom. habent, *Quoniam non minoris.* Reg. *Non minores,* sed hæc absunt ab alijs: at sensus non est illegitimus, nempe quoniam non minoris æstimationis, & prætij sunt, qui manserunt ad sarcinas, quam qui descenderunt in prælium. *Et factum est hoc ex illa die, & deinceps.* Alij, *Et ab ante constitutus fuit hic mos.* Vtrumque est verum, multis enim retro temporibus id obseruatum fuerat, & nihilominus Dauid dedit in statutum, & legem: tempore enim Abraham hoc factum fuit. Gen. 14. Aduerte non esse contrarium id quod dicitur. *Et quod lassifubstitierunt; & quod eos iussit residere in torrente;* nam vtrumque verum, quia cum præ lassitudine ulterius progredi non possent, iussit eos remanere ad custodiendas militum sarcinas.

ANNOTATIONES.

MENOC. *Salutauit eos pacificè.* Innuit beneuola hæc saluatio nulla hos in culpa fuisse, quod Dauidem non essent secuti, nisi velimus hoc eximie Dauidis mansuetudini tribuere.

LYRAN. *Respondensque.* Hic consequenter describitur prædæ diuisio, & primo quantum ad bellatores, secundo quantum ad amicos Dauid, seu benefactores, ibi: *Venit ergo Dauid.* Circa primum dicitur. *Respondensque.* Isti qui erant in comitatu Dauid, cupidi & mali, hoc dicebant tractantes inter se de prædæ diuisione.

MENOC. *Omnis vir pessimus, & iniquus.* Siue vt est in Heb. *vir Belial,* apud LXX. *vir pestilens & malignus.*

LYRAN. *Dixit autem, &c.* Repellens auaritiam, & nequitiam istorum.

MENOC. *De his quæ tradidit nobis Dominus.* Quasi dicat, cum Dominus tam liberalis in nos fuerit, non est æquum aduersus fratres nostros esse tenaces, & nihil malè commertitos nostra à nobis illiberalitate distrahere.

LYRAN. *Æqua pars erit descendenti ad prælium, & remanenti ad sarcinas, &c.* Ex hoc patet illud quod prædictum est: scilicet, quod illi ducenti remanentes custodierunt sarcinas, & ideo non erant debita portione priuandi. Hoc autem accepit Dauid de facto Abraham, qui similiter fecit

B socijs suis ad sarcinas remanentibus, quando quatuor reges debellauit, vt dictum fuit Genes. 14. Vnde subditur.

Æqua pars erit descendenti ad prælium, & remanenti ad sarcinas. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, &c. Quæritur, quomodo hoc dicatur nunc primum à Dauid constitutum, cum etiam antea Abraham obseruauerit Genes. 14. quando expugnauit quatuor reges? Imo & Moyses Num. 31. præceperat post victoriam partem de Madianitis, vt præda diuideretur inter bellantes, & reliquam multitudinem. Itaque iam tum videtur res illa præcepta, & lege sancita. Sed respondeo, Abraham quidem id obseruauit, sed facto suo legem non introduxit. Moyses autem non præscripsit populo legem perpetuo seruandam, sed pro loco, & tempore tantum ita fieri ordinauit. At vero Dauid tandem nunc lege lata perpetua ita fieri mandat. Si de æquitate huius legis quæraratur, non est ita lex intelligenda, quasi bellicosiores in aciem educantur, imbellicosiores relinquuntur ad sarcinas; sed quia vel sola voluntate supremi ducis, vel sorte hi ad pugnam prodeant, alij custodiendis sarcinis deputentur, non quod alij alijs sint bellicosiores.

Æqua pars erit, &c. Vtrique enim ad nutum Impera-

totis sunt parati, nec inutiliter qui remanserant operam A suam custodiendis sarcinis posuerant.

LYRAN. *Factum est ex hoc.* In Hebræo habetur. *Ex die illa, & ab ante,* scilicet, à tempore Abraham. Sed per Dauid fuit hoc firmiter statutum, & lege decretum ex regia potestate, vt de cætero sic simpliciter obseruaretur.

TIRINVS. *Factum est hoc, quasi lex in Israël usque in diem hanc.* Ita quidem iusserat semel Deus Num. 31. vers. 27. *Ex æquo prædam Madianiticam diuidi inter eos qui pugnaverunt, egressisque sunt ad bellum, & inter omnem*

reliquam multitudinem. Qui enim quominus pugnarent, & cum hoste manus confererent, delecti non fuerant. His ideo omnibus voluit ex æquo diuidi mediam prædæ partem: reliqua medietate promiscuo vulgo permiffa. Hoc exemplo decreuit Dauid, vt lex esset perpetua populo Israëlítico, de præda ex æquo diuidenda inter eos qui & manum cum hoste conseruissent, & qui ad sarcinas custodiendas relicti essent. Eandem hanc legem post hæc tempora induxerunt quoque Romani, vt exemplo Scipionis, & aliorum docet Polybius.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 26. ad 31.

Vulg. Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini.

Malu. De spolio malevolentium Iuh.

Cald. Mittendum curauit ad senes domus Iehudah amantes eum.

Vulg. His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad Meridiem, & qui in Iether.

Malu. Et qui in Ramoth Austro, & qui in Iathir.

Sep. Rom. Qui in Bathsur.

Reg. vt Vulg.

Syr. Qui in Beth, Ramoth, Negheb, & in Betheti.

Vulg. Et qui in Aroër, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo.

Sep. Rom. Et qui, &c. & qui in Amadi, & qui in Saphi, & qui in Estre.

Reg. vt Vulg.

Vulg. Et qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni.

Sep. Rom. Et qui in Geth, & qui in Cimath, & qui in Saphec, & qui in Themuth, & qui in Carmelo, & qui in ciuitatibus ipsius Hieremeel, & qui in ciuitatibus ipsius Cenezi.

Reg. vt Vulg.

Vulg. Et qui in Arama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach.

Malu. Et qui in Chorghasan.

Sep. Rom. Et qui in Hierimur, & qui in Berfabee, & qui in Nombe.

Vulg. Et qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius.

Malu. Quibus ambulare se fecit Dauid cum suis, cum fugeret Saülem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

His qui erant in Bethel. Sept. Rom. Bathsur. Sane in his nominibus plures sunt varietates, imo eorum maior est numerus apud Septuag. Rom. In lacu Asan, Alij, In Chorghasan, sed Vulg. & Sept. pro Chor, videntur legisse בור bor, quod puteum, aut cisternam, aut lacum significat: Porto litteræ Caph, & Beth affines facillè permutantur: vnde aliqui arbitrantur legendum esse Hebraicè bor. In quibus commoratus fuerat, Alij, Quod transierat. Id est, ad quæ se frequenter receperat Dauid cum suis, cum fugeret Saülem.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V**enit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, &c. Hic consequenter describitur prædæ diuisio, quantum ad amicos Dauid, & benefactores, apud quos Dauid, & viri eius latuerant fugiendo persecutores Saülis: & à quibus beneficia receperant, quia iustum erat, quod huiusmodi beneficia recognosceret facultate occurrente. Et patet litera.

MENOC. *Et misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis.* Ingentem prædam collegisse oportet Dauidem, cum eius partes in tam multas ciuitates, quot hic numerantur, distribuerit.

MENOC. *Bethel.* Quæ erat in tribu Benjamin.

Et qui in Ramoth ad Meridiem. In tribu Gad trans Iordanem.

Iether. In tribu Iuda, ciuitas Leuitica.

MENOC. *Aroër.* In tribu Ruben.

Sephamoth. Quam Abulensis in tribu Iuda constituit, etiam in catalogo vrbium Iuda non reperitur, nec alibi

quàm hoc loco à scriptura nominetur.

Esthamo. Quæ Esthemo dicitur in lib. Iosue c. 21. 14. & in Leuiticis vrbibus tribus Iuda cum Iether recensetur.

Rachal. Huius oppidi hoc tantum loco mentio fit in scriptura, & prætermiffum est ab Adrichomio. Abulensis ait fuisse in tribu Iuda, licet non memoretur in catalogo. Ios. 15.

Ierameel, & Ceni. Fuerunt paruulæ prouinciæ in tribu Iuda.

Arama. In tribu Nephthali. Iosue c. 19.

Lacu Asan. Lacus Asan nomen est oppidi, nec constat ad quam tribum pertinuerit.

Athach. A S. Hieron. de locis Hebraicis, in tribu Iuda ponitur, nec alibi vlla eius in scriptura mentio est.


Hebron. Clarissima ciuitas in montanis Iuda, cuius frequens mentio est in sacris literis.

In his locis in quibus commoratus fuerat. Voluit enim hisce muneribus destinatis, grati animi significationem dare propter accepta ab illis beneficia.

CAPVT TRIGESIMVM-PRIMVM.

SYNOPSIS.

Saul cum filiis in pugna ceditur à Philistæis. Truncum corpus in muro Bethsan suspenditur: caput recisum in triumphum circumfertur: arma in templo Astaroth suspenduntur. Viri Iabes Galaad corpora Saulis & filiorum eius de muro detracta sepeliunt in Iabes.

I. hilistiim autem pugnabant aduersum Israël: & fugerunt viri Israël ante faciem Philistiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë. 2. Irrueruntque Philistiim in Saül, & in filios eius, & percusserunt Ionathan, & Abinadab, & Melchisua, filios Saül, 3. totumque pondus prælij versum est in Saül: & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittariis. 4. Dixitque Saül ad armigerum suum: Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus, arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum. 5. Quod cum vidisset armiger eius, videlicet quòd mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo. 6. Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter. 7. Videntes autem viri Israël, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quòd fugissent viri Israëlitæ, & quòd mortuus esset Saul, & filij eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt: veneruntque Philistiim, & habitauerunt ibi. 8. Facta autem die altera, venerunt Philistiim, vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Gelboë. 9. Et præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis: & miserunt in terram Philistinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo Astaroth, corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan. 11. Quod cum audissent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philistiim Saul, 12. surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius, de muro Bethsan: veneruntque Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi: 13. & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Philistiim autem pugnabant aduersum Israël, & fugerunt viri Israël, ante faciem Philistiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë.

Malu. Ceciderunt violati.

Sept. Rom. Vulnerati.

Arab. Cæsisque multis corrudentibus.

Vulg. Irrueruntque Philistiim in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionatham, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.

Pag. Percusseruntque Saul.

Caier. Asssecuti sunt.

Tigur. Sectati.

Malu. Agglutinare fecerunt.

Sept. Rom. Et congregiuntur.

Bibl. Antiqua. Ionathan, & Abidab.

Vulg. Totumque pondus prælij versum est in Saul, & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittariis.

Pag. Et aggrauatum est prælium, & inuenerunt eum sa-

gittatores viri in arcu, & timuit valde à iaculatoribus.

Ita Caier.

Malu. Doluit valde de iaculantibus.

Sept. Rom. Et vulneratus est in Hypochondria.

Reg. In Illicibus.

Theodot. In parte prope iecur.

Cald. Iaculatores viri, qui artifices iaciendi in arcu.

Vulg. Dixitque Saul ad armigerum suum. Euagina gladium tuum & percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi, & noluit armiger eius, fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium & irruit super eum.

Pag. Perfode me illo, &c. ne fortè perfodiant me, & illusiones fiant in me.

Malu. Ludicrè agent in me.

Sept. Rom. Qui portabat vasa eius.

Syr. Probroque afficiant me.

Aliqui. Racemationem faciant in me.

Alij. Facinus admittant in me.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ceciderunt interfecti. Alij, *Vulnerati, violati.* חלל *halal*, vtrumque significat. *Irruerunt in Saul.* Alij, *Persecuti apprehenderunt.* דבק *dabah*, persequi, insectari, adherere alicui per incursionem, impetum facere in aliquem significat. Hebr. est יחל *iechel*, quod potest deduci à חלל *halal*, & sic vulnerare denotat, vel à חיל *chil*, quod verbum inter alia timere significat. Porro ex punctis Hebr. non satis dignosci potest, ab vtro verbo, ea vox deriuetur. *Illudentes mihi.* Alij, *Ludicrè agent in me*, aliquo mortis genere indigno afficientes me, vel alia ludibria in me exercentes. *Vulneratus est vehementer.* *Sept. Rom. In hypocondria*, Id est, in parte prope iecur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**hilistiim. Hæc est vltima pars primi libri, in qua describitur ipsius Saul occubitus: & i. describitur ipsius Tom. IV.

occisio. 2. occisi vituperatio, ibi: *Facta autem die alt. 3.* ipsius honorabilis tumulatio, ibi: *Quod cum audissent.* L I iij

- Circa primum præmittitur filiorum occisio, cum dicitur. **A** zias videtur se interfecisse, 2. Mach. 14. Nec tamen inde vituperatur in Scriptura, sed magis laudari videtur. Hoc etiam modo Samson se interfecit, ut dicitur Iudic. 16. Isto etiam modo aliqua sanctæ mulieres & de quibus solemni-
MENOC. *Philistiim pugnabant aduersum Israel.* Pugnasse dicuntur Philistæi, quia ipsi vltro priores Israelitarum copias inuaserunt.
- LYRAN.** *Et percusserunt Ionathan. & Abinabab.* Sic est in Hebræo, & ideo aliqui libri malè habent Aminadab. Isboseth non nominabatur hic inter filios Saul, tum quia remanserat ad disponendam domum; tum quia non erat multum aptus ad prælium.
- MENOC.** *Et in filios eius.* Mirum videtur Saulem non egisse, ut filij prælio non interessent, quod aduersum futurum sciebat, Fortasse sentiebat diuinum decretum esse immutabile, nec posse eos eripi exitio, quare nec quo res essent loco admonuit, ne præmature mortis nuncio eis dolorem, & animi consternationem crearet. Pertinuit autem ad Saulem pœnam, ut filiorum ante se cadentium triste spectaculum cerneret.
- MENOC.** *Totum pondus prælij versum est in Saul.* Quod eo super-
Y. 3. stite non putabant Philistæi perfectam sibi victoriam contigisse.
- Vulneratus est à sagittariis. LXX. habent ἐτερουατιδῶν ἐστὶν τὰ ὑποχόνδρια, vulneratus est in hypocondriis.* Vocant hypocondria medici partes musculosas supra vmbilicum, quæ spuriis costis ad latera vtrinque subiiciuntur. Theodotio ait vulneratum in parte quæ est prope iecur.
- LYRAN.** *Dixitque Saul.* Ille fuit Doeg ut communiter dicitur, & satis rationabiliter, ut videtur: quia supra 22. dicitur, quod ipse adstitebat Sauli, & erat primus inter seruos eius.
- Et percute, &c. 1. Affligentes me morte ignominiosa in contemptum personæ meæ & populi mei, & per consequens redundet in contemptum Dei.*
- Aripuit, &c. Ex hoc dicunt doctores nostri concorditer ipsum esse damnatum, quia interfecit seipsum, quod nulli est licitum. Ad hoc etiam inducitur quod habetur. 1. Paral. 10. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas: eò quod præuaricatus sit mandatum Domini, quod præce. &c. Hebræi verò dicunt ipsum esse saluatum, quia audita Domini sententia sibi per Samuelem annuntiata de omnibus peccatis suis pœnituit, & licet primò fuisset desolatus: tamen diuinam sententiam de morte sua & filiorum suorum ac regni translatione patienter acceptauit, ut diuina voluntas impleretur. Quod videtur ex hoc, quod modico cibo sumpto pro sustentatione naturæ, per totam noctem ambulauit, ut veniret ad prælium secundum diuinum iudicium ibidem moriturus, nec Ionathan primogenitum suum, seu alios duos filios suos ibidem existentes suauiter de prælio recedere, volens diuinam sententiam non solum in se, sed etiam in filiis recipere in pœnam suorum peccatorum. Ad hoc etiam inducunt Hebræi, quod Samuel dixit ei: Tu & filij tui cras eritis mecum, Id est, in parte iustorum: tum quia Samuel in illa parte erat, tum quia Ionathas, qui erat sanctus & bonus, credendus est, quod in parte sanctorum sit receptus, & idem dicunt de Saule, quia eodem modo dicitur de vtroque: Tu & filij, &c. Ad hoc etiam videtur facere quod dictum est, supra 9. c. de Saule, quod erat electus & bonus, nec erat in filiis Israel vir melior illo. Et ideo licet postea multipliciter & grauiter peccauerit, videtur tamen diuinæ pietati congruum, ut propter præcedentem bonitatem Dominus dederit ei in fine pœnitentiæ locum ad euadendum pœnam æternam, non tamen ad recuperandum regiam dignitatem. Nec auctoritates superius in pluribus locis allegatæ de abiectio-
C ne Saule à Deo videntur aliud sonare, nisi de regia dignitate, quæ ad Dauid erat transferenda ex determinatione diuina. Ad illud autem quod obiicitur in contrarium, dicunt Hebræi & aliqui etiam Christiani, quod interficere seipsum intuitu propriæ personæ, ut quis per hoc mortem acerbiorum vel turpiorem euadat, semper est illicitum secundum quod dicit August. 1. de ciuit. Dei. c. 17. Sed interficere seipsum intuitu diuini honoris; ne scilicet vituperium exercentur in proprio corpore redundans in Dei vituperium, sicut timebat Saul, ne in ipso, qui erat principalis in populo, fierent ludibria in contemptum Dei Israel, ut dicunt isti, hoc non est illicitum. Et hoc modo Ra-
B zias videtur se interfecisse, 2. Mach. 14. Nec tamen inde vituperatur in Scriptura, sed magis laudari videtur. Hoc etiam modo Samson se interfecit, ut dicitur Iudic. 16. Isto etiam modo aliqua sanctæ mulieres & de quibus solemni-
E zat Ecclesia, se interfecerunt, ne infideles ipsis abuterentur, exercendo luxuriam contra diuinum honorem. Veruntamen August. 1. de ciuit. Dei, istas personas non excusat à culpa, nisi fecerint hoc instinctu diuino nobis occulto. Isto etiam modo posset excusari Saul, si aliæ viæ non sufficerent: nisi contrarium inueniatur expressè determinatum in sacra Scriptura, vel per auctoritatem Ecclesiæ, quod non recolo me vidisse. Ad illud autem quod obiicitur. 1. Paral. 10. *Mortuus est Saul propter iniquitates suas, &c.* Potest dici quod, propter iniquitates suas pœna mortis inflicta est sibi & filiis suis, sed quod propter hoc sit damnatus, auctoritas non sonat, sicut fur suspenditur propter furta sua: si tamen pœniteat in fine veraciter & mortem patienter sustineat, efficitur dignus vita æterna. Residuum autem huius auctoritatis inductæ exponitur. 1. Paral. 10. Quod autem ut sequitur, insuper & Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino, non valet: quia licet tunc non sperauerit quando ipsam consuluit, tamen de omnibus istis & aliis malis finaliter pœnituit: & tunc in Domino sperauit de salute æterna, licet non de temporali vita.*
- Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.* Prolis-
ESTIV. æ à nonnullis disputatur, sit ne ergo Saul damnatus confiscando sibi mortem? Fructus huius disquisitionis est, ut quisque sibi caueat à tali infania. Hebræi eum nihilominus saluatum dicunt, eo quod, audita Dei sententia de eius morte per Samuelem, supra cap. 28. eam patienter acceptauerit. Cui opinioni etiam assentiri videtur Liranus. Sed alij censent eum propterea magis debuisse declinare pugnam, sicut fecit Dauid, accepto simili oraculo de habitatoribus Ceilæ cap. 23. Itaque alij probabilius putant Saulem in peccatis suis fuisse mortuum, maximè quia Scriptura sic de eius morte loquitur. 1. Paralip. 10. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod præuaricatus sit mandatum Domini, & insuper Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino, propter quod interfecit eum, &c.* Vbi apud Septuaginta pro eo quod nos habemus (propter iniquitates suas) legitur (in iniquitatibus) Addunt nonnulli & hoc, quod legitur 2. Reg. 7. de Salomone; *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul.* Sed illud tantum loquitur de regno temporali mox ablato à stirpe Saulis, & relicto adhuc in stirpe Salomonis. Qui cum saluatum volunt, adferunt exemplum Razia, seipsum quoque interficientis 2. Machab. 14. cuius factum Scriptura non tam improbare, quam probare videtur. Ad quod alij respondent non esse simile, tum etiam adferunt quæ diximus de Sampson seipsum interficiente. Ita quæstio hæc in vtramque partem disputatur. Ex veteribus Chrysostomus, homilia de Dauid & Saule tom. 1. quæ incipit, Equidem arbitror, affirmat Saulem luere æterna supplicia.
- Ad armigerum suum.* Quem Hebræi teste D. Hier. mul-
MENOC. tique huius loci interpretes Doeg Idumæum fuisse existimant.
- Euagina gladium.* Quem ut in fuga vagina condiderat, vel certe quia res sagittis agebatur.
- Fuerat nimio terrore perterritus.* Ob Regis scilicet reuerentiam.
- Irruit super eum.* Ex quo vulnere mortuus est, nam narratio iuuenis Amalecitæ, quæ habetur lib. 2. cap. 1. num. 10. mendax censetur à plerisque sacre Scripturæ interpretibus.
- Arripuit Saul gladium, & irruit super eum.* Petes, An
TIRINVS ex hoc vulnere à se inflicto extinctus fuerit Saul? Iosephus & nonnulli Hebræi negant, voluntque aliena Amalecitæ manu interiisse, ut narratur l. 2. Reg. cap. 1. Sed respondeo probabilius esse Amalecitam illum splendide mentitum fuisse, ut eo artificio ac simulato studio maiorem à Dauide gratiam iniret. Saulem verò ex suo vulnere interiisse, ut loquuntur clara Scripturæ verba: quæ etiam insinuant, extinctum fuisse simulatque in gladium incu-

buit. Neque prius voluit armiger Saulis se quoque interficere, quam vidisset iam mortuum esse Saulem. 1. Paralip. 10. v. 5. Neque unquam permisisset armiger manu vilis Amalecitarum regem suum occidi. Ita Theodoretus, Abulensis, Angelomus, Lyranus, Dionysius, Tornellus, & Sanctius.

Petes Secundò, An Saul æternam quoque mortem subierit, & sit damnatus? Negant iam dicti Hebraei, & dubitat Lyranus. Sed omnes penè SS. Patres id disertè affirmant, vt SS. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Bernardus, & Doctores recentiores iam citati, & insuper Caietanus, Pineda, Salius, & alij penè omnes. Neque est vel leuissima coniectura, qua de tot, tamque horrendis sceleribus penitentiam egisse colligamus.

Dices, Propheta Samuel cap. 28. vers. 19. Dicit Saul, *Cras tu & filij tui mecum eritis.* Atqui Samuel erat in sinu Abrahæ: ergo. Respondeo, Samuelem illis verbis nihil aliud significasse, quam in genere excessurum Saulem è viuis, sicut ipse exierat, & in altera vita aggregandum numero reliquorum defunctorum. De loco vero particulari

cuusque nihil affirmat, sed hoc iudici definiendum relinquit, ita S. Augustinus supra, & alij. Sed quid alia dam-nati Saulis argumenta requirimus, cum Scriptura id satis insinuet? nam 1. Paralip. 10. vbi nos legimus. *Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eo quod prauaricatus sit, &c.* In Hebræo & apud LXX. habetur, *Mortuus est in iniquitatibus suis quibus prauaricatus est.* Et sanè pridianum istud scelus, quo Pythonissam, id est diabolum, consuluit, & vltimum facinus, quo violentas ipse sibi manus intulit, (quod timidi, mollis & abiecti animi est, vel Aristotele teste) non sunt signa penitentia, sed extremae malitia & obstinationis argumenta. Et putat Sanctius, istud consulta Pythonisse peccatum, quod genus quoddam est idololatriæ, mortem Sauli accelerasse; & hoc insinuat 1. Paralip. 16. vers. vlt. vbi dicitur, *Propter hoc interfecit eum Deus Sicut Ochozia quoque propter simile consulti Beelzebut peccatum prædicit Elias 4. Reg. 1. De lectulo non descendes, sed morte morieris,* descensurus utique, & diutius victurus, ni consuluisset, vt vers. 16. insinuat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 10.

Vulg. Quod cum vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.

Arias. Cecidit super, &c.

Sept. Incubuit.

Vulg. Mortuus est ergo Saül, & tres filij eius, & armiger eius, & vniuersi viri eius in die illa pariter.

Malu. Et leuans vasorum eius, etiam homines eius vni-tè.

Sept. In idipsum.

Vulg. Videntes autem viri Israël qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quod fugissent viri Israëlita, & quod mortuus esset Saül, & filij eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt, veneruntque Philistiim, & habitauerunt ibi:

Vulg. Facta autem die altera, venerunt Philistiim vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Gelboe.

Malu. Et fuit de crastino, & venerunt ad expoliare viola-

tos.

Sept. In montibus.

Vulg. Et præciderunt caput Saül, & spoliauerunt eum armis, & miserunt in terram Philistinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo Idolorum, & in populis.

Malu. Expoliauerunt vasa eius, &c. Ad Euangelizare in domo Idolorum suorum. Ita *Arias.*

Sept. Et conuertunt eum euangelizantes Idolis suis.

Compl. Et decapitant.

Cald. Domui errorum suorum.

Arab. Simulachrorum.

Vulg. Et posuerunt arma eius in templo Astharoth, corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan.

Pag. Corpus eius fixerunt.

Malu. Infixerunt.

Sept. Rom. Resposuerunt vasa eius in Astactio.

Reg. Altaroth.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In templo Idolorum. Alij, *Dolorum.* Hebr. est גבסבין *ghastabim*, quæ vox primum propriè significat dolores, mæ- rores, anxietates, fastidia, tristitias, angustias, turbationes, terrores, & secundario Idola, eo quod ipsa, & cultu- ipforum hominibus, & conscientijs, multum doloris, & laboris, ærumnarum & miseriarum, & omnem malorum iliadem inducant: *Et præciderunt caput eius.* Sept. Rom. *Et conuertunt eum.* Nobil. *Quasi resupinant.* Astharoth. Sept. Rom. *In Astactio.* Scholiast. *In templo Astartes,* & dicit hanc esse Venerem. *Corpus eius suspenderunt.* Malu. *Infixerunt,* firmantes illud ligno, vel clavis affigentes.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Q**uod. Iste prædicto modo ab Hebræis non excusatur; nec etiam à Latinis. Dicunt enim communiter quod fuit Doeg Idumeus: qui timens grauius affligi à Dauid si superuineret, idè ex tristitia & quasi desperans surripuit sibi vitam. Sicut & Cato propter Cæsaris victoriam: quod factum fuit ex pusillanimitate, prout declarat Aug. 1. de ciuit Dei. Cætera patent vsque ibi.

MENOC. *Vniuersi viri eius.* Clarius hoc dicitur. 1. Paral. 10. 6. vbi habemus: *& omnis domus illius pariter concidit,* hoc est, præcipui quique, nam superstes fuit Abner Saülis patrue- lis, Isbofeth etiam filius Saülis, & Miphibofeth filius Ionathæ.

TIRINVS *Mortuus est ergo Saul, & vniuersi viri eius.* Non quot- quot in exercitu erant milites (nam ex iis multi fugisse dicuntur:) sed quotquot erant domestici & familiares Saulis, vt viri aulici, milites prætoriani, & quibus circa regiam personam vel custodiendam, vel ornandam, aliquid erat muneris demandatum.

LYRAN. *Veneruntque.* Non mansuè; sed quod occupauerunt aliqua fortalitia, ponentes ibi milites, ne filij Israël rebel-

larent, sicut dictum fuit, supra 13. c. de statione Philistinorum, principes autem Philistiim & communitas populi reuersi fuerunt in terram suam.

Trans vallem. Iezrael, quæ à meridie montes habebat Gelboe, à Septentrione montes Hermon, & vtrisque subiecta erat.

Trans Iordanem. In Hebræo ad verbum est; *Et viderunt viri Israel, qui erant in transitu vallis, & qui in transitu Iordanis.* In nostro ergo textu *trans,* significat *in transitu.* Porro hi fuerunt Issacharita, quorum in sorte erat tota ea vallis, quæ porrigebatur vsque ad Iordanem. Itaque Issacharita, qui campestria vallis habitabant, vicini- ori loco prælij primi fugerunt, & huc, illucque dispersi sunt. Deinde qui erant prope Iordanem, & quasi in transitu eius, fugerunt & ipsi.

Viri Israel qui erant trans vallem. Nempe vel Iezrael, vbi pugna commissa fuerat: vel omnium nobilissimam Engaddi, de qua c. 24. *& trans Iordanem.* Hi erant tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse, numer. 32. *Qui videntes Israelitarum castra aut cæsa, aut fugata, neque se Phi-*

listreis resistendo esse, deseruerunt vires suas, & in tutiora loca commigrarunt.

LYRAN. *Facta.* Hic consequenter ponitur ipsius Saul occisi vituperatio, cum dicitur.

LYRAN. *Et praeide.* Ad eius vituperium & laudem Idolorum suorum, quibus illam victoriam attribuebant.

MENOC. *Vt annuntiaretur in templo idolorum, & in populis.* In templis vbi frequentia populi maior; & vt gratias eis referrent pro victoria.

TIRINVS. *Caput Saul miserunt in terram Philistinorum.* Ad exhilarandum populum. i. lib. Paralip. c. 10. dicitur, in templo Dagonis fuisse propositum, nempe vt triumpharet Dagon de subactio Israelitarum rege.

LYRAN. *Et posuerunt.* Ea consecrando Idolo pro victoria habita.

A *Corpus.* Ad inferendum maius vituperium, & ad suam victoriam ostendendam.

In muro Bethsan. Quam medio milliario prope Iordanem ponit Adrichomius in tribu Manasse cis Iordanem.

Et posuerunt arma in templo Astaroth. De more, pro spolio & aeterno victoriae monumento. De Astaroth vide quae dixi Iudicum 2. v. 13.

Corpus vero suspenderunt in muro Bethsan. Loco sublimi ac publico, vnde ab omnibus praetereuntibus spectari posset; nempe, vt solent latronum cadauera rotis imponi in triuiis, vt omnibus innotescat illorum turpitudine, foeditas & nequitia. Et erat sane insigne istud ludibrii regij cadaueris, neque tamen illius solius: nam & trium filiorum eius cadaueribus eandem inflictam ignominiam patet ex v. 12.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 11. 12. & 13.

Vulg. Quod cum audissent habitores Iabes Galaad, quaecumque fecerant Philistiim Saul.

Vulg. Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saül, & cadauera filiorum eius, de muro Bethsan, veneruntque Iabes Galaad, & combusserunt eos igni.

Pag. Omnis vir virtutis.

Malu. Strenuitatis.

Arab. Et accenderunt eis lampadem, quemadmodum solet accendi Regibus.

Vulg. Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

Pag. In arbore Iabes.

Malu. Sub arbore.

Syr. & Arab. Subter Amygdalum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V *Iri fortissimi.* Alij, *Omnis vir virtutis, &c.* Pluries diximus de voce חיל *chail.* In nemore. Alij, *Sub arbore.* i. Paral. 10. dicitur sub *quercu*, nam quod hic scribitur אשל *Eschel*, ibi ponitur אלה *Elah.* Syr. & Arab. volunt esse Amygdalum, sed nostrae lectioni standum est.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Q*uod. Hic consequenter describitur ipsius honorabilis tumultatio, cum dicitur: *Quod cum audisset, &c.* Isti autem praeter ceteris doluerunt de vituperio Sauli illato: eò quod liberauerat eos de manu Naas regis Ammon vt dictum fuit supra 15.

TIRINVS *Quod cum audissent habitores Iabes Galaad.* Erant hi quos ante biennium Saul initio regni sui liberarat à tyranno Naas Ammonita, qui non nisi effosis omnium oculis dextris pacem illis dare voluerat, cap. 11. Cuius beneficij cum grata esset recensque apud ipsos memoria, in vicem accepta à Saüle & libertatis & vitæ, voluerunt saltem cadauer sui benefactoris, cum aliud non possent, ab illa patibulari ignominia vindicare, & more regio comburere, sepelire, ceteraque iusta persolvere.

Nota. Hæc Saulis & filiorum eius ossa, ex nemore Iabes Galaad, vbi iam condita fuerant, transtulit postea Dauid

B in terram Benjamin, in sepulchrum paternum Cis patris Saul, 2. Reg. 21. v. 12.

Et ambulauit. Quia de die non poterant illa corpora auferre.

Et comb. Aromatica multa ibidem comburendo, sicut fiebat antiquitus in sepulturis solemnibus, sicut dicitur. 2. Paral. 16. in sepultura Asa regis Iuda: *Posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.*

Et ieiunauerunt. In signum tristitiæ pro morte Saul & filiorum eius.

Ieiunauerunt septem diebus. Non legis alicuius praescripto, aut consuetudine, sed sponte sua in mæroris & benevolentia erga Principem argumentum. Dauid etiam pro Saule diem vnum cum focis ieiunauit. 2. Reg. 1. 12.

FINIS LIBRI PRIMI REGVM.





LIBER

SECUNDVS

SAMVELIS.

QVEM NOS SECVNDVM


REGVM DICIMVS.

Primus liber descripsit gesta Samuelis, & Saül Regis. Hic secundus meliora Israëlitici populi, id est Dauidici imperij tempora complectitur. Quæ ad extremam Dauidis diem, ad extremam saltem senectutem, & morti proxima limina deducit.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

David occidi iubet Amalecitam, qui iactabat se sua manu occidisse Saulem. Luget deinde casum Regem, & carmine lugubri deflet communem cladem.

I.  Actum est autem, postquam mortuus est Saul, vt David reuerteretur à cade Amalec, & maneret in Siceleg duos dies. 2. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, & puluere conspersus caput: & vt venit ad David, cecidit super faciem suam, & adoravit. 3. Dixitque ad eum David: Vnde venis? Qui ait ad eum: De castris Israël fugi. 4. Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui sunt; sed & Saul & Ionathas filius eius interierunt. 5. Dixitque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Vnde scis quia mortuus est Saul & Ionathas filius eius? 6. Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboë, & Saul incumbabat super hastam suam: porrò currus & equites appropinquabant, 7. & conuersus post tergum suum, vidensque me vocavit. Cui cum respondissem: Adsum: 8. dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites ego sum. 9. Et locutus est mihi: Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustia, & adhuc tota anima mea in me est. 10. Stansque super eum, occidi illum: sciebam enim quòd viuere non poterat post ruinam: & tuli diadema quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum huc. 11. Apprehendens autem David vestimenta sua, scidit, omnesque viri qui erant cum eo, 12. & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam, super Saül, & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super domum Israël, eò quòd corruissent gladio. 13. Dixitque David ad iuuenem qui nuntiauerat ei: Vnde es tu? Qui respondit: Filius hominis aduenæ Amalecitæ ego sum. 14. Et ait ad eum David: Quare non timuisti mittere manum tuam vt occideres Christum Domini? 15. Vocansque Da-

uid vnum de pueris suis, ait: Accedens irruere in eum. Qui percussit illum, & mortuus est. 16. Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci Christum Domini. 17. Planxit autem Dauid planctum huiusmodi super Saul, & super Ionatham filium eius. 18. (& præcepit vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum.) Et ait: Considera Israël, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. 19. Inclyti, Israël, super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes? 20. Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne fortè latentur filia Philistiim, ne exultent filia incircuncisorum. 21. Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo. 22. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Ionathæ numquam rediit retrorsum: & gladius Saul non est reuersus inanis. 23. Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi: aquilis velociore, leonibus fortiores. 24. Filia Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. 25. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est? 26. Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego te diligebam. 27. Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 6.

Vulg. Factum est autem, postquam mortuus est Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies.

Sept. Rom. Et Dauid reuertit percutiens, & sedit, &c.

Vulg. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, & puluere conspersus caput, & vt venit ad Dauid, cecidit super faciem suam, & adorauit.

Arias. Venit à castrametatione, & humus super caput eius, & incuruauit se.

Malu. Procumbere se fecit.

Sept. Rom. Venit à castris de populo Israël.

Vulg. Dixitque ad eum Dauid: Vnde venis? Qui ait ad eum: De castris Israël fugi.

Malu. De defidentia Israël euasi saluus.

Sept. Vnde tu aduenis?

Vulg. Et dixit ad eum Dauid: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, & multi corruentes à populo mortui sunt: sed &

Saul & Ionathas filius eius interierunt.

Pag. Quid euenit, nuntia.

Calet. Quæ fuerit res.

Vulg. Dixitque Dauid ad adolescentem, qui nuntiabat ei:

Vnde scis quia mortuus est Saul, & Ionathas filius eius?

Malu. Dixit ad excussum, quomodo cognouisti?

Vulg. Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboë, & Saul incumbebat super hastam suam: porrò currus & equites appropinquabant ei:

Pag. Per accidens veniendo, per accidens veni, &c. In-nixus erat lanceæ.

Arias. Eueniendo eueni, &c. & Dominus equitum persequebatur eum.

Malu. Incurrere incurri, &c. & potentes equitum agglutinare fecerunt eum.

Sept. Rom. Et præfecti, &c. Attingebant eum.

Reg. Principes equitum coniuncti erant ei.

Cald. Exercitus equitum affecuti sunt eum.

Syr. Forte fortunâ incidente me in montes.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Veniens de castris. Sept. Venit de castris de populo Saulis. Ab aliis abest de populo Saul. Comp. populi qui cum Saul. Casu veni in montem. Alij, Forte fortuna, per accidens veniendo, per accidens veni. Sed paucis, & his claris verbis reddidit Hebr. sententiam Vulg. Et Equites. Alij, Principes, Præfecti, &c. Equitum, vnde synecdoche in Vulg. nempe ipsi præfecti equitum cum suis turmis.

ANNOTATIONES.

LVRAN. **F**actum. Postquam in primo lib. actum est de regno A per electionem, hinc consequenter agitur de regno per successionem, quia Isboseth successit Sauli, licet paruo tempore, & Salomon successit Dauid, & sic consequenter alij reges vsque ad captiuitatem Babylonicam: & quia regnum Isboseth procedebat debilitando, regnum autem Dauid fortificando: ideo primò describitur inchoatio regni vtriusque partialis, secundò exterminatio regni Isboseth totalis c. 4. Tertiò promotio regni Dauid integralis cap. 5. Circa primum præmittitur Saulis & filiorum eius lamentatio, secundò successoris duplex institutio cap. 2. Circa primum primò describitur denuntiatio mortis: secundò actus lamentationis, ibi: *Apprehendens autem Dauid.* Circa primum præmittitur tempus huius denuntiationis, cum dicitur.

MENOC. *Maneret in Siceleg duos dies.* Non enim vrbs adeo deflagrauerat, vt in ea commorari non liceret: fatius etiam duxit Dauid suo se oppido continere, quam ad alia Philistæorum loca migrare, ne eorum augeter suspiciones.

LYRAN. *In die.* Scilicet à reuersione Dauid in Siceleg interfectis Amalecitis qui eam incenderant, prout dictum fuit in lib. 1. 30. cap.

Veste conf. Ista fiebant apud Hebræos in signum tristitiæ & magnæ desolationis. Cætera parent vsque ibi.

Veste conscissa, &c. In signum doloris, de more illius æui.

Veni ad Dauid. Cui se gratū nuncium allaturū sperauit. *Cecidit super faciem suam, &c.* Regiam in Dauide dignitatem Saule mortuo agnoscens.

Saul, & Ionathas filius eius interierunt. Alios filios non nominat, vt minus celebres, vel potius quia minus ad Dauidem pertinebant, cuius futuro regno Saul, & Ionathas soli obstare videbantur.

Casu. Licet venisset à proposito ad prælium, tamen fugiens casualiter venit ad locum vbi Saul erat vulneratus, vel fortè in hoc dixit mendacium sicut & in aliis, vt patebit consequenter. Dicitur enim communiter, quòd erat filius Doeg: & ideo verisimile est, quòd esset iuxta patrem suum qui erat cum Saule, vt prædictum est in fine primi libri.

Et Saul. Grauitè vulneratus & non potens incedere. *In montem Gelboë.* In locum vbi Saul iacebat moribundus.

Incumbebat super hastam suam. In proprium pectus infixam. Libro superiore c. 31. num. 4. dicitur gladio incubuisse, sed gladius phrafi scripturæ omne telorum genus significat, vt passim cum minatur Dominus per prophetas populum peste, gladio, fame periturum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 12.

Vulg. Et conuersus post tergum suum, vidensque me, vocauit, cui cum respondissem; adsum.
Malu. Et respexit post se, &c. Ecce ego.
Sept. Rom. In posteriora sua.
Vulg. Dixit mihi, Quisnam es tu? & aio ad eum, Amalecites ego sum.
Vulg. Et locutus est mihi, sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiae, & adhuc tota anima mea in me est.
Arias Quia apprehendit me tremor,
Vatab. Trepidatio.
Tigur. Apprehendit me corona.
Malu. Obtinuit me circumclusio.
Aliqui. Quia detinuit me hæc ocellata chlamys.
Sept. Rom. Quoniam occupauerunt me tenebræ graues, quia omnis anima mea in me.
Reg. addunt, est.
Syr. Tenent me caligines. Tota vita mea in me est.
Arab. Insiſte & trucidata, nam occupauerunt me dolores.

Aliqui. Obtinuit me vertigo.
Alij. Ocellatio.
Vulg. Stansque super eum, occidi illum, sciebam enim quod viuere non poterat post ruinam, & tuli diadema quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum illuc.
Malu. Et mori feci eum, &c. Et venire feci ea ad sustentatorem meum huc.
Sept. Rom. Sumpsi regale, &c.
Aquila. Et brachiale.
Vulg. Apprehendens autem Dauid vestimenta sua, scidit; omnesque viri, qui erant cum eo.
Malu. Obtinuit Dauid in vestimentis suis, & dirupit ea.
Cald. Apprehendit fortiter vestimenta, &c.
Vulg. Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul & super Ionathan filium eius, & super populum Domini, & super domum Israël, eo quod corruissent gladio.
Malu. Et planctum celebrauerunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quoniam tenent me angustia. Alij, Dolores, trepidatio. Vocis *שבת* scabath non admodum nota significatio: Hinc varietas lectionum. Volunt quidam denotare trepidationem, palpationem, Alij volunt esse genus morbi, quo omnia circumagi & gyrare videntur: Vnde vertunt, *Tenuit me vertigo.* Alij volunt significare coronam, vel circumclusionem, vnde vertunt, *corona me cinxerunt,* scilicet hostes me vndequaue concluderunt: qui vertunt, *Tenet me ocellatio,* ita exponunt, hostes quamoculatissima diligentia, & attentione ad me comprehendendum intenti sunt: qui interpretantur: *Quia detinuit me ocellata chlamys,* eorum sensus est, chlamys, qua indutus sum, ocellatione sua scilicet validior & ideo impediens ne occideret me cito gladius aut hasta: sed noster planius vertit. *Angustia,* sicut *Cald.* & *Arab. Syr.* habet *caligines,* sicut & *Sept. Tenebrae graues,* Qui enim in extremis est, lumen ei deficit, & in tenebris sibi esse videtur.

ANNOTATIONES.

MENOC. **Q**uisnam es tu? Voluit Saul amica manu occumbere, A non Philisthæi: monuimus tamen superiore lib. c. 31. n. 4. Amalecitæ huius narrationem mendacem à plerisque censer, cum à se occisum Saulem affirmet.

LYRAN. *Sta super.* Hoc fugebat, sed non erat verum, quia hoc dixit Saul armigero suo tantum, qui etiam interfecit seipsum.

MENOC. *Sta super me, &c.* Non inuitus moritur manu Amalecitæ, in cuius gentem indulgentior fuerat.

Adhuc tota anima mea in me est. Ex vulgari hominum sensu hæc dicuntur, quasi per partes exeat anima, cum paulatim membra extrema emoriuntur. At illa indiuisibilis tota simul egreditur.

LYRAN. *Stansque su.* Similiter in hoc mentitus fuit, quia Saul semetipsum occidit. Dicit tamen Iosephus quod iste verum dixit, quia licet Saul irruisset super gladium suum, tamen ita debilitatus erat quod non poterat seipsum perforare, & ideo iste iuuenis ex eius præcepto impegit eum super gladium in tantum quod fuit mortuus, contrarium tamen tenetur.

Et tuli. Dicunt autem hic Hebræi, quod Doeg videns Saul mortuum tradidit ista insignia regalia filio suo, ut portaret ad Dauid: ac per hoc inueniret gratiam apud eum: & tunc seipsum interfecit ratione prædicta in fine primi libri.

ESTIVS. *Stansque super eum occidi illum.* Verba sunt eius, qui ad petitionem Saulis ipsum se occidisse nuntiabat Dauidi. Quidam existimant eum qui hæc refert mentitum fuisse, eo quod cap. vlt. lib. præced. Scriptura dicat: *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum. Quod cum vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.* Ad hoc alij respondent, quod armiger vidit Saulem mortuum, quia

prorsus instar mortui coniderat, eumque armiger mortuum existimabat. Sed parum refert, conſinxerit ista adolescens: an verè ita acciderint, vt narrat. Multi putant veram esse narrationem, quod nullo modo composita videatur oratio ad adulationem, fauoremque Dauidis captandum, ob interfectum eius inimicum. Sed possunt homines vafri sic dissimulanter agere; & tamen reuera aliud mente venari. Res in vtramque partem videretur posse disputari.

Viuere non poterat post ruinam. Qua scilicet irruerat super gladium suum. Ita loquitur Amalecites vt factum excuset, si fortè Dauid illud minus probet.

Diadema quod erat in capite eius. Abulensis, & Salius putant Saulem in ipso prælio diademate vsu non fuisse, ne illo insigni conspicuus, in se Philistæos conuerteret; sed Doeg armigerum Saulis huic Amalecitæ filio suo diadema, quod in sua habebat potestate, dedisse, vt illud deferens ad Dauid, in illius se gratiam insinueret. Ita illi. Cui tamen explicationi textus verba repugnare videntur, & insignibus regis vsu illud etiam suadet, quod capite 31. libro 1. num 3. dicitur: *Pondus prælij versum est in Saul,* quem scilicet diadema conspicuum, & oculis hostium notabilem faciebat.

Apprehendens. Hic consequenter ponitur actus lamentationis, & primò in generali, secundò modus planctus in speciali, ibi: *Planxit autem Dauid.* Circa primum præmittitur planctus, cum dicitur. *Apprehendens.* Et subditur punitio nuntiantis, cum dicitur.

Scidit vestimenta sua, &c. Ad significandum dolorem ob mortem Saul & Ionathæ, & cladem Israël.

Super populum Domini, & super domum Israel, videtur esse eiusdem rei vsitata Scripturis repetitio. Abulensis tamen populum Domini sacerdotes, & Leuitas Domino consecratos interpretatur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 13. ad 18.

Vulg. Dixitque Dauid ad iuuenem qui nuntiauerat ei, vnde es tu? Qui respondit, filius hominis aduenæ Amalecitæ ego sum.
Malu. Dixit ad excussum, &c. Filius viri tracti.
Vulg. Et ait ad eum Dauid. Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini?
 Tom. IV.

Malu. Ad funditus perdere vinctum Domini.
Arias. Ad corrupendum.
Pag. Ad perdendum.
Sept. Rom. Ad disperdendum.
Vulg. Vocansque Dauid vnum de pueris suis, ait, accedens irruet in eum, qui percussit illum, & mortuus est.
 M m

Cald. Accede, potestatem exerce in eum.
Vulg. Et ait ad eum Dauid: sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te dicens: Ego interfeci Christum Domini.
Pag. Os tuum testificatum est.
Arias. Respondit in te.
Vulg. Planxit autem Dauid planctum huiusmodi super Saül, & super Ionathan filium eius.
Pag. Lamentatus est lamentationem.
Vatab. Planxit in hunc modum.
Vulg. Et præcepit vt docerent filios Iuda arcum, sicut scri-

ptum est in libro Iustorum. & ait, Considera Israël pro his qui mortui sunt super excelsa tua, & vulnerati.
Pag. Iaculari arcu &c. In libro Isasar.
Vatab. teste, aliqui legunt, In libro Genesis.
Lyrano teste, aliqui, Vt docerent filios Iuda planctum.
Sept. Rom. Dixit ad docendum filios Iuda, Ecce scriptum est in libro Recti.
Cald. Super libro legis.
Syr. In libro Aschir.
Arab. Canticorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT docerent filios Iuda arcum. Alij, Planctum. Sept. Rom. nec arcus nec planctus meminere. Scio nomine arcus intelligere artem sagittandi, quasi dicat Dauid, Ne desperent filij Israël propter mortem Saülis & victum, interfectumque populum, sed sint bono animo, & discant arma tractare. Futura enim sunt nobis plura certamina cum aduersariis: sed vt facilius in Concordiam reuocemus varietatem lectionum, dicendum cum plurimis, per arcum, intelligendum ipsum planctum, siue threnum, & carmen funebre Dauidis: huius enim titulus erat arcus, eò quod in eo laudaretur arcus & fortitudo bellica Saülis, & Ionathæ. Sic Psalmi suos habent titulos, à quibus denominantur, sic hymnos in Ecclesia solitos cani, vulgo vocamus, Te Deum laudamus, Benedictus, Magnificat, ab eorum initio & titulo, siue argumento. Sept. licet non meminerint arcus aut planctus, tamen cum indicent in sua translatione, hoc Epicedium funebre datum esse Israëlitis à Dauide, cum Epicedium arcus etiam vocetur; idem omnino dicunt quod Hebr. textus & Vulg. doceri enim arcum & Canticum hoc funebre idem est. Fauet huic sensui, quod Ierem. c. 9. monet parentes, vt filias suas lamentari doceant, quia non illis deerit plangendi materia. Docete, inquit, filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suam planctum. Lamentum hoc loco videtur esse aliquod funebre Canticum, hoc nempe Dauidicum, aut aliud simile. Sicut scriptum est in libro Iustorum. Alij, Super librum Recti, &c. Vide Concord. vers. 13 cap. 10. Iosue. Et ait: Considera Israel pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Hæc non habentur in Hebr. Vide sequentem Concord.

ANNOTATIONES.

LVRAN.
 §. 13.

Dixitque Dauid. Quia dixerat se interfecisse Saulem. Vnde es tu? Iam enim dixerat quod erat Amalecites, sed Dauid de morte Ionathan & populi Israël turbatus non aduerterat.

Filius hominis. Id est, conuersi ad Iudaismum.

Amalecita. Hoc videtur falsum: quia supradiçtum est, quod Doeg pater eius erat Idumæus. 1. lib. 21. cap. & 22. Dicendum quod Amalec à quo dicti sunt Amalecitarum, fuit filius Eliphan primogeniti Esaü, prout declaratum fuit supra diffusè Exod. 17. ab Esaü verò denominati sunt Idumæi & sic omnis Amalecita est Idumæus sed non è conuerso.

MENOC.
 LYRAN.
 §. 15.

Aduena. Id est, profelyti ad fidem conuersi. *Vocansque.* Et sic iusto Dei iudicio, de mendacio de quo sperabat impetrare gratiam, reportauit mortem.

MENOC.
 §. 16.

Sanguis tuus. Id est, peccatum tuum effusi sanguinis. *Caput tuum.* Scilicet reuertitur, quasi dicat, dabis pœnas pro eo.

Os tuum locutum est aduersum te. Ea locutum est, propter quæ interficiendus es.

Dicens, ego interfeci Christum Domini. A quo priuatus abstinere debuisti, vt enim Abisai dixerat olim Dauid. 1. Reg. 26. 9. quis extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? Hoc est, immunis à pœna.

TIRINVS

Sanguis tuus super caput tuum. Id est, sanguine tuo effuso super te, pœnas dabis effusi sanguinis è regio corpore, quod impia & sacrilega manu violasti.

Notant Abulensis & Caietanus, Dauidem mortuo iam Saüle, ex Dei dispositione habuisse auctoritatem potestatemque regiam, qua iuste occidit hunc iuuenem, qui iactabat. & quidem falso, (vt dixi cap. vlt. libri præced.) se occidisse Saulem.

LYRAN.
 §. 17.

Planxit. Hic consequenter describitur forma planctus in speciali, cum dicitur.

Planctum. Qui postea subditur: sed quoddam præceptum Dauid interponitur de sagittandi arte, secundò explicatur carmen eius lugubre, ibi: *Et ait, Considera.* Circa primum ergo ponitur Dauid præceptum, cum dicitur.

LYRAN.
 §. 18.

Et præ. Sic est in Hebræo & in libris correctis, & per arcum hic intelligitur ars sagittandi, ne filij Iuda de cætero debellarentur à Philistæis per artem sagittandi, sicut Saül & eius exercitus fuerant debellati.

A Sicut scriptum est. Aliqui dicunt quod hic est liber Regum, in quo agitur de Samuële & Dauid & aliis pluribus iustis. Sed hoc non est verisimile, quod idem liber alleger seipsum, & ideo dicunt aliqui alij, quod iste liber est vnus specialis liber qui non habetur: quia Eldras reparans bibliothecam à Chaldæis incensam, non reparauit omnes libros, sicut patet de libris Salomonis quos fecit de naturis animalium & herbarum, vt habetur infra 3. lib. & de libris Nathan prophætæ & Aizæ Silonitis, qui allegantur 2. Paralip. 9. Nec tamen habentur, quia non fuerunt reparati, & idem dicunt de isto qui vocatur liber iustorum. Ra. Sa. dicit, quod hic liber est Genes. in quo agitur de iustis, scilicet, Abraham, Isaac, & Iacob, & Gen. 48. scribitur in benedictione Iudæ. *Manus tua in cernicibus inimicorum tuorum.* Quod fuit impletum potissimè tempore Dauid qui inimicos Israël potenter in circumitu debellauit, Ad quam debellationem multum fecit ars sagittandi, in qua filios Iuda instrui præcepit.

Et ait, Considera. Præmissò præcepto Dauid de sagittandi arte, hic consequenter explicatur carmen eius lugubre, & primò generaliter; secundò specialiter, ibi: *A sanguine intersectorum.* Tertio singulariter, ibi: *Ionathas.*

B Circa primum lamentatur populum Israël, dicens.

Considera Israël. Id est, attentè recogita.

Pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. De populo tuo.

Super excelsa tua. Quod est turpius, videlicet quod sunt deuicti in terra propria, & in loco montoso, & malè accessibili, propter quod potest facilius ab aduersariis defendi.

Et præcepit vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum. Filij Israël præcipue superati fuerant à Philistæis, arte sagittandi. Ita enim legimus vltimo capite libri præcedentis: *Et consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittariis, &c.* Vult igitur Dauid filios Israël eandem bellandi artem discere, ne in posterum hoc modo ab hostibus superentur. Per arcum ergo intelligit sagittandi artem, quæ eo tempore præcipua erat ars bellandi, & vnica ratio pugnandi eminens. Porro quod additur (*sicut scriptum est in libro iustorum*) quidam librum Genesis intelligunt, & referunt ad benedictionem Iacob super filio suo Iuda, quæ ita habet Genes. 49. *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in cernicibus inimicorum*

EST

tuorum, adorabunt te filij patris tui, &c. Sed ibi non fit mentio arcus vel artis sagittandi. Verisimile omnino est esse librum quendam, qui intercedit per deustationem hostium, sicut intercederunt multi alij; vt liber bellorum Domini, cuius fit mentio in libro Numerorum. Item libri Nathan & Ahia: & libri Salomonis de naturis rerum, &c.

MENO C.

Vt docerent filios Iuda arcum. Mariana putat Arcum esse titulum sequentis cantilenæ. Alij plerique omnes existimant sensum esse, voluisse Dauid filios Iuda in re bellica institui, & potissimum in arte sagittandi, cuius eo tempore magnus vsus in bello. Caldæus habet. *Iacere arcu.*

In libro Iustorum. Quis esset liber Iustorum, explicauimus Iosue 10. c. 13.

Pro his qui mortui sunt. Quales fuerint Saul & Ionathas, qui extincti sunt.

Super excelsa tua. In collibus excelsis; in monte Gelboë.

TIRINVS

Et praecepit Dauid, vt filios Iuda (in qua tribu ipse auctoritate valebat) *docerent arcum,* Id est, artem sagittariam, qua Philistæis eius artis scientissimis opponi possent. De qua arte, & quomodo tirones in ea exercendi, vide Vegetiū. Sed hic per arcum synecdochicè omne armorū genus intelligendum videtur: nam volebat Dauid indicare, grauissima à Philistæis bella imminere Hebræis, atque ideo debere vndique comparati instrumenta bellica omne genus armorū, & omnes bello idoneos in armis exerceri. Et

A hæc est communis Interpretum expositio. Videtur tamen hic per arcum designari titulus epicedij seu carminis lugubris, quod mox sequitur, quia sapius mentio fit arcus in illo cantico ferali. Sicut Psal. 44. à Liliis Psal. 21. à cerua matutina, & alij ab aliis præfixis titulis nomen acceperunt, ita Mariana, & Sanctius. Et fauet huic expositioni quòd LXX. nulla facta mentione arcus, tantum dicant, Dauidem lamentatum lamentationē, *ad docendos filios Iuda.* Et simili occasione Ieremias, cum instarent alia infortunata tempora, monet parentes vt *filias suas doceant lamentum & plandum,* seu carmen lugubre & lamentabile.

Sicut scriptum est in libro iustorum. Hebraicè, *in libro iustitiae;* LXX. *in libro re et i.* Id est, in libro qui de iustitia seu re iustitiae tractat, seu in quo leges & ritus ac ceremoniæ sacræ continentur. In quo rituali libro seu Directorio inter cetera habebatur quoque hoc Dauidis epicedium; quod Iosephus testatur suo adhuc tempore in vsu fuisse. Continebatur & illud epinicion Iosue 10. de sole per illum stare iusso, & alia. Sed iam liber ille (vt plures alij,) temporum iniuria periit.

Initium carminis est, *Considera Israel pro his, &c.* Id est, accuratè & diligenter expende, quales illi & quanti sint viri quorum sanguine montes Gelboë tincti sunt, nempe, non sunt terræ filij, aut è media turba, sed rex & regia soboles, & præstantissimi quique duces Israël.

VARIETAS LECTIONVM *Vers.* 19.

Vulg. Inclyti Israël super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes?

Pag. Et ò terra Israel, in excelsis tuis vulneratus est, &c. potentes.

Arias. O decor Israël.

Caier. O placiditas.

Vatab. O gloria, vel desiderium.

Tigur. Decus Israël, quomodo corruerunt Heroes?

Malu. O nobilitas, &c. Super excelsa tua violati.

Sept. Rom. Sta Israël super mortuos, in excelsis tuis vulnerati.

Cald. Steterunt super Israël super domum fortitudinum vestrarum, eleuati sunt occisores.

Syr. Cerne Israel, super colles tuos occisus, &c.

Arab. Corruerunt gigantes.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Inclyti Israel super montes tuos interfecti. Aliqui volunt, vt Cornelius, hunc versum esse eundem in re, & sensu cum priore: Vnde pro his duobus versibus vnus duntaxat est in Hebr. & in aliis duplex: hic versus ortus est ex duplici versione textus Hebr. Prior ex versione Aquilæ, quam sequitur Procop. ideoque eum nonnulli codices Vulg. Editionis vt Reg. omittunt. Posterior ex versione S. Hieron. sed ex Hebr. ita diuersimodè redditur. *O decor Israel! placiditas, nobilitas, &c.* Alloquitur terram Israël. Quasi dicat, inclyta terra Israel in tuo monte Gelboë vulneratus accubuit Saul cum Ionatha, qui erat decus, desiderium, gloria tua, & nobilitas, &c. hæc enim omnia significat צְבִי תְּשִׁבִי, Sept. habent, *Sta Israel super mortuos, &c.* Pro Sta Græcè est ἐπιλασον, quasi dicat. Insiste, & incumbere fixè in hanc considerationem. Aquila ἀκριβασον id est, *diligenter expende.* Super montes tuos interfecti. Alij, *In excelsis tuis vulneratus.* Subaudi Saul, vel singulare pro plurali, vulnerati, confossi.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **I**nclyti Israel. In est, nobiles genere, armorum peritia, & corporum virtute. Ex quo concludit admiratiuè.

Quomodo ceciderunt. Quasi dicat, non videtur humana victoria, sed vltio diuina, scilicet propter peccata Saul & complicitum eius, & ideo summe cauendum est à talibus.

MENO C. *Quomodo ceciderunt fortes?* Quasi miretur tantam virtutem bellicam tam breui tempore, tanquam horribili

C strage confici potuisse.

Quomodo ceciderunt fortes? Intercalaris est versiculus, & in threnis vsitatissimus, quem & repetit vers. 25. & 27. Et ferè solent Hebræi sic suos planctus exordiri, Ieremias, *Quomodo sedet sola ciuitas, &c.* *Quomodo obtexit caligine?* &c. *Quomodo obscuratum est aurum?* Et Isaia 14. *Quomodo cecidisti lucifer?*

TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM *Vers.* 20. 21. & 22.

Vulg. Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne fortè lærentur filia Philistinum, ne exultent filia incircumcisorum.

Main. Non euangelizabitis in plateis Eskelon.

Sept. Rom. In exitibus Ascalonis.

Reg. In viis.

Vulg. Montes Gelboë, nec ros nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum, quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vinctus oleo.

Pag. Neque sint agri oblationum.

Arias. Eleuationum.

Tom. IV.

Tigur. Quoniam clypeus Heroum ignominiosè abiectus est.

Malu. Quia ibi abominabile fuit circummunimentum præualidorum, circummunimentum Saulis.

Sept. Quia ibi proiectus.

Cald. Et pluuia non sit in vobis quæ veniat, ita vt faciant ex ea Chaletha, quia ibi fracta sunt scuta fortium.

Syr. Neque super agros semotos.

Arab. Neque agri Deo dicati, quoniam ibi fracta est lancea gigantum.

Vulg. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul

M m ij

non est reuersus inanis.
Pag. Sagitta arcus Ionathæ.
Arias. Non torfit se retrorsum.
Malu. De sanguine violatorum, de adipe præualidorum, arcus Ichonathan non retractus post, & gladius Saulis

non reuertetur vacuitate.
Sept. Rom. Arcus, &c. Non est reuersus in posteriora.
Arab. Et impleta est terra vestra sanguine cæforum, & adipibus pinguedinum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

N *Equæ sint agri primitiarum, Alij, Eleuationum.* Id est, ne sint in vobis agri fertiles, vnde fiat posthac oblatio, siue eleuatio primitiarum Domino. *Cald.* vertit *Challetha*, sed perperam Latinus eius Interpretes in *Bibl. Reg. & Paris.* posuit *Galcha*, id est placenta, vel collyrida, quæ offerebatur, quasi fructuum primitiæ. *Quoniam ibi abiectus est clypeus.* Alij, *Ignominiosè proiectus*, Verbo *לחא ghaal*, quod hic ponitur in *Niphal*, hæc significata subiiciuntur, abiectus, &c. *Nunquam rediit retrorsum.* Alij, *Non torfit se, non est reuersus in posteriora*, id est, sine sanguine effuso sagitta Ionathæ nunquam rediit, neque Saulis gladius.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **N** *olite annun. &c. In con.* Id est, in quadriuis seu locis vbi plures viæ conueniunt, & ibi solent homines conuenire ad audiendum rumores, sicut patet ex præcedentibus. Istud factum iam erat diuulgatum per totam terram Philistinorum. Quomodo ergo dixit Dauid: *Nolite annuntiare, &c.* Quia quod factum est non potest non fieri. Dicendum quod loquitur ad modum dolentis, qui aliquandò immiscet aliqua irrationabilia, & aliquando pronuntiat aliqua absolutè, quæ tamen sunt sub conditione intelligenda. Est igitur sensus: *Nolite annuntiare, &c.* Id est, si istud posset fieri quod non annuntiaretur ibi, illud vellem ex toto desiderio animi.

Ne fortè latentur filie. Mulieres hic exprimit potius quam viros, quia illæ sunt quæ præcipuè solent canere in choris cantilenas de victoriis suorum: sicut supra i. lib. 18. cap. dictum fuit de mulieribus præcinentibus obuam Sauli, & Dauid de victoria redeuntibus.

MENOC. *Nolite annuntiare in Geth.* Ne scilicet nostris malis lætentur, nosque irrideant. Tale votum eiusdem Dauid *Psal. 24. Neque irrideant me inimici mei.*

Ne forte latentur filie Philistinum. Harum potissimum meminit, quia puellæ cantu, & choro victorias celebrare consueuerant. Sic Dauidi prostrato Goliath cantauerunt, *Percussit Saul mille, &c.*

LYRAN. *Montes Gel. &c.* Licet terra sit res inanimata, bene tamen maledicatur propter factum quod contigit in ea.

Quia ibi, &c. Quia plures videntes se debellatos proiecerunt ibi clypeos proprios, vt expeditius possent fugere, vel dicuntur clypei abiecti, quia non potuerunt bellatores à sagittis Philistinorum se defendere. Et in isto sensu accipitur quod subditur.

Clypeus Saul quasi non esset vnct. Scilicet consecrationis regiæ à Samuele, prout habetur supra i. lib. 10. cap. ac si dicat, ita prostratus est ibi Saul, quasi esset vnus de humilibi plebe.

ESTIVS. *Quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul quasi non esset vnctus oleo.* Isidorus Clarius refert illud (*vnctus oleo*) ad clypeum, dicens olim moris fuisse, vt prælium ingressuri clypeum oleo perungerent, quo sic facilius velut à lubrico tela repellerentur. Sed longe conuenientius de ipso Saule intelligitur, quem deplorat Dauid sic interiisse, quasi esset vnus de promiscua & ignobili plebe, cum tamen

A fuerit vnctus Domini, id est, rex, & solemniter à Samuele oleo in regem vnctus. Et ideo scilicet, cum pluraliter dixisset (*fortium*) singulariter & speciatim de Saul subiunxit: (*quasi non esset vnctus oleo*) vt dignitas vnctionis intelligeretur.

Montes Gelboè, &c. Grauitas doloris etiam rebus inanimatis maledicere consuevit. Sic *Iob c. 3. dicebat: Pereat dies in qua natus sum.*

Clypeus fortium. Arma Saulis & Ionathæ, vel potius ipsimet Principes, qui Reip. pro clypeo erant.

Quasi non esset vnctus oleo. Clypei, & reliqua arma ferrea ne rubiginem contrahant, oleo solent inungi. Saul etiam Reip. clypeus vnctus erat & Christus Domini, vt non semel illum appellat Dauid. Dolet ergo Sanctus vates clypeum hunc vnctione prophetica consignatum, abiectum iacuisse prostratum telis hostium.

Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos. Consequenter, nec vllus ex vobis fructus ad hominum vsus proueniat: atque ita nec vllæ primitiæ seu frugum, seu pecorum è vobis æternum sterilibus ad templum Domini deuehantur. Non maledicit seriò montibus, vt pote innocuis & irrationabilibus, sed more militari & Hebræis vsitato ita ludit in re funebri, quasi dicat, *Æquum esset vt in memoriam tantæ cladis priuaremini omni rore & pluuia, ita Abulensis & Caietanus.*

A sanguis. Hic lamentatur Dauid in speciali Saul & Ionathan, primò rememorans eorum probitatem dicens, *A sanguis, &c. rediit.* Id est, sagitta Ionathæ & ensis Saulis non percusserunt manum, sed perforabant arma fortium vsque ad adipem, & sanguinem intrinsecus.

A sanguine interfectorum, &c. Quasi dicat, sagitta Ionathæ validis lacertis vibrata scuta perfodiebat, thoraces per rumpebat, adipem, sanguinem, intima viscera scrutabatur.

Non est reuersus inanis. Non fuit irrita, & cassa petitio, sed vulnus, aut mortem afferens.

A sanguine, ab adipe fortium. Quem Saul & Ionathas suo gladio & sagitta in bello haustum ibant, *gladius & sagitta nunquam rediere retrorsum*, Id est, irrito conatu, aut successu frustraneo. Hoc strenui & periti militis est, nullum torquere telum, quod non aut sanguinem aduersarij effundat, aut animam lethali vulnere hauriat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 23. ad 25.

V *Vlg.* Saül & Ionathas amabiles & decori in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi, Aquilis velociores, Leonibus fortiores.

Arias. Venusti in vitis suis.

Caiet. Dulces.

Vatab. Chari & suaues.

Malu. Iucundi, &c. Leonibus præualuerunt.

Sept. Rom. Dilecti, & speciosi, non separati, decori invita sua.

Arab. Amici fuerunt ac benigni.

Vulg. Filix Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delitiis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.

Pag. Qui ascendere faciebat ornamentum aureum super vestem vestram.

Vatab. Qui vestiebat cum voluptatibus.

Malu. Lachrymamini vestire facientem vestrum secundo, &c.

Sept. Rom. Coccino cum ornatu vestro, qui afferebat ornatum aureum super indumentum vestrum.

Reg. Qui referebat.

Cald. Vestiebat vos vestibus colorum, & afferebat vobis delicias, & ascendere faciebat compositiones auri.

Syr Qui vestiebat vos purpuris, vltra cæteras tincturas, & picturas aureas inducebat, &c.

Arab. Coccino super sericum vestiebat.

Vulg. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est.

Malu. Quomodo, &c. Præualidi in medio cæffionis, &c. super excelsa tua violatus.

Sep. Rom. Ionatham in excelsis tuis occisi.
Reg. Occisus.
Cald. Super domum fortitudinis occisus.

Arab. Quomodo gigantes corruerunt. Ionathan super colles tuos cæsi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

A *Mabiles & decori*, Aliqui habent, *Chari*, & *suaves propter*. *He*, utrobique præfixum, inter alia vocandi vim habet. Sep. habent, *Dilecti*, & *speciosi*, non separati, *decori in vita sua*, sed vox *decori*, abest à Compl. Reg. & à S. Chrysoft. in Maxim. & Inuent. ac videtur alia interpretatio pro illo quod proximè dictum est, *speciosi*, *ωραίοι εὐπρεπέων*. *Qui vestiebat vos coccino in deliciis*, Alij, *Cum voluptatibus*. Id est aliis vestibus delicatis vos induebat: vnde Cald. *Vestiebat vos purpureis ultra ceteras tincturas, & picturas aureas induebat, &c.* Malu. legit, *secundariò*, sed in margine ponit, id est, *Dibapho coccino. Occisus est*, Alij, *Occisi*. Vel propter eminentiam tanti viri, de eo est sermo in plurali, vel subintelligendum est, fratres eius.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **S** *Aiul & Ionathas*. Id est, digni amore, quod patet de Ionatha in pluribus locis supra, & de Saül, pro tempore, quo fuit electus à Domino, quod in Israël non erat vir melior eo, ut habetur supra lib. 1. c. 9.

Et decori. Quod patet de Saüle, qui ab humero, & supra eminebat super totum populum, ut habetur supra 1. lib. 10. cap. & de Ionatha eius primogenito, verisimile est, quod fuerit proceræ staturæ, & formæ decoræ.

In morte. Quasi dicat, Lamentabile est, quod tales duo sint simul interfecti.

Aquilis velociores. Ad persequendum hostes.

Leonibus fortiores. Aduersariis resistendo. Sciendum tamen quod hic est hyperbole, ad exprimendum eorum notabilem agilitatem, & fortitudinem: sicut de aliqua re notabiliter alba, dicitur, quod est albius niue.

MENOC. *Amabiles & decori*. Putat Sanchez hæc verba solemnia fuisse, & legitima, passim in funeribus à præfatis vsurpari solita, ut illud, *Va frater, & va soror, va inclyte, & va Domine*, Ierem. 22. & 36.

Aquilis velociores, &c. Hyperbole.

Filie Israël. Id est, in vestibus coloratis, & pretiosis, LYRAN. de præda hostium sublati.

Qui prebebat, &c. De hostium præda.

Cultui. Id est, ornatui. Illud enim vocatur cultus alius, circa quod est multum intentus: mulieres autem sunt multum intentæ circa ornatum suum, & ideo ornatum eiusmodi hic vocat earum cultum.

Vestiebat vos coccino in deliciis. Cum scilicet ex vicinis regionibus, quas populatus fuerat, purpuram, aliasque mulierum delicias reportabat, quæ filiabus Israël cederent.

Quomodo. Verba ista, vel sententia pluries repetuntur LYRAN. in isto lugubri carmine, sicut & in cantico lætitiæ, illud *Ps. 25.* quod est primum, vel principale, ibi pluries repetitur.

Ionathas. Hic ponitur lamentatio singularis super Ionatha, eò quod Dauid eum singulariter diligebat. Ideo subditur.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 26. & 27.

V *Ulg.* Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.

Pag. Angustiis afficior super te, dulcuisti mihi valdè.

Lyran. Mirabilior fuit amor tuus mihi, quàm amor, &c.

Malu. Coangustatio mihi; iucundus mihi fuisti, arduus fuit amor tuus mihi de amore mulierum.

Sep. Speciosus fuisti mihi, mirificata est dilectio tua mihi, &c.

Cald. Præ dilectione duarum mulierum.

Theodor. Incidit amor tuus in me, sicut dilectio mulierum.

Vulg. Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

Arias. Perierunt vasa belli.

Malu. Præualidi, & ablata fuerunt vasa cæssionis.

Sep. Potentes.

Syr. Heroes.

Arab. Gygantes.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

D *Ecore nimis*, Alij, *Dulcuisti mihi*: Decor enim iucundus, & suavis est. *Mirabilis super*, &c. Alij, *Mirabilior*: Vnde in voce *יִמְרָאָה* *imphleatah*, redundat littera *n* ad augendam significationem, scilicet excellentissimi amoris, quem vocat arduum Malu. quia vix talis inter amicos reperitur. *Sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam*. Hæc verba in nulla alia lectione reperiuntur, nec in Reg. at in antiquis habentur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A** *Mabilis*. Quod potest intelligi dupliciter, vno modo passiuè; Id est, plusquam amantur mulieres, & tamen ille amor est multum feruidus, secundum quod dicitur 3. Esd. cap. 4. *Multi dementes facti sunt propter uxores suas*. Id est, propter feruentem amorem ipsarum. Alio modo, actiuè, id est, plusquam mulieres diligunt, quæ tamen aliquando valdè feruenter amant. Et huic consonat quod dicitur, sicut mater.

MENOC. *Frater mi Ionatha*. Hoc etiam referri potest ad vsitatam

illam formulam, *va frater, &c.* de qua num. 23.

Super amorem mulierum. Vel quo mulieres filios amant, aut maritos; vel quo ipsæ vicissim diliguntur.

Perierunt arma bellica? Vel Saülem ipsum, & Ionatham intelligit, quos clypeos appellauit, vel etiam dolet arma Israëlitarum bellica in Philistæorum spolia detrahentium potestatem venisse, quod ad victorum dedecus pertinet.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS.

DEi monitu Dauid migrat in Hebron, ubi à tribu Iuda ungitur in regem: laudatque ciues Iabes Galaad, quod sepelissent Saülem. Cuius filium Isboseth in regem super reliquas tribus euehit Abner: unde bellum continuum inter domum Dauid, & domum Isboseth.

1.



Gitur post hæc consuluit Dauid Dominum, dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque Dauid: Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron. 2. Ascendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli: 3. sed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid singulos cum domo sua: & manserunt in oppidis Hebron. 4. Veneruntque viri Iuda, & vnixerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda. Et nuntiatum est Dauid, quòd viri Iabes Galaad sepelissent Saül. 5. Misit ergo Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saül: & sepelistis eum. 6. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. 7. Confortentur manus vestræ, & estote filij fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saül, tamen me vnxit domus Iuda in regem sibi. 8. Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saül, tulit Isboseth filium Saül, & circumduxit eum per castra. 9. Regemque constituit super Galaad, & super Gessuri, & super Iezrael, & super Ephraim, & super Benjamin, & super Israël vniuersum. 10. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saül, cum regnare cœpisset super Israël, & duobus annis regnavit: sola autem domus Iuda sequebatur Dauid. 11. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est Dauid, imperans in Hebron super domum Iuda, septem annorum, & sex mensium. 12. Egressusque est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filij Saül, de castris in Gabaon. 13. Porro Ioab filius Saruix, & pueri Dauid egressi sunt, & occurrerunt eis iuxta piscinam Gabaon. Et cum in vnum conuenissent, è regione federunt: hi ex vna parte piscinæ, & illi ex altera. 14. Dixitque Abner ad Ioab: Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Ioab: Surgant. 15. Surrexerunt ergo, & transferunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboseth filij Saül, & duodecim de pueris Dauid. 16. Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius: Ager robustorum, in Gabaon. 17. Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatusque est Abner, & viri Israël, à pueris Dauid. 18. Erant autem ibi tres filij Saruix, Ioab, & Abifai, & Afael: porro Afael cursor velocissimus fuit, quasi vnus de capreis quæ morantur in siluis. 19. Persequebatur autem Afael Abner: & non declinavit ad dexteram, neque ad sinistram omittens persequi Abner. 20. Respexit itaque Abner post tergum suum: & ait: Tune es Afael? Qui respondit: Ego sum. 21. Dixitque ei Abner: Vade ad dexteram, siue ad sinistram, & apprehende vnum de adolescentibus, & tolle tibi spolia eius. Noluit autem Afael omittere quin vrgeret eum. 22. Rursumque loquutus est Abner ad Afael: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non poterò faciem meam ad Ioab fratrem tuum. 23. Qui audire contempsit, & noluit declinare: percussit ergo eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco: omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Afael, & mortuus erat, subsistebant. 24. Persequentibus autem Ioab, & Abifai fugientem Abner, sol occubuit: & venerunt vsque ad Collem aquæ ductus, qui est ex aduerso vallis itineris deserti in Gabaon. 25. Congregatique sunt filij Benjamin ad Abner: & conglobati in vnum cuneum, steterunt in summitate tumuli vnus. 26. Exclamauit Abner ad Ioab, & ait: Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet? An ignoras quod periculosa sit desperatio? Vsquequo non dicis populo vt omittat persequi fratres suos? 27. Et ait Ioab: Viuit Dominus, si loquutus fuisses, manè recessisset populus persequens fratrem suum. 28. Insonuit ergo Ioab buccina, & stetit omnis exercitus, nec persequuti sunt vltra Israël, neque iniere certamen. 29. Abner autem, & viri eius abierunt per campestria, tota nocte illa: & transferunt Iordanem, & lustrata omni Beth-heron venerunt ad castra. 30. Porro Ioab reuersus, omisso Abner, congregauit omnem populum: & defuerunt de pueris Dauid decem, & nouem viri, excepto Afaele. 31. Serui autem Dauid percusserunt de Benjamin, & de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui & mortui sunt. 32. Tuleruntque Afael, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethleem: & ambulauerunt tota nocte Ioab, & viri qui erant cum eo, & in ipso crepusculo peruenerunt in Hebron.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 1. ad 7.*

Vulg. Igitur post hæc consuluit Dauid Dominum, dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque Dauid. Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron.

Malu. Et fuit post sic, & postulauit in Iuh.

Sep. Interrogauit Dauid in domino.

Vulg. Ascendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

Vulg. Sed & viros, & qui erant cum eo, duxit Dauid singulos cum domo sua: & manserunt in oppidis Hebron.

Malu. Ascendere fecit, &c. & habitauerunt in vrbibus Chebron.

Vulg. Veneruntque viri Iuda, & vnixerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda. Et nuntiatum est Dauid, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saül.

Vulg. Misit ergo Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saül, & sepelivistis eum.

Arias. Hanc misericordiam cum dominis vestris.

Malu. Benignitatem cum sustentatoribus vestris.

Sept. Rom. Super Dominum vestrum, super Christum

Domini.

Arab. Quod beneficium exercueritis.

Vulg. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam, & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quod fecistis verbum istud.

Pag. Et ego faciam vobiscum bonum hoc, quia fecistis hanc rem.

Malu. Benignitatem & fidem, & ego etiam faciam ad vos bonitatem, &c.

Cornel. Pietatem ac fidelitatem.

Syr. Præstet vobis beneficium, & iustitiam, quin ego etiam tale beneficium rependam.

Arab. Quod tale opus præstiteritis.

Vulg. Confortentur manus vestrae, & estote filij fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saül, tamen me vnxit domus Iuda in regem sibi.

Arias. Estote in filios virtutis.

Vatab. Roborentur manus vestrae.

Tigur. Confirmentur.

Malu. Et nunc obtinebunt, &c. & estote filij strenuitatis, quia mortuus fuit, quia sustentatores vestri, Saül.

Sep. Rom. Estote in filios potentes.

Arab. Roborentur manus, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Manserunt in oppidis Hebron, Alij, In vrbibus & in oppidis: non muro cinctis, & in vrbibus quæ sunt in montano tractu Hebronis, manserunt. *Retribuet misericordiam, & veritatem*, Alij, *Benignitatem & fidem*. Adverte quod misericordia & veritas, significant omne opus virtutis, tam liberale (qualis est misericordia) quam debitum (qualis est veritas) id est æquitas, fidelitas, & iustitia, *Licet mortuus sit dominus vester*, Alij, *Sustentatores tui*, propter regiam maiestatem, & maioris honoris gratia in plurali vocat Saül regem Dominos, sustentatores.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Y. 1.* **I**gitur. Posita lamentatione Saülis, hinc consequenter A describitur institutio successoris. Habuit autem duplicem successorem. Vnum de iure, scilicet Dauid, qui iam inunctus erat ex diuina electione. Alium de facto, scilicet Isboseth, quem instituit Abner princeps militiæ. Et ideo primò agitur de institutione Dauid. 2. de institutione Isboseth, ibi: *Abner autem*. 3. de processu vtriusque, ibi: *Egressusque est Abner*. Circa primum dicitur.

Post hæc. Licet haberet ius in regno, quia erat inunctus ex præcepto diuino, tamen noluit intrare possessionem absque diuino consilio, quia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

Num ascendam? De illis primò quæsiuit, quia magis confidebat de hominibus illius tribus, eò quod esset de eadem tribu.

Quo ascendam? Habita responsione de tribu Iuda, conuenienter querit de loco.

Et respondit ei, In Hebron. Quia in illa ciuitate sunt sepulti quatuor principes Patriarchæ, prout dictum fuit Gen. 23. B propter quod & Caleb illuc iuit ad orandam Dominum ex deuotione, prout dictum fuit Num. 13. & Iosue 14. propter quod Dominus voluit, quod ibi inciperet regnum Dauid.

MENOC. *Ait Dominus ad eum*. Nimirum per Abiathar sacerdotem, vt vult Abulensis, et si Iosephus, per Prophetam malit.

In Hebron. Hæc ciuitas potius eligitur quàm alia, quia in ea Patriarchæ viui habitauerant, & mortui sepulti fuerant. Deinde, quia eo tempore erat Hebron metropolis præcipuæ, & bellicosissimæ tribus Iuda, nam Ierusalem adhuc Iebusæi, saltem quoad arcem, obtinebant.

MENOC. *In oppidis Hebron*. Quæ scilicet ex ea tanquam metropoli dependebant.

LYRAN. *Veneruntque*. Ter fuit inunctus, primo in domo patris, vt dictum fuit supra lib. 1. cap. 16. Secundo in Hebron super tribum Iuda, vt hic habetur. Tertio super totum populum Israël, vt habetur lib. 1. c. 5. In signum quod bonus

Tom. 1 V.

Catholicus regno cælesti dignus, debet habere vnctionem Spiritus sancti in corde per veram fidem, in ore per confessionem, in opere per sanctam conuersationem. Et quia bonus rex debet esse gratus subditis de facto fidelitatis, & pietatis, ideo consequenter ostenditur gratitudo ipsius Dauid erga viros Iabes Galaad de sepultura Saülis, & filiorum eius. Et patet littera.

Veneruntque viri Iuda, & vnixerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda. Sic & infra capite quinto dicuntur seniores Israël vnxisse Dauid in regem super vniuersam Israël. Verisimile est vtramque vnctionem factam fuisse per Abiathar summum sacerdotem. Neque per has vnctiones quicquam derogatum est primæ vnctioni per Samuëlem factæ, primi Regum decimosexto, tanquam insufficienti, neque iterata est consecratio. Nam tres istæ vnctiones ad diuersa factæ sunt. Prima erat velut declaratio voluntatis, & electionis diuinæ, vt Dauid suo tempore rex fieret. Itaque per eam accipiebat quidem ius ad regnum, sed nondum vsum, aut exercitium sui iuris. Secundâ vero, & tertiâ, quia fiebant consensu, & auctoritate populi, tradebant, seu dabant ei subditi (vt iurisperiti loquuntur) ius in regno. Et omnino videtur Saül quoque bis vnctus, hoc enim indicare videntur illa verba 1. Reg. 11. vbi innouatum est eius regnum in Galgala; *Et fecerunt Saül regem coram Domino*, nempe clausula illa (*coram Domino*) satis significat hoc in tabernaculo Domini factum, & adhibitis certis ceremoniis.

Vnixerunt Dauid. Siue ministerio Pontificis, cuius id erat munus, siue manu Gad, aut cuiuspiam alterius Prophetæ. **MENOC.**

Quod viri Iabes Galaad sepelissent Saül. Vide 1. Reg. cap. 31. 11.

Benedicti vos Domino. Omni bonorum genere cumulet vos Dominus. **MENOC.**

Misericordiam, & veritatem. Misericordiam veram: vel sensus est, iuxta fidem, quam dedit se remuneraturum benefacientes, veritas enim interdum fidem, promissio-

M m iij

ESTIVS.

MENOC.

MENOC.

Y. 5.

MENOC.

Y. 6.

MENO C. *nemve fidelem significat. Elij fortitudinis. Viri fortes estote, neque animos abii-*
 v. 7.

A cite, quasi praesidio quod à legitimo principe speratur, destituti.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 13.

Vulg. Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saül, tulit Isboseth filium Saül, & circumduxit eum per castra.

Pag. Qui erat ipsi Saül cepit, &c.

Arias. Et transire eum castra.

Malu. Machanaim.

Sep. Rom. Ascendere fecit eum è castris in Manaem.

Reg. Traduxit eum de castris.

Cald. Abner filius virtutis.

Vulg. Regemque constituit super Galaad, & super Gessuri, & super Iezrael, & super Ephraim, & super Benjamin, & super Israël vniuersum.

Arias. Assuri.

Sep. Aferi.

Cald. Super domum Afer.

Vulg. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saül, cum regnare cœpisset super Israël, & duobus annis regnavit: sola autem domus Iuda sequebatur Dauid.

Malu. Filius quadraginta anni. Veruntamen domus Iehu-

dah, fuerunt post Dauid.

Arab. Domus Iuda institerunt vestigiis Dauid.

Vulg. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est Dauid, imperans in Hebron super domum Iuda, septem annorum, & sex mensium.

Malu. Et sex innouationes.

Vulg. Egressusque est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filij Saül, de castris in Gabaon.

Malu. De Mahanaim in Ghibghon.

Sep. Reg. De castris collis.

Vulg. Porrò Ioab filius Saruiaz, & pueri Dauid egressi sunt, & occurrerunt eis iuxta piscinam Gabaon. Et cum in vnum conuenissent, è regione sederunt: hi ex vna parte piscinae, & illi ex altera.

Malu. Et incurrerunt super piscinam, &c. vnite, & manserunt ipsi super piscinam de isto, & isti super piscinam de isto.

Sep. Rom. Occurrerunt eis super fontem Gabaon in idipsum, & sederunt hi super fontem hinc,

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Circumduxit eum per castra, Alij, Machanaim, Sep. Rom. E castris in Manaem. Videtur accepisse Vulg. מַחֲנַיִם Machanaim, pro appellatiuo, vnde vertit per castra; sed alij pro nomine proprio capiunt, *Vltra Iordanem, qui erat in tribu Gad.* Vnde Iosephus ait, regiam ei elegit apud locum, qui Heb. Manalis dictus (Machanaim) interpretatur castra. Cald. idem cum Syr. & Arab. sentiunt: nomen enim huius loci Machanaim appellant. Et clarè Sep. Rom. Ascendere fecit eum è castris in Manaem. Fortassè ergo noster vt nomen proprium loci etiam accepit, sed interpretatum, vt sæpè facere solet. *Super domum Gessuri.* Heb. Assuri. Videtur noster Heb. per Ghimel legisse Gessuri: Et sanè hæc lectio ab instituto non abludit, nam erant Gessuræ ab ea parte Gilhad, quæ Septemtrionem spectat: exemplaria Heb. nunc constanter per Aleph scribunt Assuri, & plerique secuti Cald. aseritas, seu tribum Afer intelligunt, quæ erat terræ promissæ Septemtrionalis pars. Heb. Græc. Cald. Syr. & Arab. non habetur sola.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **v. 8.** **A**bnor autem. Hic consequenter ponitur institutio ipsius Isboseth de facto, & patet litera. Sciendum tamen quod Ra. Sa. dicit hîc, quod hoc factum fuit ad verificandum verbum Domini ad Iacob. Genes. 35. 6. Reg. ex te egredientur, & tamen omnes filij eius erant nati præter Benjamin, & sic significatum fuit, eò quod de Benjamin essent duo reges futuri, scilicet Saül, & Isboseth.

MENO C. *Abner autem, &c.* Abner Isbosethum Saülis filium regno admouet, vel quia fide constans in Saülem extinctum, vel quia in Dauidem iniquo erat animo, propter malè custoditi regis reprehensionem, 1. Reg. 26. vel quia ab eo tempore quo Dauid præpositus fuerat rei bellicæ, 1. Reg. 18. 5. ei inuidebat, vel quia se non pari apud Dauidem potestate fore putabat, vt apud Isboseth.

Circumduxit eum per castra. Quæ metu Philistæorum non vno loco posita erant, sed variis quasi dispersa, & dispersa.

MENOC. **v. 9.** *Super Galaad.* Eas nimirum tribus quæ erant trans Iordanem.

Super Gessuri, Heb. Assuri, quam vocem S. Hieron. in tradit. Heb. putat esse tribum Afer, cui consentit Cald. Vel Gessuri est pars aliqua regni illius, cuius mentio est sequenti cap. num. 3. licet enim illa potiretur Tholmai, fieri tamen potest vt aliqua illius regionis portio ad Israëlitas pertineret.

Super Iezrael. Id est, tribum Issachar, in quorum sorte latissima erat vallis Iezrael.

TIRINVS *Super Galaad, Gessuri, Iezrael, &c.*] In his locis prius acclamatus fuit rex Isboseth, ideoque & hîc prius nominatur. Vt verò, *Regem Gessuri Tholmain,* in Syria, haud procul Damasco, Israëlitis (vt puto) vestigalem, Dauid sibi deuinceret, & æmulo suo Isbosetho, aduersarium faceret, filiam illius Machaan, sibi in vxorem depoposcit, sed prius ad veri Dei cultum conuersam. Vnde licuit Dauidi id facere; maximè cum Gessur ad fines Chanaanorum,

B certè ad Chanaanos populos, non spectaret, cum quibus solis verita erant Iudæis connubia Deuteronomij septimo. Vide quæ de Gessur dixi primi regum 27. v. 8. Erat ergo hæc iam quarta Dauidis vxor: mox vero etiam quintam superinduxit, dein & sextam, & septimam, vt plures principes, & familias sibi affinitate obstringeret. Ex singulis verò vxoribus excepta Michol, singulos liberos in Hebron suscepit.

Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saül, cum regnare, &c. Quæritur quomodo intelligendum sit, quod hic dicitur, Isboseth regnasse duobus annis, quasi non pluribus regnarit, cum à morte Saül vsque ad regnum Dauidis super vniuersum Israël intercesserint anni septem cum dimidio, quod idem videtur fuisse tempus regni Isboseth super Israël? An quod hîc dicitur de duobus annis, non excludit annos sequentes, sed significat Isboseth iam duobus annis regnasse, cum contingerent ea, quæ in historica narratione subiiciuntur, videlicet prælium, & contentio illa vehementior inter domum Dauid, & domum Saül? Nec improbabilis est ista expositio, quomodo etiam nonnulli exponunt illud 1. Reg. 13. *Filius vnus anni erat Saül, cum regnare cœpisset, & duobus annis regnavit in Israël.* Vide ad illum locum.

Duobus annis regnavit. Non simpliciter, quia diutius regnum tenuit, quandiu scilicet Dauid regnavit in Hebron, annis scilicet septem, & mensibus sex, vt dicitur sequenti versiculo, sed duobus annis regnavit antequam bella inter vtramque domum exorirentur, vt explicat Abulensis, & Salius.

Duobus annis regnavit Isboseth. Nempe, antequam bella inter ipsum, & æmulum eius Dauidem exorirentur. Nam post adhuc aliis quinque annis cum medio regnasse, clarè docent Genebrardus, Abulensis, Serarius, Tornielus, & Salius. Primò biennio videntur hi duo reges, (nam vterque erat legitimus, vtpote legitime creatus) sat

negotij cum Philistæis victoria insolentioribus habuisse. Quibus demum seu vi coercitis, seu induciis ad quietem reductis, *Abner*, princeps militiæ Isboeth, etiam de pace cum Dauide, & æterno inter vtramque domum fœdere conciliando, si posset, sin minus, de re bello dirimenda acitare cœpit. Ergo cum lectissima militum manu ex regia in *Gabaon*, urbem tribus Benjamin, Iudæ conterminam progressus, Ioabo Dauidis copiarum duci ex condito occurrit. Sed antequam pacis, aut fœderis mentionem iniiceret, ostentare cupiens militum suorum fortitudinem, ne fortè suis partibus diffidere, aut desperare videretur.

LYRAN.
v. 12.

Egressusque. Hic consequenter ponitur vtriusque regis instituti processus, quia Isboeth procedebat semper deficiendo, Dauid autem proficiendo, quod ostenditur in duobus, primò in virorum Isboeth debellatione, secundò in ipsius Abner cum Dauid confœderatione, cap. 3. Circa primum primò ponitur bellatorum congregatio, secundò partis Isboeth depressio, ibi: *Fugatusque est Abner*. Tertiò belli cessatio, ibi: *Persequentibus autem*. Circa primum sciendum, quòd quantum ex litera videtur Abner princeps militiæ Isboeth, & Ioab princeps exercitus Dauid condixerant adinuicem, vt conuenirent ad locum certum: & ibi viderent pugnam singularem ali-

quorum ex vna parte, & ex altera ad videndum probitatem virorum vtriusque partis, & hoc est quod dicitur.

Et pueri Isboeth. Milites scilicet, qui in Isboeth, vel Abneris erant salario, ducemque Abner sequebantur.

De castris. Isboetho in vrbe *Manaim* se continentè, quæ vox *Castra* significat, sic enim hanc vocem Sep. accipiunt, qui vocem *Manaim* inuariatam retinent.

Gabaon. Urbem tribus Benjamin tribui Iudæ conterminam.

Et cum in vnum. Id est, in vnum locum determinatam.

E regione. Id est, exercitus Dauid ex vna parte, & exercitus Isboeth ex altera. Et piscina erat in medio, id est, congregatio aquarum pluuiarum in vna fouea, sicut solet esse in campis pro animalibus potandis.

Surgant. Hoc est, ad prælium apti.

Ioab filius Saruia. Dauidici exercitus dux, & ipsius Dauidis nepos ex sorore Seruia.

Pueri Dauid. Milites Dauid.

Egressi sunt de ciuitate Hebron. Siue casu lustrantes tribum Iuda, siue de industria, cum accepissent Abner transmississe Iordanem.

Intra piscinam Gabaon. Lacum non magnum nutriendis piscibus idoneum. *Fontem* vocant Sep.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 14. ad 17.

Vulg. Dixitque Abner ad Ioab: Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Ioab: Surgant.

Malu. Surgant quæso excussi, & luserunt faciebus nostris.

Vulg. Surrexerunt ergo, & transferunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboeth filij Saül, & duodecim de pueris Dauid.

Cald. Ex populo domus Benjamin, & duodecim ex seruis Dauid.

Vulg. Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius: Ager robustorum, in Gabaon.

Pag. Vocauit locum ipsum Chelcat Assurim.

Arab. Apprehenderunt vir in caput focij sui, & gladius suus in latus focij sui.

Malu. Et obtinuerunt vir in capite, &c. & ceciderunt vnité.

Lyran. Ager concisionum.

Alij. Petrarum.

Sep. Rom. Apprehenderunt vnusquisque caput, &c. portio irruentium.

Reg. Pars insidiatorum.

Cald. Inualuerunt, &c. vocauit hæreditatem fortitudinis occisorum.

Syr. Vocauerunt agrum Saran.

Arab. Saddan.

Vulg. Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatiueque est Abner, & viri Israël, à pueris Dauid.

Pag. Cæsus est Abner.

Malu. Fuit cæsioperplexa, &c. & consternatus fuit Abner.

Caict. Durum vsque valdè.

Sep. Rom. Durum vt cum maximè, & cecidit Abner.

Cald. Fractus est.

Syr. Prælium atrocissimum, & confracti sunt Abner, & focij eius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vocatur in est, &c. *ager robustorum*, Alij, *Chelcat Assurim*. Ager concisionum. *חלקה* *chelkâh*, est pars, possessio, hæreditas: vnde *Cald.* vocauit hæreditatem, &c. *חצרים* *chazurim*, id est, petrae, rupes, saxa, secundum aliquos. Vnde quidam dixerunt, *Ager petrarum*, id est iuuenum, fortium instar petrarum, contra impetum stantium, quia iuvenes hi robusti erant instar petrarum. *Lyranus* habet *Ager concisionum*, & explicat, eò quòd iuvenes illi mutuo se vulneribus confoderunt. *Fugatusque est Abner*, Alij, *Cæsus*. Cæsum dicit non ad mortem, nam fugientem Abner paulo post v. 19. dicitur *Asael* persequi.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 14.

Et ludant. Id est, ostendant fortitudinem suam, & B probitatem. Vnde sciendum, quod istud verbum quod hic ponitur æquiuocum est ad ludere, & occidere: & etiam ad quædam alia, sicut dictum fuit Gen. 21. hic autem ponitur pro occidere: ideo subditur.

ESTIV S.

Surgant pueri, & ludant coram nobis. Pueri vocantur ministri regum Dauid & Isboeth: intelligitur autem ludus militaris, id est, pugna, eo schemate, seu modo loquendi, quo res odiosa & horrida, blandiore verbo mitigatur. Sic quod Gen. 21. dicitur *Ismaël* lusisse cum *Isaac*, *Apostolus* ad Galat. 4. interpretatur eum persecutum fuisse *Isaac*. Sic & alibi, *Veni, videamus nos*, pro experiamur pugnando inuicem, vires.

MENOC.

Surgant pueri, &c. Ludo gladiatorio, veterisque gladiis more monomachorum. Abneris propositio ex fiducia fortitudinis suorum profecta videtur, illiusque ostenta-

tione, itaque peccauit prouocans, vt etiam *Ioab* prouocationi consentiens, licet ille grauius, quam hic. Peccarunt etiam ipsi milites pugnantes, nisi eos ignoratio iuris excuset, aut nisi aliquam legitimam causam illius pugnae ducem habuisse crediderint.

Dixitque Abner ad Ioab: Surgant pueri, seu milites, & *ludant coram nobis*.] Nempe ludo gladiatorio, & duello, vt solent in theatris, cum non fictè, sed serio; non obtusis, sed acutis gladiis res geritur. Neque abnuuit *Ioab*, ne videretur audacia, & alacritate aduersariis cedere.

Notat hic *Abulensis*, non leuiter ab vtroque duce peccatum fuisse, quod non belli dirimendi, vel causæ decidendæ, sed solius animi, & vanæ virium ostentationis gratia sanguinolentum certamen oblatum atque admissum sit. Et licet culpam *Ioabi* minuerit metus, ne, si recusasset, dedecore afficeretur cum suis, & simul audaciores fierent

Israëlitæ, ad Iudæos deinceps crebrioribus damnis afficiendos; culpam tamen non planè delet: quia pudor, & metus ille non tanti erat, vt ad eum euitandum, in tot fortissimorum virorum quasi certam, saltem iniustam mortem consentiret, cum non deessent alia media, pudoris metusque illius, etiam aperta vi depellendi. Ipsos gladiatores excusare potuit cæca obedientia, qua legitimis ducibus suis, penes quos esse debet examen causæ, prompti paruerunt. Si tamen non obediendi causa, sed tantum ostentandarum virium gratia ad certamen concurrerunt, vtique & ipsi peccarunt, & infelici morte defuncti sunt, vt solent qui in vltroque duello cadunt. Et forsitan ideo permisit Deus, vt omnes vtriusque mutuis vulneribus confossi interierint, vt aperte colligitur ex textu, non Latino solum, sed & Græco, & Heb. & Cald. & ferè omnium Interpretum vnanimi consensu. Et Iosephus idem disertè affirmat, quamuis Comestor, Lyranus, & Dionysius decepti versione Rufini, putarint Iosephum voluisse, solos Abneris milites occubuisse, & omnes Ioabi mansisse superstites. Cæterum accensis hoc cruento spectaculo vtrorumque tam ducum, quam militum animis, cum dubiam adhuc fortitudinis laudem suo quisque exercitui promereri, simul sociorum mortem vlcisci vellet, ex templo totis aciebus concursum. Et quia maior fuerat Abneris culpa primo prouocantis, permisit Deus iusto iudicio ipsum vinci, & magna clade affici, cum non mino-

re probro damnoque Isbosethi, à quo paulatim ex variis tribubus multa millia ad Dauidem transfugerunt, vt habes 1. Paralip. 12. & 22.

De Benjamin. Tribu bellicosa, vt apparet Iudicum capite 20.

De pueris David. Quos probabile est fuisse de tribu Iuda, quæ sola Dauidem sequebatur.

Apprehensioque. Ex quo videtur, quod ex vtraque parte fuerunt interfecti, licet Iosephus dicat, quod illi soli de parte Isboseth fuerunt interfecti, sed magis credendum est textui, quia Iosephus frequenter dicit aliqua textui dissona. Vnde subditur. *Vocatumque.* In Hebræo habetur, *Campus concisorum.* Eo quod mutuis gladiis concisi ceciderunt ibi isti, & illi.

Ceciderunt simul. Omnia scilicet duodecim paria mutuis vulneribus confossa ceciderunt.

Et ortum. Quia istis occisis vterque exercitus incepit pugnare in inuicem ad suorum vindictam.

Fugatusque. Hic consequenter describitur partis Isboseth debellatio. Et patet litera paucis exceptis.

Ortum est bellum. Inter Duces vtriusque regis, Abner scilicet & Ioab.

Fugatusque est Abner. Heb. *Casus est*, aut *percussus.* Cald. *Fractus*, quod Italica phrasi respondet, dicimus enim victos, *effere statim rotati.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 18. ad 23.

Vulg. Erant autem ibi tres filij Saruiæ, Ioab, & Abisai, & Afael: porro Afael cursor velocissimus fuit, quasi vnus de capreis quæ morantur in siluis.
Pag. Erat leuis pedibus.
Arias. Sicut vnus capreorum qui sunt in agro.
Arab. Erat cursu celer,
Vulg. Persequebatur autem Afael Abner: & non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram, omittens persequi Abner.
Arias. Non declinauit, &c. à posterioribus Abner.
Cald. Et secutus est.
Vulg. Respexit itaque Abner post tergum suum: & ait: Tune es Afael? Qui respondit: Ego sum.
Vulg. Dixitque ei Abner: Vade ad dexteram, siue ad sinistram, & apprehende vnum de adolescentibus, & tolle tibi spolia eius. Noluit autem Afael omittere quin vrgeret eum.
Pag. Tolle tibi exuias eius.
Arias. Cape tibi mutatoriam vestem eius.
Tigur. Armaturam eius.
Malu. Obtine tibi vnum ex excussis, accipe tibi extractionem eius.
Sep. Tolle arma.
Arab. Noluit deflectere.
Vulg. Rursumque locutus est Abner ad Afael: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, &

leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.

Pag. Vt quid percutiam te, & si percussero te, quomodo, &c.

Arias. Recede à posterioribus meis.

Tigur. Quid enim te humi sternam?

Cald. Quare occidam te.

Syr. Deflecte à vestigiis meis, &c. quomodo frontem attollerem, & aspicerem faciem? &c.

Vulg. Qui audire contempsit, & noluit declinare: percussit ergo eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco: omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Afael, & mortuus erat, subsistebant.

Lyran. Percussit eum post hepar in quinta.

Pag. Percussit eum cuspide lanceæ, in quinta costa, & egressa est lancea post eum, & cecidit.

Arias. Percussit in posterioribus lancea ad quintam, & egressa, &c. in posterioribus.

Tigur. Feriit ad viscera vitalia.

Sep. Rom. Et vbi sunt hæc? Reuerte ad Ioab fratrem tuum, &c. & cadit ibi, & moritur sub se.

Cald. In latere femoris eius.

Syr. Percussit cauda hasta super pectus suum.

Arab. Ita vt emergeret à tergo ipsius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tolle tibi spolia eius, Alij, *Arma*, exuias eius, spolia eum armis, & quibusuis, Alij, *Vt victorem decet. Ne compellar te confodere in terram*, Alij, *Vt quid percutiam te in terram?* Id est, cur cogar te interficere? *Et leuare non potero faciem meam*, Alij, *Quomodo frontem attollerem?* Scilicet vt possim te interfecto conspicerem fratrem tuum. *Auersa hasta*, Alij, *Cuspide lanceæ, in posterioribus lanceæ*; Posteriora lanceæ vocant, ferrum acutum, quod infixum erat in posteriore parte eius. *In inguine*, Alij, *Ad quintam, ad quintam costam.* Illa quinta costa est in hypochondrio, seu inguine, & vbi residet iecur, & fel. *Sep.* habent *sub se*, id est, in eodem loco.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**orro. Ex hoc patet quod pugnauerunt peditando: aliter non commendaretur Ioab de velocitate cursus, sed magis equus portans ipsum.

Quasi vnus. Hyperbole est, ad denotandum eius agilitatem excellentem.

LYRAN. *Persequebatur autem Afael Abner: & non declinauit.* Reputans sibi ad magnam gloriam si posset deuincere militia principem.

Et leuare. Cogitabat enim Abner quod Dauid finaliter præuuleret, & tunc indigeret gratia ipsius Ioab, qui erat maior in domo Dauid; propter quod reformidabat occidere fratrem eius.

Leuare non potero, &c. Quasi dicat, tibi parco, ne Ioab fratrem tuum irriterem, si enim te interfecero, cum illo amplius de fœdere, aut pace agere non audebo, erit enim mihi ob hanc cædem infensus.

Percussit. Id est, contra eum versa. Si enim de ligno ha-
sta percussisset eum, vt dixerunt aliqui, non potuisset eum
ita transfodisse, maximè, quia armatus erat, licet leuibus
armis. In Heb. habetur. *Percussit ergo eum, &c.* Id est,
circa membra vitalia, vbi est ictus mortalis.
In inguine. In Heb. habetur. *In quinta,* scilicet costa,

A sub qua sunt membra vitalia.

Auersa hasta. In Hebræo est, *in posterioribus lancea,* MENO
id est, cuspede, & ferro posteriori, gemino enim ferro lan-
ceas præfigunt.

In inguine. Aliqui ex Heb. vertunt. *Ad quintam costam,*
Sep. habent *עַם רְלוֹ שֵׁוּא,* in regione lumborum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 28.

Vulg. Persequentibus autem Ioab, & Abisai fugien-
tem Abner, sol occubuit: & venerunt vsque ad
collem aquæ ductus, qui est ex aduerso vallis itineris
deserti in Gabaon.

Pagn. Vsque ad Ghibhah per viam deserti Ghighon.

Arias. Vsque ad Gibhal Amah, super facies Giah.

Syr. Ad Gebaath maris, quod est ante Hih.

Vulg. Congregatique sunt filij Benjamin ad Abner: &
conglobati in vnum cuneum, steterunt in summitate
tumuli vnus.

Arias. Steterunt super capita collis vnus.

Malu. Collegerunt se, &c. & fuerunt fasciculo vno.

Sep. Rom. Facti sunt in concursum vnum.

Reg. In congregationem vnam.

Cald. Super caput iugi vnus.

Vulg. Et exclamauit Abner ad Ioab & ait: Num vsque ad
internecionem tuus mucro desaniet? An ignoras quod
periculosa sit desperatio? Vsquequo non dicis populo vt
omittat persequi fratres suos?

Pag. Num in sæculum deuorauit gladius? Nonne nosti
quod amaritudo sit in nouissimo? &c. vt auertatur à
fratribus suis.

Arias. Num ad victoriam perdet gladius?

Malu. An victoriæ comedit gladius?

Sep. Rom. Ad victoriam, nonne scis, quia amara erunt in
nouissimis?

Reg. Nonne scis quod acerba erit in nouissimis?

Cald. Num ad separationem occidet gladius?

Syr. Ignoras acerbè rem tandem successuram?

Vulg. Et ait Ioab: Viuit Dominus, si loquutus fuisses,
manè recessisset populus persequens fratrem suum.

Malu. Quia si non locutus fuisti, quia nunc de manè as-
cendere factus fuit populus, vir de post fratrem suum.

Cald. Permanet ipse Dominus, &c. quòd tunc fortè à
tempore Auroræ attendisset vir.

Syr. Procul dubio cras separassem populum quemque à
persequendo.

Arab. Certissimè nequaquam retraxissem populum ab in-
fectione fratris.

Vulg. Insonuit ergo Ioab buccina, & stetit omnis exerci-
tus, nec persequuti sunt ultra Israël, neque iniere cer-
tamen.

Malu. Infixit Ioab in turba, &c. & non addent adhuc
ad cædere.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vsque ad collem aquæ ductus, Alij, Ad Ghibhal Amah. Potest Amah esse loci nomen, vt plures autumant, po-
testque significare aquæ ductum, quod Vulg. sequitur. *Qui est ex aduerso vallis, &c.* Alij, Super facies Giah. Rur-
sus vox Heb. & loci nomen proprium esse potest, & vallem significare, vt legit Hieron. sed cum n in fine, &
non cum n vt est hic. *Deserti in Gabaon,* Alij, *Deserti Gabaon,* ita vt Gabaon sit Genitiuus. *Num vsque ad internecio-
nem tuus mucro desaniet?* Alij, *Num vsque in sæculum deuorabit?* &c. Vox Heb. נצח *netzach,* significat & sæculum,
& victoriam, & vbi est victoria, ibi plurimorum occisio: *An ignoras quod periculosa sit desperatio?* Alij, *Quod amaritu-
do sit in nouissimo?* &c. Benè Vulg. amaritudo si quidem animi, ex desperatione euadendi consurgit. Finis etiam belli
amarus est. *Si locutus fuisses, manè recessisset populus, &c.* Alij, *Quia si non locutus fuisses, ascendere factus fuit popu-
lus, &c.* Non est contrarietas, sed sensus, nisi dixisses, surgant pueri, & ludant ante nos, & sic, nisi prouocasses nos,
recessisset iussu meo populus, nec tuos persequutus fuisset. Arab. intellige nisi locutus fuisset Abner.

ANNOTATIONES.

Persequentibus. Hic consequenter describitur belli ces-
satio duplici de causa. Prima, propter noctem super-
uenientem, quæ notatur, cum dicitur. *Sol occubuit.* Sec-
unda propter periculum interfectionis ex vtraque parte,
quia filij Benjamin se recolligentes circa Abner, parabant
se ad ponendum totum pro toto ad fortunam, propter
quod clamauit ad Ioab.

An ignoras. Scilicet de fuga absque bello? Quasi diceret:
Tu non debes ignorare, quia per talem modum vtraque
pars ponit totum pro toto, & sic est in periculo, cui non
debeant exponi.

Vsquequo. Faciendo signum cessationis.

Vt omittat. Quia isti, & illi erant cultores Dei, & de
eadem lege, & ideo non erat bonum, destructionem hu-

B ius partis, vel illius quærere. Cui Ioab assentiens dixit.

Periculosa desperatio. Qui enim iam de vita desperant
acrius pugnant, ne scilicet inulti cadant.

Si locutus. Hoc est, si citius ista verba dixisses, bellum
citius cessasset. Aliqui Hebræi dicunt, quod hæc est litte-
ra; *Si non locutus fuisses manè,* scilicet, verbum, quod
prædixisti in principio. *Surgant pueri, & ludant coram no-
bis, recessisset populus absque bello;* quia occasione illius
dicti, & sequentis facti, ortum fuit bellum, vt patet ex
prædictis. Cætera patent vsque ibi.

Si locutus fuisses. Si te victum fallus esses.

Nec persecuti sunt ultra Israël, &c. Finis pugnae fuit,
imò & belli, cessatumque plane ab armis est.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 29. ad 32.

Vulg. Abner autem, & viri eius abierunt per campe-
stria, tota nocte illa: & transferunt Iordanem, &
illustrata omni Beth-heron venerunt ad castra.

Arias. Abierunt in solitudine.

Malu. Et venerunt Machannim.

Alij. Obierunt totam separationem.

Sept. Rom. Abierunt in Occidentem, &c. & iuerunt to-
tam porrectam.

Reg. Totam planiciem.

Syr. Abierunt Gessur versus.

Vulg. Porro Ioab reuersus, omisso Abner, congregauit

omnem populum: & defuerunt de pueris Dauid decem,
& nouem viri, excepto Asael.

Malu. Collegit omnem populum, & visitati fuerunt. *Ita*
& *Sep. Rom. Reg.* Recensiti sunt.

Cald. Defecerunt.

Syr. & Arab. Desiderati sunt duodecim viri, & Asael mor-
tuus.

Vulg. Serui autem Dauid percusserunt de Benjamin, & de
viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui
& mortui sunt.

Sept. Rom. Percusserunt 360. viros ab eo.

Vulg. Tuleruntque Afael, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethleem: & ambulauerunt tota nocte Ioab, & viri qui erant cum eo, & in ipso crepusculo peruenierunt in Hebron. Pag. Illuxit eis. Figur. Et diluculabat eis cum venissent.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Lustrata omni Beth-heron. Sep. Ierunt totam porrectam. Noster Vulg. cum aliquibus nomen proprium loci ultra Iordanem accipiunt, sic dictum à partitione, seu dissectione, aut diuisione, quod fortassè diuideret inter alias terras, aut regiones. Sept. pro appellatiuo sumunt, *Et ierunt totam porrectam*, id est totam planiciem, quæ longè porrigebatur. *Defuerunt decem, & nouem*, Alij, *Visitati & recensiti*, tot scilicet qui aberant. Syr. & Arab. non conueniunt in numero, solum enim duodecim recensent.

ANNOTATIONES.

MENO C.
v. 29.

Beth-heron. Duplex est Beth-heron, & vtraque cis Iordanem, altera quæ superior dicta in tribu Ephraim, altera quæ inferior in Benjamin, aut certè Manasse, vt significatur in libro Iosue cap. 16. Lustrauit ergo Abner Beth-heron, postea Iordanem transit, licèt inuerso ordine prius transitus Iordanis mentio fiat in textu. Sep. habent *ἀπὸ τῆς ἑξέως τῆς ἕρας*, regionem protensam, siue circumiacentem.

Venerunt in castra. Quæ ultra Iordanem erant, vbi scilicet Isboseth rex est proclamatus, & vbi hæserat. Vide dicta suprâ num. 12.

A Excepto. Licèt esset de pueris Dauid, sicut & alij interfecti; tamen mors eius per se exprimitur, quia plus ponderabatur, quam omnium aliorum, propter quod de eius sepultura specialiter agitur. Et patet littera. Sepultura tamen ista fuit, postquam Ioab, & exercitus redierant in Hebron, licèt ante scribatur.

Et ambulauerunt tota nocte, &c. Diuino labori nocturnum copulantes, & quidem non exiguum, est enim ex Adrichomio illud iter à Gabaone vsque ad Bethleem horarum quatuor, inde vero vsque in Hebron horarum sex.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

A Abner ob concubinam reprehensus ab Isboseth, transit ad partes Dauidis; cui reducit uxorem Michol: sed proditorie confoditur à Ioab: & amarè defletur à Dauide.

I.



Acta est ergo longa concertatio inter domum Saül, & inter domum Dauid: Dauid proficiscens, & semper seipso robustior, domus autem Saül decrescens quotidie. 2. Natiq̄ue sunt filij Dauid in Hebron: fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezraelitide. 3. Et post eum Cheleab de Abigail vxore Nabal Carmeli: porrò tertius Absalom, filius Maacha filia Tholmai regis Gessur. 4. Quartus autem Adoaias, filius Haggith: & quintus Saphathia, filius Abital. 5. Sextus quoque Iethraam, de Egla vxore Dauid, hi nati sunt ex Dauid in Hebron. 6. Cùm ergo esset prælium inter domum Saül, & domum Dauid, Abner filius Ner regebat domum Saül. 7. Fuerat autem Saüli concubina nomine Respha, filia Aia. Dixitque Isboseth ad Abner. 8. Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum aduersum Iudam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saül patris tui, & super fratres, & proximos eius, & non tradidi te in manus Dauid, & tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie? 9. Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodo iurauit Dominus Dauid, sic faciam cum eo, 10. vt transferatur regnum de domo Saül, & eleuetur thronus Dauid super Israël, & super Iudam, à Dan vsque Bersabee. 11. Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum. 12. Misit ergo Abner nuntios ad Dauid pro se dicentes. Cuius est terra? Et vt loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuersum Israël. 13. Qui ait: Optimè: ego faciam tecum amicitias: sed vnam rem peto à te, dicens. Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saül: & sic venies, & videbis me. 14. Misit autem Dauid nuntios ad Isboseth filium Saül, dicens: Redde vxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philistiim. 15. Misit ergo Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel, filio Lais. 16. Sequebaturque eam vir suus, plorans vsque Bahurim: & dixit ad eum Abner: Vade, & reuertere. Qui reuersus est. 17. Sermone quoque intulit Abner ad seniores Israël, dicens: Tam heri quàm nudiustertius quærebatis Dauid vt regnaret super vos. 18. Nunc ergo facite, quoniam Dominus locutus est ad Dauid, dicens: In manu serui mei Dauid saluabo populum meum Israël de manu Philistiim, & omnium inimicorum eius. 19. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit vt loqueretur ad Dauid in Hebron, omnia quæ placuerant Israël, & vniuerso Benjamin. 20. Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris: & fecit Dauid Abner, & viris eius qui venerant cum eo, conuiuium. 21. Et dixit Abner ad Dauid: Surgam, vt congregem ad te dominum meum regem omnem Israël, & in eam tecum foedus, & imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cùm ergo deduxisset Dauid Abner, & ille isset in pace. 22. Statim pueri Dauid, & Ioab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna

magna nimis. Abner autem non erat cum Dauid in Hebron, quia iam dimiserat eum, & profectus fuerat in pace. 23. Et Ioab, & omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerunt: nuntiatum est itaque Ioab à narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, & dimisit eum, & abiit in pace. 24. Et ingressus est Ioab ad regem, & ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, & abiit, & recessit? 25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te & sciret exitum tuum, & introitum tuum, & nosset omnia quæ agis? 26. Egressus itaque Ioab à Dauid, misit nuntios post Abner, & reduxit eum à cisterna Sira, ignorante Dauid. 27. Cumque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Ioab ad medium portæ, ut loqueretur ei, in dolo: & percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris eius. 28. Quod cum audisset Dauid rem iam gestam, ait: Mundus ego sum, & regnum meum, apud Dominum, usque in sempiternum, à sanguine Abner filij Ner, 29. & veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fufum, & cadens gladio, & indigens pane. 30. Igitur Ioab, & Abisai frater eius interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio. 31. Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini faccis, & plangite ante exequias Abner, porro rex Dauid sequebatur feretrum. 32. Cumque sepelissent Abner in Hebron, leuauit rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner: fleuit autem & omnis populus. 33. Plangensque rex, & lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignaui, mortuus est Abner. 34. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminansque omnis populus fleuit super eum. 35. Cumque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die iurauit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem vel aliud quidquam. 36. Omnisque populus audiuit, & placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi. 37. Et cognouit omne vulgus, & vniuersus Israël in die illa, quoniam non actum fuisset à rege ut occideretur Abner filius Ner. 38. Dixit quoque rex ad seruos suos: Num ignoratis quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Israël? 39. Ego autem adhuc delicatus, & vnctus rex: porrò viri isti filij Saruix duri sunt mihi, retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. i. ad 5.

Vulg. Facta est ergo longa concertatio inter domum Saül, & inter domum Dauid: Dauid proficiscens, & semper seipso robustior, domus autem Saül decrescens quotidie.

Pag. Fuit bellum longum, &c. Dauid ibat, & confortabatur, domus Saül ibat, & attenuabatur.

Arias. Euntes & tenues.

Varab. Decrescebat, & debilior fiebat.

Tigur. Promouit interim Dauid.

Malu. Ambulans, & obtinens, &c. ambulantes, & exhausti.

Sep. Rom. Fuit bellum ad multum, &c. & conualefcebat, & domus infirmabatur.

Reg. Fortificabatur, & debilis fiebat.

Arab. Magnificabatur, & crescebat.

Syr. Amplificabatur, &c. magis magisque pauperefcebat. *Vulg.* Nati que sunt filij Dauid in Hebron: fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezraelitide.

Vulg. Et post eum Cheleab de Abigail vxore Nabal Carmeli: porrò tertius Absalom, filius Maacha, filix Tholmai regis Gessur.

Sep. Rom. Et secundus eius Daluia ipsius Abigara Carmelice.

Vulg. Quartus autem Adonias filius Haggith: & quintus Saphathia, filius Abital.

Sep. Quartus Ornia.

Vulg. Sextus quoque Iethraam, de Egla vxore Dauid, hi nati sunt ex Dauid in Hebron.

Alij. Ex Hegliah, vxore quoque Dauid.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Semper seipso robustior, Alij, Confortabatur, & amplificabatur. פִּי חַזָּק, inualescere, roborari, augmentum sumere significat. Decrescens, Alij, Debilior fiebat. דָּלַל, decrescere, pauperem fieri, tenuem esse, &c. denotat. De Egla vxore Dauid, Alij, Ex Egla vxore quoque Dauid. Hæc lectio hæc difficultate se liberat, euf Hegliah vxor Dauidis dicatur, cum de aliis nihil tale dicatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **F**acta est. Ostensa debilitatione regni Isboseth ex suorum debellatione, hic consequenter hoc idem ostenditur ex Abner cum Dauid fæderatione. Circa quod præmittitur Dauid profectus, secundo ipsius Abner fædus, ibi: Cum ergo esset prælium. Primum autem ostenditur, cum dicitur.

Dauid proficiscens. In potestate, & multitudine, quia aliqui de nouo sibi iungebantur quotidie.

Et semper. Respectu temporis præteriti: quia semper crescebat eius potestas, crescebat etiam in prole, ideo subditur. *Nati que.* Sequitur.

MENOC. *Facta est longa concertatio.* Non armis, sed studiis, ut Sanchez interpretatur, utroque rege sollicito de regni sui incremento. Putat tamen Salius, armis etiam certatum inter Abner, & Ioab regum duces. Isbosetho rerum bel-
Tom. IV.

Alicarum insolentia; Davide autem ne manus Israëlítico sanguine pollueret, à bello abstinentibus, cui sententiæ fauet textus hic, & num. 6.

Dauid proficiscens. Quia & diuino fauore prouectus, & maioribus animi, corporisque dotibus conspicuus, & Samuëlis, à quo fuerat inunctus, testimonio ad regnum vocatus.

Nati que sunt filij Dauid in Hebron. Quia dixerat Dauidem quotidie se ipso robustiorem factum, idèo hac occasione eius filios numerat, quia numerosa proles domos firmat, & robustas facit. Quamobrem Abrahamo dictum Gen. 18. 18. *Faciam te in gentem magnam, & robustissimam.* Huc etiam pertinet illud Annæ i. Reg. 2. 5. *Quia multos habebat filios infirmata est.*

Primogenitus eius Amnon. Is qui vim intulit Thamar
N n

MENOC.

v. 23.

ri forori Absalonis 2. Reg. 13. proptereaque ab eo occisus est 2. Reg. 13. 32.

LYRAN.
 §. 3.

Et post. Iste autem 1. Paral. 3. vocatur Daniel, & hoc fuit nomen eius primum, secundum quod dicit hic Ra. Sa. sed quia tunc erant aliqui derisores dicentes, quod erat filius Nabal, & quod Abigail ipsum conceperat, quando Dauid eam accepit uxorem: ideo ad ostendendum hoc esse falsum, mutata est à Deo eius facies, & assimilata est faciei Dauid. Et ex tunc vocatus est Cheleab, quod nomen sonat in Heb. quasi pater, vel similis patri.

ESTIVS.

Porro tertius Absalom filius Maacha, &c. Duxit hanc filiam hominis gentilis Dauid, vt par est credere, eo modo quo licuit, scilicet conuersam ad veri Dei cultum, siue eam ceperit in bello, & adhibita obseruatione, quæ præscribitur Deut. 21. eam duxerit uxorem, siue etiam pacis tempore æquè consentientem in religionem populi Dei, quomodo Booz accepit Ruth Moabitidem. Certè legimus 1. Reg. 27. Dauidem, priusquam euectus esset ad regnum, egisse prædas de Gessuri, quo tempore fieri potuit, vt inde filiam quoque regis captiuam duceret, regemque huiusce coniugij occasione postea amicum habuerit. Constat quoque ad regem Gessur, vt ad amicum, & vt apparet, auum suum maternum, Absalonem perpetrata cæde fratris, fugisse.

MENOC.

Cheleab. Qui tamè alio nomine dictus est Dan. 1. Paral. 3. 1. *Filia Tholmai regis Gessur.* De Gessuri, vide dicta cap. 2. n. 9. quo loco ait scriptura Isbosethum super Gessuri constitutum fuisse regem ab Abner. Voluit ergo Dauid sibi regem illum affinitate adiungere, vt si quid ex ea parte

A moueret, aut tentaret Isboseth, amicus, & cognatus rex Dauidis rebus commodaret. Credendum verò est Maacham ad Iudæorum religionem transiisse, & hac conditione initum à Dauide matrimonium. Neque enim vniuersum cum Ethnicis prohibitum erat coniugium, sed tantum cum septem nationibus terram promissam habitantibus, in quibus Gessur non comprehenditur.

Adonias filius Aggith. Is quem regnum ambientem Salomon iussit occidi 3. Reg. 2. 24.

Saphathia filius Abital. Obscura mater, nec notior filius.

Sextus. Iste vocatus fuit Nathan secundum Iosephum.

De Egla. Ista fuit Michol filia Saül, & vocatur Egla, id est, vitula secundum proprietatem idiomatis Hebræi, & vocatur sic; eò quod fuit ei coniuncta in iuuentute, & ei valdè dilecta, eo modo loquendi quo dixit Samson Iudic. 14. *Si non arassetis, &c.*

Vxore. Licet enim in veteri testamento viri possent habere plures uxores simul, illa tamen quæ primo accipiebatur, vxor specialiter vocabatur, propter quod Iacob dixit de Rachel Gen. 44. *Duos genuit mihi vxor mea.* Aliæ autem non sic: quamuis secundum veritatem essent uxores. Michol autem primo fuit coniuncta Dauid, & ideo vocabatur specialiter eius vxor.

Iethraam de Egla. De hoc Dauidis filio, sicut & de Saphathia nihil præter nomen habetur in scriptura, Egla autem aliqui eandem putant cum Michol, sed diuersam existimat melior sententia, quam sequuntur Comestor, Abulensis, Pineda, Vatablus, Emanuël Sa, Serarius, & Mariana apud Salianum anno mundi 2981. num. 8.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad 11.

Vulg. Cùm ergo esset prælium inter domum Saül, & domum Dauid, Abner filius Ner regebat domum Saül.

Pag. Abner se tenebat pro domo Saül.

Arias. Erat fortificans se.

Caiet. Roborans se.

Vatab. Viriliter agebat.

Malu. Obtinens sese.

Sep. Rom. Tenens domum Saül.

Cald. Præminebat.

Syr. Hareret domui.

Arab. Teneret partes.

Vulg. Fuerat autem Saüli concubina nomine Respha, filia Aia. Dixitque Isboseth ad Abner.

Arias. Et fuit Saüli pellex.

Sep. Rom. Filia Iol.

Aliqui Cod. Græc. Et intrauit ad eam Abner.

Vulg. Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum aduersum Iudam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saül patris tui, & super fratres, & proximos eius, & non tradidi te in manus Dauid, & tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie?

Pag. Et visitasti super me iniquitatem mulieris?

Arias. Et non inuenire te feci in manu Dauid?

Caiet. Qui feci gratiam.

Tigur. Hodie beneficiis prosequor domum Saülis.

Malu. Et visitasti super me prauitatem viræ?

Sep. Rom. Non defeci ad domum Dauid, & inquiris pro iniuria?

Syr. Mentionem mihi facis criminis mulierculæ?

Arab. Et tu impropereas mihi culpam?

Vulg. Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodo iurauit Dominus Dauid, sic faciam cum eo.

Sep. Rom. Quia sicut, &c. ipsi Dauid, quia sic faciam in die hac.

Vulg. Vt transferatur regnum de domo Saül, & eleuetur thronus Dauid super Israël, & super Iudam, à Dan vsque Bersabee.

Pag. Transire faciendo, &c. & erigendo solium Dauid.

Malu. Ad surgere facere.

Cald. Ad statuendum.

Arab. Stabilire sedem.

Vulg. Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat eum.

Malu. Et non potuit adhuc ad reuertere facere ad Abner verbum de timere eum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Regebat Domum Saül, Alij, *Se tenebat pro domo Saül.* Id est, secundus à rege erat, omnia ad libitum agens. *Et tu requisisti in me, quod argueres pro muliere?* Alij, *Visitasti super me iniquitatem mulieris?* Id est, vt quid me increpas, quod rem habuerim cum muliere, cum debueris ad hoc conuiuere, cum à me tantis beneficiis affectus?

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 §. 6.

Cum ergo esset prælium, &c. Hic consequenter describitur ipsius Abner cum Dauid fœdus, & primo describitur huius confœderationis occasio, secundo ipsa confœderatio, ibi: *Misit ergo.* Occasio autem fuit turbatio Abner contra Isboseth occasione cuiusdam mulieris, & notatur, cum dicitur.

LYRAN.
 §. 7.

Fuerat. Id est, vxor non primaria, sed primæ adiuncta, sic enim nominantur secundæ uxores in veteri testamento, vt patet in pluribus locis.

LYRAN.
 §. 8.

Quare. Dicunt aliqui quod Abner ingressus fuit ad eam

C concubitu matrimoniali, sperans per hoc obtinere regnum, sicut & Adonias petiuit Abisai habere uxorem, vt habetur infra lib. 3. c. 2. Alij autem dicunt, quod ingressus fuit ad eam fornicariè quod redundabat in verecundiam Isboseth filij Saül: & ideo si primo modo fuerit vel secundo, merito displicuit ipsi Isboseth.

Qui iratus nimis, &c. Eo quod multa fecerat propter ipsum Isboseth.

Numquid caput canis ego sum? Id est, vilis, & abominabilis sicut canis caput, erga tribum Iuda, de qua

erat Dauid. Vel aliter: *Caput canis*, id est, latrans contra Dauid, & tribum Iuda, ne obtineant regnum contra te.

Et tu requisisti, &c. Quasi diceret: bene deberes tacere.

Numquid caput canis ego sum aduersum Iuda hodie, tu requisisti in me, quod argueres pro muliere hodie (aduersum) sumitur pro (coram,) sicut & ibi; & *manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Græcè ἐν ὄμω. Et sensus est. Numquid apud Iudam, & eos qui sequuntur partes Dauidis, sum ego adeo contemptus, & nullo in prætio habitus, vt non verearis, ne ad Dauidem transfeream vniuersum regnum Israël? Sicut enim canis per se est animal contemptum, ita in primis caput eius à corpore resectum est contemptibilissimum. Apud Sep. non legitur illud (*aduersum Iuda*) hoc loco.

Quare ingressus es, &c. Merito factum Abneris molestè tulit Isboseth, siue Respham regiam concubinam, hoc est secundariam vxorem, habere ipse voluerit in matrimonio, vt hac ratione sibi ad regnum viam muniret, vt postea Adonias Abisag Sunamitidem: siue ea vt pellice abuti, hoc enim ad Isboseth dedecus, vt illud ad regem amittendi periculum pertinebat.

Numquid caput canis, &c. Canem pro re vili, & abiecta vsurpat, quomodo locutus etiam fuerat Dauid 1. Reg. 24. 15. Saulem alloquens. Volebat noxam sine reprehensione dissimulari tanquam viro de Isboseth, vt regno optime merito.

Aduersum Iudam. Quasi dicat, adeone vilis, & regno tuo in hoc certamine aduersus Iudam, quod hodieque durat inutilis sum?

Fecerim misericordiam. Regnum tuum labans fulciendo, & te in Dauidis manus non tradendo.

Et tu requisisti in me, &c. Et tu ne hanc quidem gratiam mihi reddidisti, vt leuem culpam mihi tacitus condonares. Arrogans, & inuerecunda expositulatio, hominis pro benefactorum præmio peccandi impunitatem exigentis.

Numquid caput canis ego sum aduersum Iudam hodie? Exprobrat Abner regi Isbosetho ingratitude, & obliuionem tanti in se collati beneficii, vtpote quem propter mulierculam sic tractet, quasi foret vilissimum manci-

pium, & fœtus canis: cum tamen contra tribum Iuda, omnesque Isbosethi aduersarios se vt accerrimum leonem semper exhibuerit.

Hac faciat Deus, &c. Id est, tot mala, & plura quam alicui misero.

Nisi quomodo iurauit Dominus. Hoc est nisi impleam verbum Domini.

Hac faciat Deus Abner, &c. Ita execrans loquebatur Abner mala enumerans quæ sibi euenirent, si secus faceret ac iurabat.

Iurauit Dominus Dauid. Non apparet vbi iurauerit, sed vt diuinæ promissionis firmitatem significet Abner, iurasse ait.

Quomodo iurauerit Dominus Dauidi, sic faciam cum eo. Nempe, vt te depresso, Dauid omni Israël domine- tur. Non apparet ex Scripturis vbi id iurauerit Dominus Dauidi. Vti nec quod paulo post ibidem Abner dicit v. 18. *Dominum loquutum esse ad Dauidem,* seu de Daide, *In manu serui mei Dauid, saluabo populum meum Israël de manu Philistiim.* Sed Iosephus dicit, hoc oraculum à Samuele Propheta editum fuisse. Iuramento vero significabatur diuini promissi firmitas, & certitudo.

Vt transferatur regnum, &c. Ad Dauid. *Regnum tuum.*

Vt transferatur regnum. Si sciuit Abner cum Isbosethum admouit ad regnum, hoc diuina voluntate Dauidi debere, peccauit, Isbosethum regem faciendo, nec illud Isboseth eiusdem Dauidici iuris conscius, saluo officio admittere potuit, aut retinere, si nesciuit, iam bona fide regnum adeptum, illudque tenentem sua possessione priuatus principem deiicere non potuit. Vide Abulens. 2. Reg. c. 3. quæst. 7.

A Dan vsque Bersabee. Qui sunt extremi fines ditionis Israëlitarum.

Et non potuit, &c. Tum quia Isboseth non erat homo alicuius valoris: tum quia Abner regebat totam domum illam, & habebat in manu sua totam militiam.

Non potuit ei respondere quidpiam. Intempestiua fuit ob- iurgatio quæ odium tantum peperit. Nec mirum Isboseth Abner timuisse, quando etiam Dauid Ioab peccantem punire, aut reprehendere ausus non est, infra hoc capite numero vltimo.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 12. ad 19.

Vulg. Misit ergo Abner nuntios ad Dauid pro se dicentes: Cuius est terra? Et vt loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuersum Israël.

Pag. Loco sui. Pange pactum tuum mecum.

Malu. Exscinde fœdus tuum.

Malu. Misit sub se.

Sep. Rom. Misit in Thalam vbi erat secreto, dicens: Dispone testamentum mecum.

Cald. Firmo ego in eo qui fecit terram.

Arab. Quid est hæc terra?

Vulg. Qui ait: Optime: Ego faciam tecum amicitias: sed vnam rem peto à te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saül: & sic venies, & videbis me.

Pag. Pango tecum pactum, &c. quando venies ad videndum faciem meam.

Malu. Veruntamen verbum vnum ego exostulans de ad te.

Cald. Ego pangam tecum firmitatem.

Vulg. Misit autem Dauid nuntios ad Isboseth filium Saül, dicens: Redde vxorem meam Michol, quam despondi centum præputiis Philistiim.

Vulg. Misit ergo Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel, filio Laïs.

Sep. Rom. A Phaltiel filio Selles.

Vulg. Sequebaturque eam vir suus, plorans vsque Bahurim: & dixit ad eum Abner: Vade, & reuertere. Qui reuersus est.

Malu. Et ambulauit ad eam vir eius ambulare, & lachrymari post eam.

Vulg. Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israël, dicens: Tam heri quam nudiustertius quærebatis Dauid vt regnaret super vos.

Cald. Verbum Abner fuit, &c.

Vulg. Nunc ergo facite quoniam Dominus locutus est ad Dauid, dicens: In manu serui mei Dauid saluabo populum meum Israël de manu Philistiim, & omnium inimicorum eius.

Sep. Rom. De manu omnium inimicorum eorum.

Reg. Eius.

Cald. De manu omnium authorum inimicitiarum eorum.

Vulg. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit vt loqueretur ad Dauid in Hebron, omnia quæ placuerant Israël, & vniuerso Benjamin.

Pag. Locutus est in auribus Benjamin, &c. quod bonum erat in oculis Israël.

Cald. Omne quod rectum erat.

Syr. Post assensum totius Israël.

Arab. Vbi gratum fuisset visum negotium toti Israël.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Misit nuntios pro se, Alij, Loco sui: id est nomine, Alij, Pro eo: id est, hac occasione motus, Alij, Sub se, id est, de loco in quo erat. *Sep. Rom.* addunt. *In Thalam, vbi erat, secreto!* Quod non est in Reg. sed solum in Chebron. *Cuius est terra.* *Cald.* Firmo ego in eo qui fecit terram, Alij, *Ad quid terra ista?* Id est, ad quem

hæc regio pertinet, nisi ad te, cui Deus imperium derulit: *Et sic venies, & videbis me.* Alij, *Quando venies ad videndum faciem meam.* Id est, cum veneris, ad ducito mihi Michol.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 12.

Misit ergo. Posita occasione confœderationis cum Dauid, hic consequenter ponitur ipsa confœderatio, & primò per nuntios: 2. per seipsum, ibi: *Et abiit.* Circa primum dicitur. *Misit ergo Abner nuntios, &c.* Ad videndum qualiter posset cum eo fœdus contrahere.

Dicentes. Scilicet ex nomine Abner.

Cuius est terra? Quasi diceret: Tua de iure, ex quo voluit te Deus in regem eligere. Cætera patent vsque ibi.

MENOC.

Cuius est terra? Quasi dicat, nonne ad te, vt regem pertinet?

Fac mecum amicitias. Postulat recipi à rege, & præcipuis dignitatibus ab illo dari.

TIRINVS

Cuius est terra?] Insinuat Abner, se totam terram, totamque rem Israëliticam in sua manu ac potestate habere, & nullo negotio posse in quam voluerit partem inflectere. Et quidem promptum paratumque se, vt ab Isbosetho totam in Dauidem transferat, si ille secum *amicitias facere*, id est, obliteratis antiquis similitudinibus, habere se inter amicos suos, & quidem primos, ac regi proximos, vt explicat Iosephus, & quod consequens est, præcipuis dignitatibus atque officiis regni condecorare, voluerit. Et Dauid quidem lætus conditionem admisit, neque tamen Abneris culpæ, aut proditoris particeps fuit; vt qui iure sibi calitus concessio veteretur. Cum enim sciret Dauid vniuersum regnum diuino decreto sibi deberi, poterat illud sibi quacumque via commoda licitaque vindicare. Et quamuis pollet aut cruenta victoria, aut inuitis subditis id rapere: volentibus tamen ab æmulo desciscere, & ad se transire, deesse non voluit. Ad voluntatem quoque peruersam Abneris non nisi permissiuè se habuit, eamque in rem suam conuertit, ferè sicut Deus studiis impiorum vititur ad bonos inde effectus eliciendos.

LYRAN.
v. 13.

Non videbis faciem meam, antequam adduxeris mihi Michol. Volebat enim Dauid, & debebat præcauere honori suo. Fuerat enim Dauid vxore sua iniuste spoliatus, & ideo in primis voluit eam sibi restitui.

MENOC.

Optime: ego faciam tecum amicitias. Nec propterea Dauid peccauit, qui iure suo, & Abneris peccato in bonum & commodum suum vsus est.

Antequam adduxeris Michol, &c. Causa repetendæ vxoris amor fuit quo Michol prosequeretur, & vt illam in adulterio cum suo dedecore amplius hæere non pateretur, & fortassè etiam, quia quoddam ad regnum suffragium videbatur, si Saülis, qui regnauerat, filiam haberet in matrimonio.

LYRAN.
v. 14.

Misit autem Dauid nuntios ad Isboseth. Quia Abner rescripserat ipsi Dauid, quòd non poterat sibi reducere Michol, nisi de voluntate Isboseth, cuius erat soror: & ideo tunc Dauid petiuit eam ab ipso Isboseth.

MENOC.

Redde vxorem meam Michol. Repetit etiam ab Isbosetho vxorem, vt regi, & vxoris suæ fratri id honoris deferret, ne eo inconsulto, & non consentiente Michol reuocaret, vtque sibi eum conciliaret, ne occasionem nouis iurgiis præberet inter ipsum Isboseth, & Abner. Tandem ne fœdus factum cum Abner patesceret.

LYRAN.
v. 15.

Misit ergo Isboseth. De consilio Abner.

Et tulit eam à viro suo Phaltiel filio Laïs. Phaltiel non erat vir suus nisi putatiuus, quia secundum veritatem, numquam fuit licitum mulieri habere plures viros simul.

Misit ergo Isboseth. Non repugnauit Isboseth sentiens Dauid irritandum non esse eo tempore quo Abner alienato erat animo.

Sequebaturque, &c. Dicunt expositores nostri communiter, quòd plorabat ex gaudio, eo quòd ad virum suum reducebatur absque hoc quòd eam terigisset, sed sicut fororem seruasset. Erat enim Doctor in lege, & sciebat sibi esse illicitum eam tangere carnaliter ipso Dauid viuente, sicut dictum fuit supra 1. lib. 25. Ra. Sa. dicit quòd flebat dolens, eo quòd exercitium perfectionis ab eo recedebat. Reputabat enim exercitium magnæ perfectionis talem dominam sic pulchram, & nobilem seruare, sicut fororem, absque copula carnali.

Sermonem quoque, &c. Id est, vt adhærerem ipsi Dauid sciens, quòd alij vulgares istos de facili sequerentur.

Sermonem intulit ad seniores, &c. Videtur Abner palam de regni translatione egisse, cum nihili faceret Isboseth precario regnantem, vtque eum, cui erat iratus, magis contemneret.

In manus Dauid saluabo populum meum. Ne videatur proditor, vindictam in Isboseth exercere specie exequendi diuinam reuelationem.

Locutus. Id est, ad illos de tribu Benjamin: istos enim oportebat specialius, & efficacius inducere, eò quòd in promotione Dauid transferebatur regnum de tribu eorum.

Et abiit vt loqueretur, &c. Consequenter describitur confœderatio Abner per seipsum, quia personaliter venit ad Dauid. Et primò describitur huiusmodi confœderatio amicabile: secundò fœderis violatio detestabilis, ibi: *Nuntiatum est itaque.* Tertio occisi tumulatio venerabilis, ibi: *Dixit autem Dauid.* Circa primum sciendum, quòd ista confœderatio fuit amicabile, tum ex parte Abner venientis, quia ante inclinauerat corda filiorum Israël ad Dauid, vt patet ex prædictis: tum ex parte Dauid recipientis, quia cum amicabiliter, & honorificè receperat. Et hoc notatur, cum dicitur.

Et vniuerso Benjamin. Quæ tribus peculiariter nominatur, quia in Saül Beniaminitam, eiusque domum benè erat affecta.

Et abiit, Abner, specie deducendæ Micholis, ad Dauid in Hebron, vt loqueretur.] Id est, exponeret ei mentem totius populi Israëliti, iam persuasi vt vltro regnum tum in Dauidem transferret. Et iam transfegerat Abner cum Dauide, ibatque collectum capita populi, & exercitus, vt publicum nouo cum rege fœdus, & pacta de more inirentur. Sed nequitia, & dolis Ioabi ex itinere reuocatus, in ingressu vrbs Hebron ab eodem proditoriè confossus interiit, Abisai fratre Ioabi adstante, & opem, si Ioab equisset, parante: vnde v. 30. tam Abisai, quam Ioabo cædes hæc adscribitur.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 20. & 25.

Vulg. Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris, & fecit Dauid Abner, & viris eius qui venerant cum eo, conuiuium.

Arab. Conuiuium grande, & sumptuosum.

Vulg. Et dixit Abner ad Dauid: Surgam, vt congregem ad te dominum meum regem omnem Israël, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset Dauid Abner, & ille issit in pace.

Pag. Percutiant tecum omne fœdus. Regnabis secundum omne.

Tigur. Pro animi tui voto.

Malu. Abiit ipse in pace.

Vulg. Statim pueri Dauid, & Ioab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum Dauid in Hebron, quia iam dimiserat eum, & profectus fuerat in pace.

Pagn. Veniebant è castris, & adducebant secum prædam.

Arias. Venit ex agmine.

Caiet. A congregatione,

Vatab. Venire fecerunt prædam.

Malu. Venit de latrocinio.
Alij. Veniebat è turma hostium.
Sep. Rom. Adueniebant ab excursione.
Reg. Ab exitu.
Syr. Redibant à turma quadam spolianda.
Vulg. Et Ioab, & omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerunt: nuntiatum est itaque Ioab à narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, & dimisit eum, & abiit in pace.
Cald. Et omnis copia, quæ cum ipso venerunt, & indicauerunt Ioab.
Syr. Et dimisisse eum incolumem.

Vulg. Et ingressus est Ioab ad regem, & ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, & abiit, & recessit?

Malu. Et ambulavit ambulare.

Cald. Er abiit eundo.

Vulg. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, vt deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum, & nosset omnia quæ agis?

Malu. Quia ad persuadere te venit.

Sep. Rom. Nonne nosti malitiam Abner?

Cald. Quia ad errare faciendum te venit.

Syr. Ad pelliciendum te venisse.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fecit conuiuium: Arab. addit, Grande, & sumptuosum, id est, regium. Et ineam tecum foedus. Aliqui, Percussit, id est Israëlita. Venerunt casis latronibus. Alij, E castris, à congregatione. גודד *gedud* significat etiam latrocinium. *Sep. Reg.* Ab exitu, id est, de quadam expeditione. Abiit, & recessit, Alij, Ambulavit ambulando. Id est, abiit securus, nihil timens.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *Y. 20.* **E**T fecit David Abner conuiuium. Valde solemne, in A fœderis signum, similiter ex parte Abner recedentis, ad hoc enim à rege recessit, vt promissum impleret in effectu, quod notatur ibi.
- MENOC.** *Y. 21.* **F**ecit David Abner conuiuium. Voluit David honorare Abner, cui se obstrictum sentiebat, & propter reductam Michol, & propter conciliatam tribuum voluntatem, vt rex esset Israëlitis vniuersi. Idcirco etiam abeuntem honorificè deduxit num. 21. seq.
- LYRAN.** *Y. 21.* **S**urgam vt congregem, &c. Similiter ex parte David cum dimittentis: quia ad ipsum honorificandum conduxit eum per aliquod viæ spatium: ideo subditur.
- MENOC.** *Y. 22.* **C**um ergo deduxisset, &c. Cætera patent in litera.
- MENOC.** *Y. 22.* **I**neam tecum foedus. Vt publica ceremonia, & populo præsentate, & spectante sanciretur, quod per Abner actum erat cum senioribus.
- MENOC.** *Y. 22.* **C**asis latronibus. Abulensis putat fuisse Philistæos, qui Davidis regnum excursionibus infestarent.
- LYRAN.** *Y. 23.* **N**untiatum est itaque. Hic consequenter ostenditur fœderis violatio detestabilis: primo in ipsius Abner falsa diffamatione, cum subditur postea.
- MENOC.** *Y. 24.* **Q**uid fecisti? &c. Timens sibi Ioab ne Abner se gratior aut potentior fieret apud regem, illum in inuidiam vocare conatur, & odium regis. Hæc præcipua Ioabo causa fuit eorum, quæ in Abner molitus est. Accessit etiam odium ex cæde Asaelis, de qua supra c. 2. n. 23.
- LYRAN.** *Y. 25.* **Q**uare dimisisti eum? Immeritum Dauidem increpat, qui datam fidem Abnero vt securè ad se veniret, fallere non potuit.
- LYRAN.** *Y. 25.* **I**gnoras Abner, &c. Quod erat falsum, vt patet ex præcedentibus, quia venerat ad hoc, vt perficeret regnum eius. Secundo in subdola eius reductione, cum dicitur.
- MENOC.** *Y. 25.* **I**ntroitum, & exitum tuum. Quo scilicet statu res sint.
- MENOC.** *Y. 25.* **I**gnoras Abner filium Ner. Quali diceret, ignoras Abneris subdolum, & fallax ingenium.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 26. ad 29.

Vulg. Egredessus itaque Ioab à David, misit nuntios post Abner, & reduxit eum à cisterna Sira, ignorante David.

Lyran. A cisterna spinæ.

Caiet. A puteo spinarum.

Sep. Rom. Misit nuntios ad Abenner retro, & redite fecerunt eum à fonte Secran.

Cald. A cisterna Zziratha.

Syr. A Chereth Syra.

Arab. E Carmelo.

Vulg. Cumque redisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei, in dolo: & percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris eius.

Pag. Diuertere fecit in media porta, & percussit ibi in quinta costa.

Arias. Ad loquendum ei in quiete.

Caiet. Ad loquendum in momento.

Vatab. Sermonibus blandis.

Tigur. Insidiosè.

Malu. In tranquillitate.

Alij. Per amici colloquij speciem seduxit, peremit.

Sep. Rom. Diuertere fecit eum à latere portæ ad loquendum cum eo insidians.

Cald. Percussit in latere femoris.

Syr. Alcondit eum Ioab intra portam; prætextu alloquendi eum, &c.

Arab. Percussit eum in ventrem.

Vulg. Quod cum audisset David rem iam gestam, ait, Mundus ego sum, & regnum meum, apud Dominum, vsque in sempiternum, à sanguine Abner filij Ner.

Pag. Innocens ego, & regnum meum cum Domino.

Arias. A sanguinibus Abner.

Malu. Vacuus ego.

Sep. Rom. Regnum meum à Domino.

Vulg. Et veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fufum, & cadens gladio, & indigens pane.

Pag. Fluens, & tenens scipionem.

Lyran. Et tenens in baculo.

Arias. Ne excindatur de domo Ioab.

Caiet. Stillans.

Malu. Dolebunt super caput, & pfora perfossus, & obtinens in scipione, & defectus panis.

Alij. Cum dolore ingruant.

Sep. Rom. Incurrant super caput Ioab, &c. & tenens scytalam,

Reg. Scuticam.

Aquila. Cæcus.

Cald. Stillent, &c. apprehendens mercedem, & deficiens victu.

Arab. Non careat stillatione seminis, qua contrahitur impuritas, & qui phytisi, lepraque laboret, neque careat paupere, qui capillos neat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

A Cisterna Syra, Alij, *A cisterna spina, à fonte Segrah.* Hebræam dictionem intactam reliquit noster Interpres, cum aliquibus aliis: existimant enim nomen proprium loci esse: alij appellatiuè verterunt, erat enim, inquit noster Lyran. ibi quædam spina notabilis à qua locus ille donominabatur. Et fortasse erat ibi via eundi in Syriam. *In dolo:* Alij, *In tranquillitate, insidiosè, &c.* Heb. *בשחלי* *bascheli*, cui plurimæ subiiciuntur denominationes, in tranquillitate, blandè, in momento, insidiosè, dolosè, per errorem, &c. vt scilicet clam ferro incautum, trun- cidaret. *In inguine,* Alij, *In quinta costa.* Vide Concord. v. 23. cap. præced. *Veniat super caput Ioab,* Alij, *Incurrant super caput, doleant.* Heb. *יחול* *iachulu*, quod futurum variè redditur: vnde notant quidam, id verbum quando construi- tur cum præpositione, al- tum significare dolorem, cruciatum, ascendere, seu imminere super aliquem. *Tenens fusum,* scipionem, baculum, scuticam, Heb. est *מכשק בפהלך* *machasik baphelech*, quod Cald. exponit *אגאר* *aghar*, mercedem apprehendens, sed ad sensum, non ad verbum. Sept. *συντάλην*, quod Complutenses interpretantur scuticam: significat etiam interdum scipionem, baculum, fusum, colum: qui baculum, & scipionem vertuat, sic exponunt; & sit valetudi- narius, podagricus, aut cæcus, aut claudus, adeo vt indigeat baculo, vt se sustinere valeat. Qui fusum, hunc sensum reddunt; vt muliebri, vili, & pauperulo opere, quale in fuso vertendo, victum quærat: *פלהלך* *phelech*, enim significat propriè bacillum tenuem, & teretem, quem noster fusum dixit, & postumus Græcam vocem accipere, de huiusmodi bacillo tenuiore, seu furculo, quale fusum, & qualis scytala, vt habent Sep. Rom. laconica, de qua quidam in adagio, tristis scytala. Indicatur ergo vilis, & effœminatus animus, nam fusus, muliebri instrumentum, & ideo effœminatos remittit vulgus ad fusum & colum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *M*isit nuntios. Ad reducendum eum quasi rex habe- A
ret cum eo loqui, & sibi dicere aliqua quæ omisit-
set, quod tamen fuit fictum, & absque scitu Dauid, vt pa-
ter in littera.
Et reduxit eum. Sic autem vocabatur locus ille, eò quod
cisterna illa erat in quadam via communi eundi versus Sy-
riam, vt dicunt aliqui. In Hebræo habetur: *A cisterna*
spina. Quia ibi erat quædam spina notabilis, & gra-
tiosa. Tertio ostenditur detestabilis ex dolosa occisione,
cùm dicitur.
- MEN OC.** *Reduxit eum.* Reuocauit nomine Dauid.
Cisterna Syra. Siue vt alij vertunt, *In puteo spinarum.*
Quem Iosephus ait viginti stadiis Hebrone distitum, hoc
est, duobus milliariibus Italicis cum dimidio.
- LYRAN.** *Adduxit eum.* Fingendo quod vellet ei loqui secretè ex
parte Dauid, ideo subditur.
Vt loqueretur. Quod patet ex effectu, cùm subditur.
Et percussit illum. Quia in nullo sibi præcauebat cre-
dens esse in tuto, eò quod iam erat cum rege Dauid con-
fœderatus: & per consequens cum omnibus aliis de domo
regis: quartò ostenditur detestabilis ex parte causæ, cùm
dicitur.
- In ultionem.* Quæ causa erat nulla, eò quod Abner in-
terfecerat eum in bello se defendendo, nec potens aliter
manum eius euadere, vt patet ex supradictis. Aliqui vero
dicunt, quod non solum interfecit eum pro ista causa, sed
motus inuidia: quia timebat ne Dauid faceret Abner prin-
cipem militiæ, sicut fuerat cum Saule, & hoc est satis ve-
rissimile: quia ex simili interfecit Amasan, vt habetur in-
frà 20. cap. & hoc fuit pessimum: propter quod Dauid
detestans istud factum, dixit.
- MEN OC.** *Vt loqueretur ei in dolo.* Id est, finxit se velle ipsum re-
motis arbitris alloqui nomine regis,
In ultionem sanguinis Asael. Vt ipse Ioab dicebat, &
credi volebat. Potior tamen causa ea fuit, quam dixi nu-
mero 24.
- TIRINVS** *In ultionem sanguinis Asael, &c.* Nempe hæc causa
publicè spargebatur, etiam ab ipsis homicidis: vera tamen
causa, quæ maximè Ioabum ad id facinus impulit, vide-
tur fuisse inuidia, æmulatio, & ne sibi Abner in principa-
tu militiæ sufficeretur. Ita Iosephus, Magister historiae
Scholasticæ, Procopius, Dionysius, Lyranus, Serarius,
Salianus. *Sciebat enim fore* (inquit Theodoretus) *vt ille*
præfesset exercitui, qui vniuersum Israël adducebat ad re-
gem. Et vero eandem ob causam idem Ioab, eadem perfid-
dia occidit etiam Amasam, quod & illum timeret sibi du-
cem successurum, infrà cap. 20.
- LYRAN.** *Mundus ego sum.* Volebat enim sciri ab omnibus, quod
talis proditio non erat facta per eum: tum quia horrebat
tale homicidium, tum quia si populus habuisset eum sus-
pectum de hoc facto, merito abhorruisset eius dominium:
propter quod imprecabatur facientibus multiplex malum,
A
dicens.
Quod cum audisset Dauid, regem iam gestam, ait; Mun-
das ego sum, & regnum meum apud Dominum à sanguine
Abner filij Ner. Quæritur quare tanto studio conetur Da-
uid se purgare ab interfectione Abner? Et non potius Ioab
eius interfectorem punierit? Respondeo ad primum, ideo
se Dauid tam studiosè apud populum de hac cæde excusat,
quia alioqui populus faciliè suspicari potuisset, id factum
fuisse iussu, vel consensu Dauidis, eò quod Abner apud
Isboeth esset primæ authoritatis, & proinde eo mortuo,
facilius totum regnum Israël ab Isboeth ad Dauidem pos-
set transferri, & per hoc animus populi potuisset à Dauid
tanquam à tyranno alienari.
Quare autem Dauid hoc tantum scelus Ioab non punie-
rit supplicio capitis, maximè cum lex præcipiat, quod non
sit permittendus viuere, qui volens innoxium sanguinem
fuderit? Respondet ipse Dauid, dicens sub finem huius ca-
pitis de Abner occiso: *Num ignoratis quoniam princeps, &*
maximus cecidit hodie in Israël? Ego autem adhuc delicatus,
& vnctus rex. Porro viri isti filij Saruia duri mihi sunt,
quasi dicat, Ego adhuc tenellus sum, & recens in regno, &
regnum meum nondum satis firmatum est, & stabilitum: ac
proinde nondum possum, sicut oprarem, animaduertere
in istum Ioab, eiusque complices huius cædis authores.
Nam erant hi principes militiæ Dauid, qui sic faciliè po-
tuissent totum exercitum ab eo abducere. At obiicies. Di-
citur Eccl. 7. *Noli velle fieri iudex, nisi valeas virtute per-*
rumpere iniquitates. Respondeo: Quando quis voluntate
assumit principatum, debet hoc considerare, vt sit satis
potens contra malos, Dauid autem à Deo specialiter vo-
catus ad regnum, paulatim, secundum quod res, & tem-
pus permittebant, regnum suum stabiluit. Vnde & hoc
ipsum quoque factum Ioab tandem puniuit, per filium
suum Salomonem: data ei hac de re, antequam morere-
tur, certa instructione. Discimus autem ex hoc loco prin-
cipes Catholicos aliquando rectè dissimulare quædam, to-
lerare, & differre, vt opportuno tempore puniant, nem-
pe quando alioqui metuumendum esset magnum incommo-
dum Reipublicæ, vt in puniendis exactè hæreticis, & si-
milibus.
Et regnum meum. Deus enim propter principum pec-
cata subditos nonnumquam immisissis plagis plectit.
Cum audisset Dauid rem iam gestam.] Vt tanti sceleris
suspicionem à se amoliretur. Primo, publicè protestatur,
id se inconsulto atque inscio patratum. Secundo, diui-
nam ultionem in Ioab, totamque patris eius familiam im-
præcatur, & prædicat, nempe posteros eius alios fore *go-*
norraeos, seu feminifluos, qui morbus apud Hebræos
erat fœdissimus, maximeque abominabilis, Leu. 15. & N. 5.
Alios *leprosos*, nihilo minus detestandos, Leu. 13. Alios *re-*
uentes fusum, quod mulierosorum, & imbecillum est, &
viris cordatis extremè probrosus, vt patuit in Sardanapalo,
ESTI

Hercule, Narsete & similibus. Alios *cadentes gladio*, seu ap-
 perto Marte, seu struendis pari dolo insidiis. Alios deni-
 que *indigentes pane*, quod apud Hebræos inter maxima
 quodque infortunia numerabatur. Neque tam dira execra-
 tione contentus, Tertio, iubet ipsi etiam homicidæ Ioabo,
 totique aula suæ, & toti populo, vt scissis vestibus & saccis
 induti prosequantur funus Abner, eaque signa publici lu-
 ctus edant, quæ non nisi in maximorum principum exe-
 quiis præstari solent. Quarto, ipse quoque rex idem funus
 sordidatus sequitur, & lugubri planctu ac ferali epicedio,
 tanti principis miserimum casum simul & heroicæ virtu-
 tes prosequitur. Quinto, noluit interesse publico epulo fu-
 nebri, quod Hebræi (quos postea secuti sunt Athenienses,
 & Romani, & penè omnes aliæ gentes) maximo sumptu
 instruere solebant: sed totum diem ieiunus transegit. De-
 nique nihil omnium prætermisit quæ vel fratri defuncto,
 vel patri proprio, vel integerrimo amico, cui quàm opti-
 mè vellet, deservendo, lugendo, parentando præstare aut
 debuisset aut potuisset. Quibus omnibus id saltem obti-
 nuit, vt omnis populus iam certus esset, regem ægertri-

mo animo mortem Abneris ferte, nedum illius auctorem
 esse, aut conscium fuisse. Verùm cur passus est Ioabum
 tanti sceleris auctorem viuere, & quidem impunitum, &
 ne vel minima seu honoris, seu dignitatis parte minutum?
 Respondet ei obiectioni Dauid.

Veniat super caput Ioab. Scilicet vindicta à Deo pro san- LYRAN
 guine Abner effuso. Et imprecatur quinque mala, vide- V. 32.
 licet fluxum feminis, lepram, & debilitatem, ibi:

Tenens fufum. (Hebræi dicunt appodiamentum) &
 gladium, & famem.

Super omnem domum patris eius. Quatenus scilicet ad ip- MENO
 sum aliqua ratione pertinent, aut ad eius fratrem Abifai
 sceleris participem vt patet ex num. 30.

Tenens fufum. Id est, egenus, qui vili, ac muliebri opi-
 ficio vitam sustentet. Alij pro fuso ex Hebræo legunt *sci-*
pionem, quo scilicet ob corporis imbecillitatem nitatur,
 aut quo egeat vt pertentet viam; quia cæcus. Septuaginta
 eundem sensum exhibent, qui habent *κατάλιον κρατῆρ*
uirgam, aut *rudem manu tenens*.

Cadens gladio. Occisus scilicet.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 30. ad 34.

Vulg. Igitur Ioab & Abifai frater eius interfecerunt
 Abner, eò quod occidisset fratrem eorum, in Gabaon
 in prælio.

Malu. Interfecerunt ipsi Abnero.

Sept. Rom. Captabant Abeaner.

Reg. Obseruabant.

Vulg. Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum,
 qui erat cum eo, scindite vestimenta vestra, & accingi-
 mini saccis, & plangite ante exequias Abner, porro rex
 Dauid sequebatur pheretrum.

Arius. Plangite ad facies Abner,

Malu. Rex Dauid ambulans post lectum. Ita *Sept. Rom.*

Reg. Ante pheretrum.

Vulg. Cumque sepelissent Abner in Hebron, leuauit Rex
 vocem suam, & fleuit super tumulum Abner: Fleuit au-
 tem & omnis populus.

Vulg. Plangensque Rex, & lugens Abner, ait, Nequa-
 quam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner.

Lyrans. Non sicut moritur stultus.

Arius. Lamentatus est & dixit, non secundum mortem

vilis morietur Abner.

Malu. An sicut mori defluens.

Alij. Nequaquam facinorosorum more periit.

Sept. Rom. Si iuxta mortem Nabal.

Cald. An sicut moriuntur impij.

Arab. Doluit Rex de Abnero, & ait, eadem morte, quæ Io-
 nathas mortuus est.

Vulg. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui, non sunt
 compedibus aggrauati, sed sicut solent cadere coram
 filiis iniquitatis, sic corruisti, congeminansque omnis
 populus fleuit super eum.

Pag. Et pedes tui non in compedes æris appropinquare
 facti sunt.

Malu. Non duobus æribus accedere facti sunt.

Sept. Rom. Non accessit vt Nabal, coram filiis iniustitiæ
 cecidisti, & conuenit omnis populus.

Reg. Non addixisti vt Nabal.

Syr. Nec pedes tui catenis adstricti, tamen accessisti vt is
 qui casurus erat.

Arab. Ductus fuisti vt cadens.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Interfecerunt Abner. *Malu.* *Ipsi Abnero*, in datiuo, vt est Hebr. *לְאִבְנֵר* *leabner*: Et ait, est singularis & extraordi-
 naria constructio verbi cum datiuo. Indicare videtur eos magna fraude & perueritate animæ detraxisse, & abstu-
 lisse vitam Abner. *Sept.* solum dicunt *obseruasse eum ad necem. Sequebatur pheretrum.* Alij, *lectum*, In lectis enim so-
 lebant effetri nobiles, qui tamen pheretra nuncupantur: nescio cur *Sept. Reg.* dixerint *ante pheretrum*, cum omnes
 alij habeant *post.* *Nequaquam vt mori solent ignaui mortuus est.* Alij, *Non sicut moritur stultus, &c.* Hebr. est *נָבָל* *nabal*,
 sed exponitur pro *שׁוֹרֵר*, vt sit sensus: non est sicut impij, qui propter impietatem suam occiduntur. *Non sunt compedi-*
bus aggrauati. Alij, *Non in compedes æris appropinquare facti sunt.* Id est, vt habet *Syr.* *Pedes tui non fuerunt catenis ad-*
stricti. Sed sicut cadere solent coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Alij, *Non accessit vt Nabal; coram filiis iniustitiæ cecidisti,*
 id est dolo ac prodicione interfectus es, non autem sicut ignaui & viles in carceribus moriuntur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**ixit autem Dauid. Hic consequenter describitur
 V. 31. *ipsum Abner venerabilis tumulatio ex luctu Dauid*
 & totius populi, & ieiunio, & planctu lugubri, & hoc
 est quod dicitur; *Dixit autem.* In hoc ostendens, quod
 malè fecerat.

Et ad omnem populum. Vt solemnius fieret negotium.

Scindite vestimenta. Hæc enim fiebat apud Iudæos
 in signum magnæ tristitiæ. Cætera parent vsque ibi.

ME NOC. *Dixit Dauid ad Ioab, &c.* Voluit Dauid Ioabum exe-
 quiis Abner interesse, vel vt illum ex populi luctu in cog-
 nitionem, & detestationem patræ cædis adduceret, vel
 ne si desideraretur Ioab cum suis, infrequens esset exe-
 quiarum celebritas.

LYRAN. *Nequaquam.* Ibi ponitur planctus Dauid in speciali.
 V. 33. *Nequaquam vt solent.* Id est, timidi & effæminati, qui
 videntes contra se gladium, permittunt se capi & ligari

absque defensione, ideo subditur.

Manus tuæ, &c. Sed sicut solent cadere viri fortes & LYRAN
 animosi. V. 34.

Coram filiis iniquitatis. Quia sub simulatione amicitia
 & pacis, interficiunt eos dolosè, quos non auderent inua-
 dere manifestè.

Corruisti. Tu Abner virorum fortissime.

Congeminansque. Sicut enim in cantilenis lætitiæ verba
 præcipientis repetuntur ab aliis, in chorea existentibus, sic
 in carmine lugubri Abner, verba Dauid ipsum lugendo
 repetebantur a populo.

Sicut solent cadere coram filiis iniquitatis. Vt ij cadunt MENO
 qui proditoriè, & insidiis circumuenti occiduntur.

Congeminans. Dauidis verba repetens, & luctum inte-
 grans.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 35. ad 39.

Vulg. Cumque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die iurauit dicens, hæc faciat mihi Deus, vel hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem vel aliud quidquam.

Malu. Quia si faciebus venire solem.

Sept. Rom. Venit omnis populus ad cibandum Dauid panibus &c. Quia nisi occiderit sol.

Arab. Suadebat Dauid vt interdiu panem comederet.

Vulg. Omnisque populus audiuit & placuerunt eis cuncta, quæ fecit Rex in conspectu totius populi.

Malu. Et fuit bonum in oculis populi.

Cald. Pulchrum fuit.

Syr. Gratum fuit.

Vulg. Et cognouit omne vulgus, & vniuersus Israël in die illa, quoniam non actum fuisset à Rege, vt occideretur Abner filius Ner.

Malu. Quia non fuit de Rege ad mori facere Abner.

Cald. Quod non fuit per consilium Regis.

Syr. Nequaquam Regis imperio factum.

Vulg. Dixit quoque Rex ad feruos suos: Num ignoratis, quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Israël?

Sept. Quia dux magnus cecidit.

Cald. Quod magnus & dominator.

Vulg. Ego autem adhuc delicatus & vnctus Rex: Porro viri isti filij Saruizæ duri sunt mihi, retribuatur Dominus facienti malum iuxta malitiam suam.

Pag. Adhuc tener, &c. Fortiores sunt me. *Vatab. teste, aliqui vertunt,* facilis vel clemens sum, quamuis vnctus in Regem, at illi inclementiores me sunt.

Malu. Perplexi de à me: pacificabit Iuh, facienti malitiam.

Sept. Rom. Quia ego sum propinquus à Rege, & constitutus à Rege.

Cald. Ego autem humilis.

Syr. Et ego hodie timeo, & animaduerti Rex viros istos firmiores me.

Arab. Retribuat auctori sceleris pro scelere ipsius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ego autem delicatus. Alij, *Tener, clemens*: Vatab. Doctis, inquit, placet hæc interpretatio, scilicet clemens sum, quamuis vnctus sim in Regem, illi autem qui tantum sunt nepotes mei, inclementiores me sunt: ego enim illi peperceram: illi autem eum occiderunt: sed tamen alijs non arridet hæc versio, volunt enim sensum esse. Ego enim sum tenellus, & nouiter vnctus, ideoque debilis & infirmus in regno, & in potestate regia, nec in ea firmatus, illi autem sunt duri & fortiores, vt potè militaribus hominibus acceptiores.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **C**umque venisset vniuersa. Post sepulchrum ipsius Abner.

¶ 35:

Iurauit Dauid. Ad maiorem declarationem suæ innocentiae circa mortem Abner.

Hæc faciat mihi Deus. Id est, tantum malum sicut Abner & plus.

Si ante occasum solis, &c. Et patet littera vsque ibi.

MENOC.

Gustauero panem, &c. Hæc enim & alia exhibitæ amoris signa in Abner, Dauidem à suspitione imperatæ cædis vindicabant.

MENOC.

¶ 38.

Num ignoratis quoniam princeps, &c. Quasi dicat, bene ergo collocata est exequiarum hæc pompa, & celebritas in tantum virum.

LYRAN.

¶ 39.

Porro viri isti. Ioab & Abisai, cum adhærentibus sibi.

Duri sunt. Quia dictum auxilium mihi necessarium subtraxerunt. Sed quæritur hic, quare Dauid eos non puniuit morte, sicut puniuit morte eos, qui occiderunt Isboseth, vt habetur 6. cap. Dicendum quod Dauid erat in principio regni sui, & sola tribus Iuda tunc erat cum eo, quia aliæ tribus adhuc non erant sibi confederatæ. In tribu vero Iuda, inter milites Ioab & Abisai erant principales, & trahebant post se totam militiam, propter quod Dauid eos punire non potuit tunc, propter quod eorum punitionem Deo recommendauit, dicens.

A *Retribuat Dominus.* In fine etiam vitæ suæ punitionem huius facti imposuit filio suo Salomoni, vt habetur infra 3. lib. 2. c.

Ego autem delicatus, & vnctus Rex. Delicatum se vocat, id est, viribus infirmum, & ea potentia nondum præditum, quæ necessaria fuisset vindicando sceleris.

Vnctus Rex. Recens factus Rex.

Duri mihi. Hebr. Chald. & Septuaginta habent, *Duriores me.* (id est, fortiores) seu, *Pra me*, id est, quam vt ferre possim. Non tamen condonata pœna, sed in aliud tempus dilata.

B *Ego autem adhuc delicatus.* Seu tenellus, in primis regni incunabilis, & vnctus quidem Rex, sed necdum fat stabilitus sum.


Porro viri isti, filij Saruizæ, putà *Ioab & Abisai,* Nepotes mei ex sorore, *duri ac molesti sunt mihi,* vt pote ingenio duro & feroci, & quia præfunt exercitui, possent facili negotio omnia turbare, meque & regnum meum euertere. Nolo tamea impune illis esse tantum facinus, sed pœnam in tempus opportunius differo, dum interim stabiliendis rebus meis vtilem ipsi operam nauant.



CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

Isbofeth à duobus militum præfectis in thalamo suo iugulatur. Sed præfecti vicissim, dum caput ad Dauidem deferunt, pro mercede iugulantur.

I.  Vdiuit autem Isbofeth filius Saul, quòd cecidisset Abner in Hebron: & dissolutæ sunt manus eius, omnisque Israël perturbatus est. 2. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen vni Baana, & nomen alteri Rechab, filij Remmon Berothitæ de filiis Benjamin: siquidem & Beroth reputata est in Benjamin. 3. & fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi aduenæ usque ad tempus illud. 4. Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul & Ionatha ex Iezraël, tollens itaque eum nutrix sua fugit: cumque festinaret vt fugeret, cecidit & claudus effectus est: habuitque vocabulum Miphiboseth. 5. Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingressi sunt feruente die domum Isbofeth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormiuit. 6. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater eius, & fugerunt. 7. Cùm autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclauis, & percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite eius, abierunt per viam deserti tota nocte, 8. & attulerunt caput Isbofeth ad Dauid in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isbofeth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam: & dedit Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul, & de semine eius. 9. Respondens autem Dauid Rechab, & Baana fratri eius filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 10. quoniam eum, qui annuntiauerat mihi, & dixerat: Mortuus est Saül: qui putabat se prospera nuntiare, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. 11. Quanto magis nunc, cùm homines impij interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra? 12. Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfecerunt eos: præcidentisque manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isbofeth tulerunt, & sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 1. ad 4.*

Vulg. Audiuit autem Isbofeth filius Saul, quòd cecidisset Abner in Hebron, & dissolutæ sunt manus eius, omnisque Israël perturbatus est.

Pag. Debilitatæ sunt, &c. & omnis Israël territi.

Arias. Remissæ sunt.

Caiet. Laxatæ, & Israël attoniti.

Malu. Remiserunt, &c. & subito terrore percussi fuerunt.

Sept. Rom. Omnes viri Israël remiserunt se.

Vulg. Duo autem viri principes latronum erant filio Saül, nomen vni Baana, & nomen alteri Rechab, filij Remmon Berothitæ de filiis Benjamin: siquidem & Beroth reputata est in Benjamin.

Pag. Principes turmarum.

Arias. Agminum. *Ita & Sept.*

Cald. Principes capita duorum exercituum fuerunt cum filio Saülis.

Arab. Duo viri ex militibus, qui erant cum filiis Saül.

Vulg. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi aduenæ usque ad tempus illud.

Malu. Fuerunt ibi tracti usque ad diem istam.

Arab. Ibi commorati sunt.

Vulg. Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul & Ionatha ex Iezraël, tollens itaque eum nutrix sua fugit; cumque festinaret vt fugeret, cecidit & claudus effectus est: habuitque vocabulum Miphiboseth.

Pag. Erat filius claudus pedibus, &c. Quando venit rumor.

Arias. Percussus pedibus.

Caiet. Quando venit fama. *Alij.* Saucius pedibus.

Vatab. Captus vel fractus pedibus.

Malu. Leauit eum fidelis eius & fugit, & fuit in affectu nare eam ad fugere, &c. & transfatus fuit.

Arab. Affectus pedibus, &c. Fractisque cruribus eius redditus est claudus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dissolutæ sunt manus eius. *Alij,* Remissa, &c. Hebraismus. Id est, cœpit esse animo remisso & animum despondere. *Principes latronum.* *Alij,* Agminum, turmarum, &c. Latrones hîc vocantur milites, qui huc illucque prædatum excurrere solent. (Latrones enim propriè dictos non tolerasset Rex Isbofeth) nam hi Hebr. vocantur גודים *gedudim*, sic enim Romani per latrones intelligebant milites mercenarios, eo quod vt latrones & ex insidiis ad prædandum excurrerent. Sic Iephte vocatur Iud. ii. v. 3. Princeps latronum, id est militum prædantium. *Erant filio Saul.* *Cald.* Cum filio. Ergo fuerunt ante cum illo, deinde fugerunt ab illo, nunc verò dolo armau redderunt. *Debilis pedibus.* *Alij,* Claudus, percussus pedibus, & ideo debilis.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 1.

A *Adiuit autem.* Hic consequenter describitur totalis destructio regni Isboseth per mortem eius. Et primò describitur eius occisio iniqua. Secundo punitio iusta, ibi: *Respondens autem David.* Circa primum sciendum, quod in libro de Hebraicis quæstionibus dicitur, quòd mortuo Abner Isboseth constituit Rechab & Baana, aliàs Baana, qui erant de tribu Benjamin, vt patet in textu, duces suarum expeditionum, vnde hic vbi dicuntur, *Principes latronum*, in Hebræo habetur: *Principes turmarum*, vel *cuneorum*. Postea isti duo de scitu Miphiboseth conspirauerunt in mortem Isboseth, vt Miphiboseth regem instituerent qui erat debilis pedibus, & sic facerent sub eo quicquid vellent. Miphiboseth autem videns se ineptum regno, reuelauit hanc conpirationem auunculo suo, scilicet Isboseth: & tunc illi scientes suum consilium reuelatum, timore Isboseth fugerunt in Gethaim, & fuerunt ibi quousque redirent latenter ad interficiendum Isboseth, vt sic de eo amplius non timerent, & per hoc erga Dauid gratiam & munera impetrarent. Dicitur etiam in lib. de Heb. qq. Sed vbi hoc sit ab eis traditum nescio, maxime quia Ra Sa. qui ordinauit glosas Hebraicas super totum vetus testamentum aliter dicit super locum istum, scilicet de Rechab & Baana: quod erant de ciuitate Beroth, vt habetur in textu. Et quia illa ciuitas licet esset in tribu Benjamin, tamen erat propinqua terræ Philistinorum. Et ideo mortuo Saule filij Israël dimiserunt ciuitatem illam inde fugientes, sicut & de multis alijs ciuitatibus, vt habetur supra lib. 1. cap. vlt. & maxime de ciuitatibus propinquis ipsis Philistæis, postea isti sic fugitiui aggregauerunt sibi multitudinem consimilium hominum, vt de prædis viuerent, & consimili occasione latenter & dolose venerunt ad interficiendum Isboseth, vt per hoc à Dauid munera reportarent. Secundum igitur vtrumque dictum litera in aliquibus locis est aliter & aliter exponenda, quæ tamen pro magna parte patet ex prædictis, secundum vtrumque modum dicendi. Veniamus ergo ad literam. *Adiuit autem.* Quia tales rumores citò portantur.

Et dissoluta. Eò quòd Abner erat princeps militiæ suæ.

MEN OC.

Quod cecidisset Abner in Hebron. Videtur doluisse Isboseth quod ad Dauidem transfisset Abner, nec iam eo extincto spes vlla superesset eum sibi reconciliandi. Eò verò destitutus inops erat consilij, & præsidij.

Dissoluta sunt manus eius. Concidit animo.

Omnis Israel perturbatus est. Vt fieri solet in huiusmodi casibus, animis omnium expectatione suspensis quo res euasura sit.

LYRAN.

v. 2.

Duo autem. Id est, cuneorum currentium super aduersarios ad ipsos spoliandum, propter quod vocantur hic latronum principes, quia in talibus multa etiam latrocinia exercentur.

Filio Saul. Id est, de domo eius, & ab eo instituti super

aturnas: secundum primum modum dicendi secundum Rab. dicuntur principes latronum ad litteram. *Filio Saul.* Id est, insidiantes ei ad interficiendum ipsum rationibus prædictis. Cætera patent ex prædictis vsque ibi:

Principes latronum. Principes ac duces regiæ cohortis, quæ Isbosethi latera cingere solebat.

Beroth reputata est in Benjamin. Vt patet ex libro Iosue cap. 18. 25. & cap. 9. 17.

Duo principes latronum.] Sic olim milites omnes, sed maxime prætoriani, vocabantur, teste Varrone, quasi *laterones*, quòd latera stiparent principum. Vnde Septuaginta, vertunt, *principes turmarum*, Caldæus, *principes exercituum*. Sic 4. Reg. 24. dicitur Deus Ioakimo immisisse *latrunculos* Caldæorum, & *latrunculos* Syriæ & Moab & Ammon, vt disperderent *Iudam*. Et Virgilius quoque & Plautus per *latrones* non raro milites intelligit, teste Festo, & Seruio, & alijs. Hi erant *filiò Saul*, nempe Isbosetho, regiæ cohortis præfecti: qui qua de causa incertum, *fugerunt* ante id tempus ad Philistinos in *Geth*, forsitan vt procul essent ab Abnere sibi ob rem aliquam male gestam infenso. Nunc verò, euulgata morte Abneris, cum vident nutare totum Israël, & singulos rebus suis prospicere; animaduertentes Saülis familiam incertum iam iam interitum ruere, neque ex ea superesse quempiam in quo spes suas figere possent, cum Rex Isboseth imbecillis totus, Miphiboseth verò Ionathæ filius, & mutilus, & puer adhuc esset, alij autem filij Saulis ex *Respha*, vt pote ex concubina nati, non possent ad regnum aspirare, decreuerunt exemplo Abneris gratiam Dauidis, in quem omnium & oculi, & animi conuersi erant, insigni aliquo facinore demereri, putà eadē regis Isboseth, vnicui æmuli Dauidis.

Fugerunt Berothitæ in Gethaim. Hæc vt etiam quæ sequenti versiculo habentur per parenthesis dicuntur: sententia est, Berothitas occasione cladis quæ Israeli accidit cum mortuus est Saul, in Geth apud Philistæos se recepisse ibique mansisse vsque ad tempus quo facer historicus hæc literis consignabat. Hunc sensum exhibet textus Hebræus, Caldæus, & Septuaginta, qui habent *eos tñs inuenerit, usque ad diem hanc*.

Erat autem. Secundum primum modum dicendi fit hic mentio Miphiboseth, eò quòd Rechab & Baana volebant interficere Isboseth, vt facerēt illum regem, vt prædictum est. Secundum Ra. Sa. fit mentio de eo: eò quòd hic Scriptura ostendit qualiter regnum Saul totaliter cessabat, quia post mortem Isboseth de qua in hoc cap. agitur, non remanebat nisi iste claudus ad regnum totaliter ineptus. Cætera patent ex dictis vsque ibi:

Erat autem Ionatha, &c. Etiam hæc obiter, & per parenthesis narrantur occasione fugæ Berothitarum, de qua numero præcedenti.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 5. & 6.

Vulg. Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingressi sunt feruente die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormiuit.

Pag. Ipse dormiebat super in cubiculo meridiano.

Arias. Ipse recumbens cubili Meridiei.

Malu. Ipse cubans cubationem Meridierum.

Cald. Et ille dormiens somnum Regum.

Vulg. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater eius, & fugerunt.

Lyrans. Ecce venerunt vsque ad medium domus, accipientes triticum venerunt.

Arias. Et percusserunt eum in quinta costa.

Caier. Emptores frumenti.

Vatab. teste. Intrauerunt cum emptoribus tritici.

Tigur. Venerunt accepturi triticum, & percusserunt eum in viscera vitalia.

Sept. Rom. Et delituerunt, & intrauerunt in domum.

Cald. In latere femoris eius.

Syr. Ecce venerunt vsque ad interiora domus, & suscipientes maligni.

Arab. Scelerati percusserunt eum in ventrem.

Plures Codices Latini habent, Assumentes autem spicas tritici, latenter ingressi sunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui dormiebat super stratum suum meridie. Alij, *Recumbens cubili Meridiei*. Aliud enim cubile nocturnum, in quo nocte decumbebat, hoc autem Meridianum, sicut erat & cubiculum, in quo tempore diurno quiescebat. Cald. *Dormiens somnum regum*, id est, eo tempore, quo solent reges dormire. Post hæc verba habet Vulg. *Et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit*. Quæ verba non habentur in Compl. exemplari, nec in Reg. nec in Parif. nec in Paruo S. Germani. In codice verò Antuerpiensi an. 1533. obelo prænotata. Plures putant vt Abul. interlinearem glossam fuisse, quæ, vt declararetur, quomodo Baanæ & Rechab ingressus in domum Isboseth patuerit, hæc addiderit, & postea Librariorum imperitia, textui commixta. Sed quis dicit Vulg. nostram, corruptiones aliorum admisisse? Scio aliquos velle diuersas fuisse translationes. Vnam Sept. & alteram D. Hieronymi, sed dicendum olim in emendatis Hebr. codicibus hæc verba fuisse: & scriptorum incuria excidisse. Aliàs ea non Vulg. expressisset neque multo antea addidissent Sept. quæ tam in Rom. quam in Reg. eadem habentur, sicut & in vetustissimis Lat. Cod. M. S. summæ antiquitatis codex Gallicus noster, & *vne femme ki deicit furment venter è lus garder ensement se dormeit*.

Ingressi sunt autem domum latenter assumptes spicas tritici. Inuerso ordine alij legunt, atque ita legendum putant aliqui, quanquam enim prior verborum series ei quæ Hebr. est, conformis sit; censent tamen Interpretem assumptas ab eis spicas maluisse dicere antequam ingressos commemoraret vt fraudulentam ingressus occasionem prius insinueret, nam spicas tritici assumpserant, vt cum domum ingrederentur, nihil mali meditari, sed regi honoris causa benedictionem afferre putarentur: sed alij intelligunt quod ingressi spicas assumpserint. Hebr. tantum est. *Assumptes frumenta*, quod subauditâ similitudinis nota Cald. exposuit, *vt emptores frumentorum*. Quasi dicat habitu & specie mercatorum frumenti, penitiorum domus partem ingressi sunt.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ET** ostiaria. Totus iste versus non est in Hebr. sed post literam, præcedentem versum, immediatè sequitur.
- LYRAN.** **Ingressi**. Quasi volentes honorare regem faciendo sibi de hoc exenium, vt dicunt expositores nostri secundum translationem istam. In Hebr. autem habetur: *Et venerunt vsque ad medium domus sumentes triticum*. Quod exponens Ra. Sa. dicit: quòd intrauerunt sub specie mercatorum, quasi volentes emere triticum, quia rex de suis redditibus multum triticum recipiebat, & mercatoribus de longe venientibus vendebat. Cætera patent.
- ESTIYS.** *Ingressi sunt autem domum latenter, assumptes spicas tritici*. Quod dicitur (*assumptes spicas tritici*), diuersimodè exponitur. Vno modo, vt sensus sit, eos specie honoris ingressos fuisse aulam regis, tanquam volentes ei loco muneris offerre primitias de spicis tritici. Alij hoc modo vertunt ex Hebræo: *Ingressi sunt in medium domus, habitu mercatorum tritici*. Alij rursus eos ingressos interpretantur cum mercatoribus tritici, vt hac ratione facilius fallerent, & facinus quod moliebantur, diutius lateret. Sed verisimilior, magisque textui congruens expositio media, nempe, quod ingressi sint in penitiorum vsque partem domus, habitu & specie mercatorum tritici.
- MENOC.** *Assumptes spicas tritici*. Specie mercatorum volentium emere frumentum, sic enim explicat Caldæus qui ver-
- A** tit, *vt emptores tritici*, vel tanquam regi oblaturi primitias honoris causa. Hebr. habet *accipientes frumenta*, seu *accipientium frumenta*, Id est, mercatorum specie aut habitu.
- Ingressi sunt ergo domum latenter, assumptes spicas tritici*.] nempe vel instar *villicorum* triticum ex agro deferentium: vel, vt Caldæus habet, instar *mercatorum* tritici, id venale afferentium, & specimen aliquod manu præferentium.
- B** Petes, quæ fuerit illa purgatio tritici per ostiariam in aula regia, vbi & strepitus omnis, & sordes rurales procul abesse solent? Respondeo: Non fuit excussio granorum ex spicis, quæ tribula fiebat, vel mola, vel vngulis equorum aut boum. Neque etiam excussio palearum, lapillorum, aliarumue sordium, quæ vanno fiebat. Sed erat exfollicatio granorum è spicis adhuc virentibus, quæ ferè manibus fieri debebat, vel pectine, aliove simili instrumento dentato: fiebatque sine strepitu, nec magno labore: vnde & ab honestis, imò & amicis ac delicatis feminis, exerceri poterat. Porrò ex his granis virentibus, ac deinde tostis, piloque contusis conficiebant *polentam*, gratam ac delicatam farinam, è qua fiebant arte pistoria varia edullia ac dulciaria, Hebræis admodum vsitata, & etiam regis mensis non indigna. Ita Sanctius. Vide quæ dixi lib. 1. cap. 17. v. 17.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 12.

Vulg. Cùm autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclauis, & percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite eius, abierunt per viam deserti tota nocte.

Pag. Super lectum suum in cubiculo lecti sui.

Arias. In conclauis cubilis sui.

Calet. In aula strati sui, iuerunt via campestri.

Malu. In penetrali cubationis suæ, &c. discedere fecerunt caput eius.

Sept. Rom. Abierunt viam quæ ad Occidentem.

Cald. In via recta.

Syr. In conclauis dormitorio suo, abierunt per viam Arabæ.

Vulg. Et attulerunt caput Isboseth ad Dauid in Hebron, dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam, & dedit Dominus Domino meo ultionem hodie de Saul, & de femine eius.

Malu. Dedit sustentatori meo regi vindictas.

Sept. Rom. Vindictam inimicorum eius sicut dies hæc de Saul inimico tuo.

Cald. Ecce caput, &c. Authoris inimicitæ tuæ.

Arab. Concedat votum eius à Saüle & ab eius progenie.

Vulg. Respondens autem Dauid Rechab & Baana fratri eius filijs Remmon Beothitæ dixit ad eos, viuit Dominus qui eruit animam meam de omni angustia.

Malu. Qui redemit de omni coangustatione.

Sept. Rom. Tribulatione.

Arab. Calamitate.

Vulg. Quoniam eum, qui annuntiauerat mihi & dixerat, Mortuus est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio,

Pag. Et ipse erat veluti euangelizans in oculis suis.

Arias. Apprehendi eum.

Sept. Rom. Cui oportebat me dare Euangelia.

Reg. Præmia annuntiationis.

Cald. Qui cogitabat vt donum darem ei pro nuntio.

Vulg. Quanto magis nunc, cùm homines impij interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra?

Pag. Virum Iustum.

Malu. Super cubationem suam, &c. & comburam vos de

terra.
 Sept. Exterminabo vos.
 Cald. Separabo vos.
 Arab. Repetam sanguinem eius, perdamque vos.
 Vulg. Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfecerunt

eos: præcidentesque manus & pedes eorum, suspende-
 runt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isbo-
 feth tulerunt & sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.
 Sept. Rom. Truncant manus eorum, &c. super fontē Chebrō.
 Arab. Crucifixerunt super collem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui putabat se prospera nuntiare. Alij, *Veluti euangelizans in oculis suis.* Scilicet vrbi fausta & Dauidi. *Cui oportebat mercedem dare pro nuntio.* Alij, *Cui oportebat dare Euangelia.* Vox Hebr. *בשורה* *besorah*, vt Græca, *Euan- gelium*, notissima est, nedum lætum, & faustum nuntium significat, sed etiam mercedem, præmium, quod læta nuntiantibus reddi solet. *Virum innoxium.* Alij, *Iustum.* Non iustitia propriè dicta, sed quia non erat reus mortis, vel quia ipso nulla affecerat iniuria; *Super piscinam.* Alij, *Fontem, cellam,* In loco enim eminenti iuxta cisternam fuerunt suspensi vel cruci affixi.

ANNOTATIONES.

MENOC.
 7.

Tota nocte. Et præcedentis diei reliqua parte. De Mahim ciuitate trans Iordanem, in qua occisus est Isbofeth, vsque in Hebron, ex Adrichomio, est spatium triginta horarum.

ESTIVS.
 8.

Esce caput Isbofeth, filij Saul inimici tui. Illud (*inimici tui*) ad Saul referendum est, non ad Isbofeth. Sequitur enim (*qui querebat animam tuam.*) Quod de Isbofeth non legitur, de Saul autem constat: *Confecerunt virum innoxium in domo sua.* Vbi Hebræa & Septuaginta habent, *virum iustum*, quomodo & Hieron. hunc locum allegat, lib. 1. contra Pelag. capite ultimo, hæc addens: *Certe Isbofeth iustus non erat, & tamen in eo iustus appellatus, quod absque noxa interfectus est.* Sic ille.

MENOC.

Fily Saul inimici tui. Artificiofus sermo, conatur enim ei odium constare à persona patris.

Qui querebat animam tuam. Odium Saulis in Dauid memorat, quia nihil habebant quo ipsius Isbofethi personam Dauidi redderent odiosam.

LYRAN.
 9.

Respondens autem Dauid, &c. Hic consequenter poni-

tur occisionis Isbofeth iusta punitio, quia Dauid præcepit homicidas istos occidi, eò quòd interfecerant dominum suum dolosè, ducti cupiditate, vt patet ex prædictis. Et patet litera vsque ibi.

Mercedem dare pro nuntio. Fausto, & læto, vt ipsi putabant. Septuaginta habent *δῶνα ἐυαγγέλια*, id est, mercedem pro bono nuntio.

Præcidentesque, &c. pisc. in Hebron. In loco patenti & communi in detestationem criminis, ad declarationem innocentie Dauid: vt omni populo Israël notum fieret, quod illa occisio Isbofeth non fuerat facta de voluntate seu mandato ipsius Dauid.

Caput autem, &c. sepelierunt, &c. Honorificè tamen cum principe suæ militie.

Præcidentes manus & pedes, &c. Viuis pedes & manus amputatæ sunt, ipsi deinde sic mutilati in crucem acti, vt explicat Theodoretus quæst. 14.

Super piscinam in Hebron. Septuaginta, *supra fontem,* id est, in media platea ciuitatis iuxta fontem.

CAPVT QVINTVM. SYNOPSIS.

Dauid omnium tribuum rex declaratur & vngitur: pulsus Iebuseis capit arcem Sion, in qua sibi palatium constituit: superducit alias uxores: & Philisteos bis prosternit.

I.



ET venerunt vniuersæ tribus Israël ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum & caro tua sumus. 2. Sed & heri & nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israël: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israël, & tu eris dux super Israël. 3. Venerunt quoque & seniores Israël ad regem in Hebron, & percussit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino: vnixeruntque Dauid in regem super Israël. 4. Filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit. 5. In Hebron regnavit super Iudam septem annis & sex mensibus: in Ierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israël & Iuda. 6. Et abiit rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Ierusalem, ad Iebusæum habitatorem terræ: dictumque est Dauid ab eis: Non ingredieris, huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc. 7. Cœpit autem Dauid arcem Sion, hæc est ciuitas Dauid. 8. Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odientes animam Dauid, idcirco dicitur in prouerbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum. 9. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam, Ciuitatem Dauid: & ædificauit per gyrum à Mello & intrinsecus. 10. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo. 11. Misit quoque Airam rex Tyri nuntios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes: & ædificauerunt domum Dauid. 12. Et cognouit Dauid quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israël, & quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israël. 13. Accepit ergo Dauid adhuc concubinas & uxores de Ierusalem, postquam venerat de Hebron: nati que sunt Dauid & alij filij & filie: 14. & hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Ierusalem, Samua, & Sobab, & Nathan, & Salomon. 15. Et Iebahar, & Elisua, & Nepheg. 16. Et Iaphia, & Elifama, & Elioda, & Elipha-

& Eliphaleth. 17. Audierunt ergo Philistiim quod vnixissent Dauid in regem super Israël: & ascenderunt vniuersi vt quærent Dauid: quod cum audisset Dauid, descendit in præsidium. 18. Philistiim autem venientes diffusi sunt in Valle Raphaim. 19. Et consuluit Dauid Dominum, dicens: Si ascendam ad Philistiim? & si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad Dauid: Ascende, quia tradens dabo Philistiim in manu tua. 20. Venit ergo Dauid in Baal Pharasim: & percussit eos ibi, & dixit: Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius, Baal Pharasim. 21. Et reliquerunt ibi sculptilia sua quæ tulit Dauid, & viri eius. 22. Et addiderunt adhuc Philistiim vt ascenderent, & diffusi sunt in Valle Raphaim. 23. Consuluit autem Dauid Dominum: Si ascendam contra Philistæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum. 24. Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philistiim. 25. Fecit itaque Dauid sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philistiim de Gabaa, vsque dum venias Gezer.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 6.

Vulg. Et venerunt vniuersæ tribus Israël ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum & caro tua sumus.

Sept. Et adueniunt, &c. Ecce ossa tua, & carnes tuæ nos.

Cald. Ecce nos propinqui tui.

Vulg. Sed & heri & nudius tertius, cum esset Saül rex super nos, tu eras educens & reducens Israël: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israël, & tu eris dux super Israël.

Malu. Et fuisti exire faciens, & venire faciens, &c. Et tu eris ductori super Israël.

Cald. Et intrans in caput Israël.

Vulg. Venerunt quoque & seniores Israël ad regem in Hebron, & percussit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino: vnixeruntque Dauid in regem super Israël.

Arias. Excidit eis fœdus ad facies, &c.

Sept. Disposuit eis testamentum.

Vulg. Filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit.

Vulg. In Hebron regnavit super Iudam septem annis & sex mensibus: In Ierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israël & Iudam.

Malu. Septem annis, & 6. innouationibus.

Vulg. Et abiit rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Ierusalem, ad Iebusæum habitorem terræ: dictumque est Dauid ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes: Non ingredietur Dauid huc.

Malu. Non venies huc, quia si discedere facere te cæcos, & translatos.

Sept. Rom. Quia aduersati sunt cæci & claudi.

Reg. Quia insurrexerunt.

Cald. Nisi abstuleris peccatores, & facinorosos.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Abiit & Rex, & omnes viri. Hebr. non est omnes. Ex cap. tamen 11. 1. Paral. verificatur, quod omnis populus iuit cum Dauid in Hierusalem. Nisi abstuleris cæcos & claudos. Alij, Quia aduersati sunt cæci & claudi. Quinam per hos intelligantur vide Annot. Sed nos propriè viros claudos, & cæcos accipimus, quos Iebusæi in irrisionem Dauidis constituerunt super mœnia. Quasi dicat, frustra tentas ô Dauid expugnare nostram arcem, quæ ita loci naturâ munita est, vt à cæcis & claudis, quos in ea vides, defendetur. Sept. videntur hæc verba referre ad ipsos cæcos & claudos, quasi ipsi thrafonticè iactarent se solos deffensuros arcem, & Dauidem propulsaturos. Cald. accepit cæcos & claudos non corporales, sed spirituales, qui scilicet mente cæcutirent & claudicaret, vnde vertit peccatores & facinorosos, Sed minus bene.

ANNOTATIONES:

LYRAN. **E**T venerunt. Hic consequenter describitur institutio ipsius Dauid integralis, & sic deinceps in hoc libro agitur de regno eius integro, in quo aliquando floruit innocenter: & sic fuit à Deo exaltatus; aliquando vixit insolenter, & tunc fuit ab eo castigatus. Primò ergo agitur de eius innocentia in prosperis. 2. de eius pœnitentia in peccatis, & patientia in aduersis. 11. c. Circa primum 1. Describitur eius confirmatio super totum regnum. 2. eius deuotio erga Deum c. 6. 3. Eius concertatio contra aduersarium c. 8. 4. Eius compassio erga proximum c. 9. 5. Eius gratitudo circa beneficium. c. 10. Circa primum ostenditur 1. Qualiter à populo sit inunctus. 2. qualiter sit famam adeptus: ibi: Et abiit rex. Circa primum dicitur, Et ven. vniu. Iam enim audierant quod Abner & Isboseth non fuerant de scitu eius occisi, & quod super hoc innocentiam suam declarauerat manifestè, vt patet ex prædictis.

Ecce nos. Quia omnes tribus descenderant de Iacob.

MENOC. Os tuum & caro tua sumus. Quasi dicant, nullum obstat impedimentum quominus te eligamus in Regem: nam in primis iuxta Deuteronomij legem frater noster es, de domo Iacob. Vide Deuteronomij 17. num. 14. & 15.

LYRAN. Cum esset, &c. Tu eras educens. Scilicet populum ad bellum.

Et reducens. Habitâ de aduersariis victoria.

Dixit autem. Quasi dicat. Ex hoc patet quod tu debes suscipere honorem boni regni, quia hoc est de vobis.

Tom. IV.

A luntate Dei.

Tu eras educens, &c. Non modo absunt impedimenta, sed etiam multa in te sunt rei bene gerendæ præsidia, ac præcipuè rei militaris peritia, ac experientia, nam sub Saül regis copiis præfuisi.

Tu pasces, &c. Adde tibi factam fuisse regni promissionem à Deo, itaque ad illud diuino nuru, & voluntate venies.

Tu pasces populum meum.] Verosimile est, vt dixi c. 3. v. 9. hæc dicta Dauidi per Samuelem Prophetam, vt Iosephus affirmat.

Nota, Tertia fuit hæc & vltima vnctio Dauidis, facta decreto & in præsentia vniuersarum tribuum, id est, capitum & principum vniuersarum tribuum: qui 1. Par. 8. v. 27. Patriarchæ vocantur, & cognationum principes. Quibus accesserunt etiam seniores Israel, id est, sanedrim, seu septuaginta viri, quos num. 11. iubente Deo ex toto Israël selegit, & ante inductos reges præerant toti populo. Hi nomine totius populi inierunt fœdus cum nouo suo rege, seu pacta & conditiones, quibus de more & ipsi fidum regi obsequium & rex ipsis paternam tutelam iuramento promittebat, coram Domino, id est, Deo in testem inuocato, forsan etiam coram tabernaculo Domini, quod Dauid in Hebron, quo tempore istic resedit, construxisse videtur, vbi oblati sacrificiis coleretur Deus. Neque enim consultum erat, vt qui Dauidi adhærebant, in Gabaon Isbosetho subiectam urbem, vbi tabernaculum Moyse Saul collocarat, ter in

anno se transferrent. Et verò solitum in Hebron offerri sacrificium, probat illud cap. 15. quòd Absalon à parente petierit, sibi vt liceret in Hebron sacrificij causâ secedere. Qua autem ratione licuerit tum pluribus locis sacrificare, dixi capite vltimo libri Iudicum.

Venerunt. In quibus stabat autoritas & regimen populi.

LYRAN. V. 3. *Vixeruntque.* Et sic fuit ter inunctus: sicut dictum est supra 7. cap.

MENOC. *Venerunt seniores, &c.* De singulis scilicet tribubus aliquot electi.

Iniit David cum eis fœdus coram Domino. Assumpto videlicet Deo in testem populus spondit David fidem, & obedientiam: David verò eodem auctore, & teste pollicitus est se populum fideliter ex Dei legibus, & recta ratione gubernaturum, & contra Israëlites hostes pugnaturum, &c.

Vixeruntque eum Regem. Vnctio adhibita est ad repræsentandam, approbandam, ac confirmandam Samuelis vnctionem, 1. Reg. 15. 26.

LYRAN. V. 4. *Filius triginta.* Id est, triginta annorum. Cætera patent.

Filius triginta annorum erat David cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit. In Hebron regnavit super Iudam septem annis, & sex mensibus; in Ierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel & Iudam. Libro 3. Reg. cap. 2. & 1. Paral. 29. subtrahitur hi sex menses, quibus supra septem annos in Hebron regnasse dicitur, sicut etiam hoc ipso loco nulla est eorum mensium ratio, quando simul dicitur regnasse annis quadraginta. Rationem aliqui quærunt, simulque nonnulla fabulosa attextunt. Verùm facilis, & obuia responsio est, minoris temporis numerum, vbi commemoratur simul numerus maior, sæpè solere prætermitti, tum in sacra, tum in profana historia. Et obseruandum est hoc per vniuersam Scripturam.

LYRAN. V. 6. *Et abiit.* Hic consequenter ostenditur qualiter fuit famam adeptus: & hoc ex quatuor. Primò expellendo inimicos interiores. Secundò confederando amicos exteriores, ibi: *Misit quoque Hiram.* Tertiò multiplicando amicos interiores, ibi: *Audierunt ergo.* Circa primum, sciendum, quod inimici interiores erant Iebusæi habitatores Ierusalem, quos non expulerant filij Iuda, sicut dictum fuit Iosue 15. & ideo David immediatè post regnum integraliter adeptum iuit ad eos debellandum, secundum quod dicitur hic.

Dictumque. Istud exponitur dupliciter. Dicunt enim doctores nostri communiter, quod illi Iebusæi in fortitudine murorum suorum confidentes, posuerant aliquos homines cæcos & claudos ad propugnacula in contemptum exercitus David, quasi dicerent: tales homines sufficerent ad defendendum fortalitium. Simile autem huius habetur Exech. 27. de ciuitate Tyri, vbi dicitur: *Pigmei qui erant in turribus tuis pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum, ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.* Quod exponunt aliqui doctores de quibusdam paruis hominibus qui sunt cubitalis magnitudinis tantum, & tales fuerunt positi in turribus Tyri ad ostentationem fortitudinis loci. Quasi dicerent: tales sufficient ad defensionem turrium. Ra. Sa. dicit, quod isti cæci & claudi erant duæ imagines, quarum vna repræsentabat Isaac, qui in fine fuit cæcus, vt habetur Genes. 27. & alia Iacob, qui claudicabat ex lucta cum Angelo, vt habetur Genes. 32. Dicit igitur quòd Iebusæi qui erant in Ierusalem descenderant de Abimelech, cum quo iniit fœdus & iuramentum Abraham, vt habetur Gen. 21. & ideo videntes posterius eius filios Abraham crescentes, timuerunt ne aliquando vellent eos inuadere & ideo posuerunt prædictas duas imagines in parte superiori sui fortalitij: & in ore cuiuslibet imaginis erat scriptum iuramentum Abraham, quasi dicerent. Posterius Abraham non possunt hunc locum inuadere: & secundum hoc dicuntur, odientes animam David vt hic habetur: in quantum reputabant eum transgressorem iuramenti Abraham, & per consequens odibilem Isaac & Iacob, cuius erant imagines. Dicuntur etiam cæci & claudi in plurali, licet esset tantum vna imago repræsentans cæcum, & alia claudum: eo modo loquendi, quo in sacra scri-

ptura aliquando ponitur plurale pro singulari, sicut Exod. 32. dicitur: *Isti sunt dij tui Israel,* & tamen erat ibi vnum idolum tantum: David autem licitè & bene inuasit locum illum, quia iuramentum Abraham non fuerat ad semper, eò quòd terra illa fuerat promissa Abraham & semini eius, sed vsque ad tempus certum, quod nondum transierat quando Iosue cepit terram: propter quod filij Iuda quando ceperunt partem ciuitatis Ierusalem, non potuerunt tunc expellere Iebusæum, sicut dictum fuit in Iosue 14. in fine. Sed tempore David prædictum tempus transierat, vt dicit Ra. Sa. & ideo licitè eos impugnauit. Secundum hoc igitur diuersimodè est exponenda lectio in aliquibus: *Nisi abstuleris cæcos, &c.* Secundum doctores nostros communiter, qui dicunt istos cæcos, & claudos fuisse homines, & per consequens potentes loqui, ipsi dicebant verba ista David derisorie. Secundum Ra. Sa. qui dicit eos fuisse imagines, dicebant hoc interpretatiue per Scripturam in ore eorum positam modo prædicto.

Dictumque est David ab eis (scilicet qui erant in arce Sion) *Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes: Non ingredietur David huc.* Omittis Hebræorum expositionibus, quorum alij per cæcos & claudos intelligunt imagines Isaac & Iacob; eò quòd Isaac caligauerunt oculi, Iacob autem claudicavit ex lucta cum Angelo; Alij rursus, quod in muro suspensa fuerint Idola Iebusæorum, quæ ab Israëlitis vocati sint cæci & claudi, iuxta illud de Idolis Gentium; *Oculos habent, & non videbunt: pedes habent, & non ambulabunt:* Omittis, inquam, istis expositionibus, probabiliorum vna est, quod per cæcos & claudos intelligantur ipsi Iebusæi, quos David contemnebat tanquam cæcos & claudos, id est infirmos, qui facilè expugnari possent. Alia, quod Iebusæi in propugnaculis collocauerint quosdam cæcos, & claudos, idque in contemptum exercitus David, vt sit ironia, quasi dicant Iebusæi ad David: Age, tam munita est arx ista, vt possit defendi, vel à solis cæcis & claudis, proinde ne operam perdas, quod putes, aut speres eam à tuo exercitu expugnari posse. Pro expositionibus tamen Hebræorum, maximè pro posteriori de Idolis, adfertur quod subditur: *Idcirco dicitur in prouerbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum,* quia imprimis idola vetita erant inferri in templum. Verum, sciendum est in Hebræo, pro (templum) esse (domum) Sic Vatablus, qui dicit proinde sensum prouerbij esse: quod postea non fuerit permisum, vt arcem Sion, in qua erat domus David, ingrederentur vnquam cæci & claudi, in memoriam opprobrij Davidi à Iebusæis facti.

Et abiit rex, &c. Dicitur omnis Israël venisse in Ierusalem, quia illac transibant recedentes de Hebron, & suos lares repetentes, erat enim Ierusalem in via venientibus de Hebron, & ad tribus suas redeuntibus.

Iebusæum habitatorem terræ. Qui scilicet arcem Sion habebat in potestate.

Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos, & claudos, &c. Iebusæi loci firmitate, & munitione confisi irridentes David, cæcos & claudos pro murorum pinnis tanquam propugnatores statuerunt dicentes, eos satis esse ad Davidis conatus eludendos, & obsidionem sustinendam.

Abiit rex ad expugnandum Iebusæum habitantem ad huc in meditullio terræ Hebræis promissæ. Nam licet filij Iuda iam pridem expugnassent inferiorem partem Ierusalem, superiorem tamen, quæ erat arx munitissima, numquam Iebusæo extorquere potuerant. Hanc ergo ignominiam, & quasi seruitutem, quam tot antea duces magno Israëliti nominis dedecore tam diu pertulerant, vult David initio regni sui pro felici reliquarum expeditionum auspicio tollere & abolere. Verùm cum arx tam natura loci, quam arte esset munitissima, & humano iudicio inexpugnabilis, Iebusæi irridebant omnes Davidis conatus, iactabantque hostili sarcasmo, *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos,* quasi dicant, Ne speres te prius arce potiturum, quam cæcos illos & claudos, qui soli arci tutandæ, & tibi resistendo sunt, è propugnaculis

submoueris: quod tuarum, quantarumcumque, non est virium. Scribit enim Iosephus, Angelomus, Procopius, Theodoretus & alij, Iebusæos præfatos munitioni loci, viros ac propriè dictos *cacos & claudos*, in quibusdam propugnaculis aduersus Hebræos exposuisse, iocantes insultantesque arcem aliis propugnatoribus aduersus talem hostem non egere. Sicut Lyranus dicit, *Tyrios* in mœnibus suis disposuisse Pygmæos, seu homines cubitales & omnino nihili, quasi non egerent aliis propugnatoribus. Et erant fortè tum in arce plures milites vel claudi, vel defio-culi, vel alio infortunio inutiles facti bello, qui sumptu publico (vt Athenis factum in Prytæneo) alebantur. Hi ad insultandum Dauidis conatibus in muris dispositi, subsannabant & ipsi nimis libero ac petulante conuitio Hebræos, quasi minus audaces, minus potentes, ad se, qui *caci & claudi* essent, de muro deturbandos, quid ergo sperarent victoriæ ex integris robustissimisque Iebusæis qui arcem insiderent? Verùm Dauid insolente conuitio non deterritus, sed magis accensus atque inflammatus, cùm sciret ambitioni nihil imperuium esse, præmium proponit audacissimo cuique, qui primus propulsatis Iebusæis, *fistulas domatum*, id est, aquarum de tecto emissarios canales manu contingeret, atque ita in verticem propugnaculi euaderet, indeque *cacos & claudos* pugione (vt habent Septuaginta) deturba-

ret odientes animam Dauid, quod odium fat prodiderant tam amaris sannis & sarcasmis. Præmium verò fuit ducatus seu præfectura totius exercitus Israëliti, quæ morte Abneris iam pro maiori parte vacabat. Porrò Ioab, vt Dauidem sibi non leuiter recenti cæde offensum nouo facinore conciliaret, simulque virtutem suam toti Israëliti testatam faceret, primus murum conscendit, & propositum gloriose victoriæ brauium abstulit, 1. Paralip. ii. atque ita bona regis, & omnium gratia in officio & dignitate pristina multis iam partibus aucta stabilitus fuit. Cæterum Hebræi sarcasum sarcasmo commutantes, exinceps Iebusæos, quòd sæpius ingeminarent hæc nomina, omnes lepido cognomine, *cacos & claudos*, vocarunt: addentes, *cacos & claudos* tales numquam ingressuros templum seu tabernaculum, quod in ea arce constructum fuit. Quasi dicant: Vos *caci & claudi* iactastis, Dauidem numquam ingressurum in arcem: Dauid verò ita ingressus est, vt vos deinceps nunquam amplius in eam ingressuri sitis. Et post in proverbium abiit, vt quoties quis indicare vellet, Iebusæos stultæ iactantiæ suæ meritas luisse pœnas, vulgo vsurparet illud Leuitici, *Cacus & claudus non intrabunt in templum*. Cætera huius capituli vide 1. Paralip. ii. & 14.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 7. 8. 9. & 10.

Vulg. Cepit autem Dauid arcem Sion, hæc est ciuitas Dauid.

Vulg. Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cacos & claudos odientes animam Dauid, idcirco dicitur in proverbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum.

Lyran. Omnis qui percusserit, &c. in cacumine.

Pag. Attinget cataractam, & omnes odio ab anima Dauid, &c. Domum.

Arias. Et attinget fistulam.

Vatab. Canales.

Malu. In transfatatores & cacos.

Tigur. Tetigerit ambrices.

Sept. Rom. Tangat in pugione.

Reg. In gladio.

Aquila. In scatebra, vel in Tubo.

Theod. Omnis percussiens tangatur in pugione.

Cald. Et incæperit subigere munitionem.

Syr. Cæcum, &c. Clypeo tetigerit.

Arab. Miles, cuius clypeus tetigerit cæcum, &c. quum interficiet Iebusæos, inimicus esto animo Dauidis odio

habens illam.

Vulg. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid, & ædificauit per gyrum à Mello & intrinsecus.

Arias. Et intra domum.

Arias. De Melo in domum,

Caiet. Sept. Rom. A summo & domum suam.

Reg. Per gyrum ab extremitate.

Cald. Ædificauit vnde quaque ab obstructione & interius.

Syr. Cinxit ædificio intrinsecus.

Arab. Ædificauit aditus circum illam.

Vulg. Et ingrediebatur proficiens, atque succrescens, & Dominus dux exercituum erat cum illo.

Pag. Abiit eundo, & crescendo.

Arias. Grandis euadendo.

Malu. Ambulauit Dauid ambulare & grande fieri.

Sept. Rom. Transibat vadens & magnificatus, & Dominus omnipotens cum illo.

Cald. Et multiplicando, & dictum Domini in auxilio eius.

Arab. Magnificabatur & exaltabatur imperium eius, & Dominus fortissimus aderat illi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tetigisset domatum fistulas. Alij, *Cataractam, Imbrices*. Id est, canales illos, quibus pluuia tecti excipitur & effunditur, quasi dicat, qui primus conscenderit murum arcis & peruenerit ad tectum, vel ad aream ipsam munitionis, vbi sunt canales ad excipiendam pluuiam. Sept. habent, *tangat in pugione* quia per Ioab eos occidendo abstulit illos cacos. Theodor. longe aliter hæc verba exponit quam Vulg. habet enim: Cum Dauid cepisset Iebus, alios quidem Iebusæos iussit interfici: claudos vero qui eum iridebant è muro ob lenitudinem, & animi magnitudinem conseruauit, proposito edicto, vt occideretur, qui feriret aliquem ex ipsis. Hunc sensum habere videntur Syr. & Arab. *Cacos & claudos odientes animam Dauid*. Alij, *Omnes odio habitos ab anima Dauid*. Hebr. est *שנאנו* *senuhe*, id est, exosi, odiosi, quia videlicet talia iactabant, qualia sine offensione magna, audire non poterat Dauid. *Cacus & claudus non intrabunt in templum*. Alij, *In domum*, sed non est diuersus sensus: cùm enim templum futurum esset in Hyerusalem, & statim in arce Sion, seu ciuitate Dauid arca Domini, qui negatur futurus in ciuitate Dauid, aut in domo eius, ille ingressurus etiam in templum negatur.

Ædificauit per gyrum à Mello. Alij, *A plenitudine, ab obstructione, à summa*. Hebr. *מלל* *millu*. Idem est enim quod plenitudo. Vnde quidam Hebræi accipiunt locum Comitiorum, quia illic congregabatur populus ad consultandum de rebus agendis. Alij autemant fuisse summitatem, siue verticem montis Sion. Sed alij probabilius volunt fuisse voraginem ac vallem profundam, & latam valde, quæ montem Sion à ciuitate inferiori discernebat, atque à porta aquarum Occidentem versus vsque ad portam piscium extendebatur. Ab hac voragine Dauid montem Sion per gyrum ædificauit ac muniuit.

ANNOTATIONES.

YRAN. **C**epit autem Dauid. Id est, fortalitiu illorum Iebusæorum, quod dicebatur arx Sion, id est specula: quia inde poterat longè videri.

Hæc est. Ex tunc eam suo nomine denominauit: qualiter autem accepit hoc fortalitiu, subditur cum dicitur.

Tom. IV.

Hæc est ciuitas &c. Quæ est ciuitas.

Proposuerat. Quale autem fuerit istud præmium non dicitur hic, sed 1. Paral. ii. vbi dicitur. *Dixitque Dauid: Qui percusserit Iebusæum in primis, erit princeps & dux.* Scilicet militiæ & sequitur ibidem: *Ascendit ergo primus Ioab filius*

MENOC.
LYRAN.
v. 8.

Q o ij

Sarnia & factus est princeps.

Et tetigisset. Id est, stillicidia quæ erant in tectis domorum.

Et abstulisset. Id est, homines tales, vel imagines, secundum duplicem modum dicendi prædictum, quia secundum utramque opinionem erant ibi.

Odientes animam. Si erant homines, odiebant verè, si imagines, representatiuè, prout est supra expositum.

Idcirco dicitur. Leuit. 21. scribitur, quòd cæcus & claudus non debent intrare templum ad exercendum sacerdotum ministerium: & illa Scriptura ex isto facto tracta est ad prouerbium, id est, vt vulgariter inter homines dicitur.

M EN OC.

Tetigisset domatum fistulas. Canales tectorum.

Abstulisset cæcos, &c. Transcensis muris, propugnatoribusque deturbatis.

Odientes animam Dauid. Dauidi infestos & contrarios, quique dicebant, *Non ingredieris huc*, vt habemus numero sexto.

Cæcus & claudus non intrabunt in templum. Vatablus, quem sequitur Salianus, existimat Dauidem in vltionem temerariæ iactationis Iebusæorum & ad perpetuam etiam rei memoriam statuisse vt nunquam liceret cæco vel claudus intrare in arcem Sion, quod præceptum inter Iudæos vulgatum ad alia quoque deinde transferebatur. Fauet huic expositioni quòd Hebraicè habetur tantum, *non in-*

trabunt domum, Dauidis scilicet, de qua in Sione ædificata mox agitur. Septuaginta habent, *in domum Domini*, pro quo S. Hier. vertit *templum*, quod de palatio, non de templo Domini accipi potest. Constat enim cæcos & claudos templum Domini ingredi solitos, ibique à Christo etiam Domino curatos, Matth. 21. 14. Sanchez putat Iebusæos nomine cæcorum & claudorum intelligi, quod vocabulum illis post factum hoc capite narratum adhæserit; & in prouerbio cum irrisione vsurpatum fuerit.

Et edificauit. Qui dilatauit ædificia.

A Mello. Mello erat quædam vorago quæ erat ante fortalium prædictum, ita tamen quòd inter voraginem illam & murum fortalitij erat terræ spatium in quo Dauid illa ædificia construxit.

Edificauit per gyrum. Murum hunc Sion ait Vilalpandus fuisse triginta quinque stadiorum per circuitum: Arcis verò ipsius gyrum stadiorum nouem cum dimidio. Octo stadia, vt alibi dixi, vnum Italicum milliare conficiunt.

A Mello. Erat Mello vorago quædam, & vallis profunda & lata, quæ montem Sion à ciuitate inferiore distinguebat. Itaque Dauid à Mello ædificationem exorsus totum montem Sion per gyrum muro circumdedit.

Et Dominus Dens. Eum in suis operibus manifestè dirigendo.

Ingredebatur proficiens. Proficiebat,

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 11. ad 16.

Vulg. Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad Dauid, & ligna Cedrina, & artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietem, & ædificauerunt domum Dauid.

Arias. Fabros lapidis parietis.

Cald. Artifices ad scienda ligna, & architectos, & artifices in ædificatione murorum.

Vulg. Et cognouit Dauid, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israël, & quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israël.

Malu. Quia stabiliiuit eum, & quia leuauit regnum eius in transitione populi sui Israël.

Sept. Rom. Quia parauit.

Cald. Propter populum suum Israël.

Vulg. Accepit ergo Dauid adhuc concubinas, & vxores de Ierusalem postquam venerat de Hebron, natiue sunt ei, & alij filij, & filia.

Arias. Et accepit adhuc pellices.

Vulg. Et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Ierusalem, Samna & Sobab, & Nathan, & Salomon.

Malu. Nomina recens natorum.

Sept. Rom. Sammus. *Et deinde maiorem numerum filiorum Dauid habent quam Vulg. & Reg.*

Vulg. Et Iebahar, & Elisna, & Nepheg.

Vulg. Et Iaphia, & Elisama, & Elioda, & Eliphaleth.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Exaltasset regnum eius super populum suum Israël. Alij, *Propter populum suum Israël.* Reges exaltantur ob merita populi, populus è contrariò. *Concubinas*, Aliqui, *pellices.* Et quamuis pellicis, & concubinæ nomen aliquando in malam partem sumitur, tamen hic in bonam pro secunda vxore legitima. *Samna*, &c. Vndecim Vulg. recenset, sed longe plures Sept. Rom. sic enim, Samus, & Sobab, & Nathan, & Salomon, & Ebear, & Elisne, & Naphec, & Iebies, & Elisania, & Elidae, & Eliphalath, &c. Nobilius ait quòd apparet coagmentatio, & repetitio in istis nominibus.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 11.

Misit quoque Hiram. Hic consequenter ostenditur qualiter Dauid amicos exteriores multiplicabat faciendo amicitiam cum rege Tyri.

Et ligna cedrina. Propter amicitiam enim contractam inter eos, misit ei ligna de terra sua per mare.

Et artifices. Quia in terra illa non inueniuntur ita bona ligna, nec artifices ita experti sicut in regno Tyri, secundum quod habetur infrà 3. lib. 5. cap.

MEN OC.

Artifices lignorum, & artifices lapidum. Artifices peritissimos, quales decebat Regem mittere ad Regem, eorum opera adhibita in structura domus Dauid, nam in arcis muris potius quærebatur soliditas, quàm species.

LYRAN.
v. 12.

Et cogno. Quia videbat facta sua in omnibus prosperari, nec erat aliquis in regno Israël, qui auderet seu vellet aliquid contra cum machinari, vel hoc fortè habuit per diuinam reuelationem.

MEN OC.

Et cognouit Dauid, &c. Cum nimirum animaduertet omnia sibi prosperè fluere.

LYRAN.
v. 13.

Accepit. Hic consequenter ostenditur qualiter multiplicauit amicos interiores, per hoc quòd de nouo accepit v-

Cxores plures ad multiplicandum prolem, quæ coniungeretur in matrimonium cum nobilioribus & potentioribus regni: & sic essent ei affinitate coniuncti ad maiorem firmitatem regni: Licet enim de diuina protectione & conseruatione confideret, omittere tamen non debebat ea quæ poterat facere secundum prouidentiam humanam ad regni sui stabilitatem. Et patet litera hoc excepto quod dicitur hic.

Concubinas. Ly & non tenetur hic copulatiuè, sed expositiuè, pro id est. Illæ enim fuerunt veræ vxores suæ, sed dicuntur cum hoc concubinæ eò quod erant secundariæ & non principales.

Accepit adhuc concubinas & vxores de Ierusalem, eo consilio vt multos haberet filios, qui sunt firmamenta domorum, vtque sibi præcipuas Israelitarum familias vinculo affinitatis adiungeret. Nec multas hæc vxores ducens peccasse videtur, cum eas Dominus ipse illi in donum quodammodo dedisse videatur, nec vsquam ea de causa reprehensus sit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 21.

Vulg. Audierunt ergo Philistiim quod vnixissent Dauid in regem super Israël: & ascenderunt vniuersi vt quærerent Dauid: quod cum audisset Dauid, descendit in præsidium.

Pag. In arcem.

Arias. In munitionem.

Syr. In Mezroth.

Vulg. Philistiim autem venientes, diffusi sunt in Valle Raphaim.

Malu. Dimissi in profunditate.

Sept. Rom. Cucurrerunt in vallem Titanum.

Reg. Concliderunt in vallem gigantum.

Cald. Expansi sunt in planitie fortium.

Syr. Castra posuit in conualle, &c.

Vulg. Et consuluit Dauid Dominum, dicens: Si ascendam ad Philistiim? & si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad Dauid: Ascende, quia tradens dabo Philistiim in manu tua.

Pag. Interrogauit Dominum.

Arias. In Domino. Tradens tradam.

Sept. Rom. Interrogauit per Dominum.

Cald. Dictum Domini.

Vulg. Venit ergo Dauid in Baal Pharasim: & percussit eos ibi, & dixit: Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius, Baal Pharasim.

Arias. Dirupit ad facies meas secundum rupturam aquarum.

Calet. Nomen, planicies diuisionum.

Sept. Rom. Vocatum est, &c. Desuper rupturis.

Reg. Venit de superioribus incisionibus super incisiones.

Cald. Vocauit planitiem rupturarum.

Vulg. Et reliquerunt ibi sculptilia sua: quæ tulit Dauid, & viri eius.

Lyrans. Combussit ea Dauid.

Arias. Reliquerunt suos dolores, & tulit eos.

Malu. Leuauit.

Sept. Rom. Reliquerunt ibi Deos suos, & ceperunt eos, &c.

Cald. Reliquerunt errores suos.

Arab. Symulachra sua.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Descendit in præsidium. Alij, *In arcem*. Vt ex ea procederet contra aduersarios. *In Valle Raphaim*. Alij, *Gigantum, Fortium*. Vide Concord. v. 8. Iosue 15. Aduerte quod Gigantes vocabantur etiam Titanes. *Sicut diuiduntur aquæ*. Alij, *Secundum rupturam aquarum*. Actiue, vt aquæ obuia quæque percurrunt; vnde reddunt tanquam irruptiones aquarum, quæ inundant, passiuè tam facile vt diuiduntur, & diffunduntur aquæ. *Baal Pharasim*. Alij, *Planities diuisionum, super incisiones, rupturas*. Rupturæ sunt diuisiones: Dicuntur à rupturis, nimirum exercitus Philistiim. Fortè innuit quod in tanta strage & ruptura, *coacti sunt relinquere idola sua*. Alij, *Errores, dolores*. Vide quæ à nobis pluries dicta sunt. *Quæ tulit*. Alij, *Quæ combussit*. Vt dicitur 1. Paralip. 14. Verbum נשׂו aliqui volunt etiam significare comburere.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **A** *Udierunt*. Hic consequenter ostenditur qualiter bis expugnauit inimicos exteriores, scilicet Philistæos, consuluit tamen prius Dominum, vt per eius auxilium dirigeretur & protegeretur. Et patet litera vsque ibi.
- MENOC.** *Vt quærerent Dauid*. Cum eo scilicet pugnaturi. *Descendit in præsidium*. Munitum scilicet aliquem locum quem Septuaginta, *περοχὴ* appellant, ambitum scilicet septem, præsidium vndique cinctum, in loco tamen aliquo inferiore situm, nam eò Dauid descendisse dicitur.
- MENOC.** *In Valle Raphaim*. Fuit ea vallis in tribu Benjamin fere extrema versus occidentem, & Philistæorum regionem, qui occidua mediterranei maris oram incolebant. Dicta est, *Vallis Raphaim*, siue gigantum, quod ibi olim gigantes habitarent, sicut in Hebron, & in Geth, vnde ortus est Goliath.
- MENOC.** *Consuluit Dominum*. Non in Cariathiarim, vbi adhuc erat arca Domini, sed in præsidio, de quo dictum est num. 17. per Abiathar sacerdotem.
- Tradens dabo*. Verba hæc geminata insignem pollicentur victoriam.
- LYRAN.** *Venit ergo*. Istud nomen ponitur hic per anticipationem, quia sic vocatus est ille locus ex victoria, quam habuit Dauid, secundum quod subditur.
- Et dixit*. Aqua enim propter sui mollitiem facile diuiditur, sic Philistæi à Deo territi, & molles & effæminati effecti fugerunt coram Dauid per vias diuersas se diuidendo, quia modus fugientium de prælio est diuisim recedere, sicut è contrario modus venientium est coniunctim & vnitè incedere.
- Propterea vocatur, &c.* A Baal, quod est campus, seu planicies, & Phares, quod est diuisio, quasi campus, seu locus diuisionis.
- In Baal Pharasim*, id est, *in vallem diuisionum*, locus cur ita dictus sit, hoc eodem versiculo explicatur.
- Diuisit Dominus*. Dissipauit, dispersit.
- Sicut diuiduntur aquæ*. Quæ per decliuem aliquem locum labuntur, & in varios riuulos diuiduntur.
- Et reliquerunt*. Quæ apportauerunt sperantes consequi victoriam per ipsa.
- Quæ tulit*. In Hebr. habetur: *Et combussit ea Dauid*. Et quod hæc sit vera littera, patet per hoc quod dicitur 1. Paralip. 14. de Idolis.
- Et tulit ea, & iussit ea comburi Dauid*. Quia præceptum erat in lege, quod aurum & argentum, seu aliquid aliud de Idolis non concupiscerent, sed omnino destruerent, vt habetur Deuter. 7. 7.
- Reliquerunt ibi sculptilia sua*. Philistæi scilicet.
- Quæ tulit Dauid*. Additur 1. Paral. 14. 12. iussa fuisse à Dauid comburi iuxta præceptum Domini Deut. 7. 5. quæ scilicet lignea erant, metallica verò confari.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 22. ad 25.

Vulg. Et addiderunt adhuc Philistiim vt ascenderent, & diffusi sunt in Valle Raphaim.

Pag. Et apposuerunt. Alij, vt vers. 18.

Vulg. Consuluit autem Dauid Dominum, si ascendam contra Philistæos, & tradas eos in manus meas, qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum.

Pag. Ex aduerso mororum.

Calet. Arborum.

Tom. IV.

Malu. E regione Bechaim.

Sept. Rom. Accedes ad eos prope plorationem.

Arab. Manus cum eis confere in montibus Bachim.

Vulg. Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philistiim.

Pag. In carminibus Mororum mouebis te.

Calet. Audiente te vocem deambulationis.

Malu. Vocem incessus in capitibus Bachaim, &c. Ad per-

cutere in desidentia Pelistim.
Sept. Rom. Vocem constrictiōnis à nemore plorationis.
Reg. Vocem concussionis nemorum, fletus,
Cald. Vocem clamoris, &c. Tunc confortaberis, quia tunc
 exit Angelus Domini ad prosperandum ante te.

Arab. Sonitum vngularum equorum super cacumen
 montium Bachim.

Vulg. Fecit itaque Dauid, sicut præceperat ei Dominus, &
 percussit Philistim de Gabaa, vsque dum venias Gezer.

Cald. A colle vsque ad introitum, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

EX aduerso pyrorum. Alij, *Mororum, Arborum.* Aliqui nulla edita specie singulari, vniuerse *Arborum* reddiderunt, sed noster autumat pyrum esse. Aliqui, *Moros.* Hebr. est בכימ *becaim*, quod nomen volunt dici à fletu seu lachrymis. Vnde *Sept.* reddunt *propter plorationem.* Aliquando enim arbores producant baccas succo plenas, quæ expressæ profundunt succum suum instar lachrymarum. *בכא* *bacca* etiam significat, fleuit, vagiit, vnde Ioseph vocat hunc locum sylvam fletus. Deplorarunt enim Philistim, tam suam, quam suorum Idolorum stragem.

Cum audieris sonitum gradientis. Alij, *Sonitum vngularum equorum.* Sed veriùs *Cald.* vocem *clamaris*, scilicet Angelorum. Angeli enim Dei nuntij, excitabant fragorem in summitate arborum perinde ac si procederent pugnaturi cum Dauid aduersus Philistæos *Sept. Rom.* habent vocem *Constrictiōnis*, id est, vt habent aliq *concussionis* nemoris. *Tunc inibi prælium.* Alij, *Monebis te, Tunc confortaberis.* Hebr. *תהרתך* *teheratz*, cui subiiciuntur hæc significata, mouere se, scilicet ad pugnam se roborare, animum fumere, &c.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Ψ. 22.* **E**T addiderunt. Quia collegerunt maiorem exercitum A
 equam prius, vt se vindicarent. Et patet litera vsque
 ibi.

MENOC. *Diffusi sunt in Valle Raphaim.* Vallem Raphaim intuas-
 runt.

MENOC. *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, &
 venies ad eos ex aduerso pyrorum.* In primo verò *Paral. c.*
14. num. 14. vbi hæc eadem historia narratur, ita legimus:
Non ascendas post eos, recede ab eis, & venies contra illos ex
aduerso pyrorum. Hæc duo loca in speciem contraria videntur,
 sed conciliari poterunt si dicamus, *Non ascendes post*
eos, idem esse ac contra eos, post Philistæos enim ire bene
 dicitur is, qui recta tendens ad Philistæorum castra, per
 eam viam graditur, cui etiam illi insistere solent cum ad
 suos post velitationes aut prælium reuertuntur.

Pyrorum. Recentiores vertunt *mororum*, vt Pagninus, &
 Tygurina, Septuaginta *plorationem*, aut *fletum*.

LYRAN. *Ψ. 24.* **E**t cum audieris. Signum erat Angelorum venientium,
 in auxilium Dauid ad debellandum aduersarios. Ideo sub-
 dicitur.

Tunc egredietur Dominus. Id est, diuina virtus, in An-
 gelis à Deo missis.

Sonitum gradientis in cacumine pyrorum. Alij aliter huius
 soni, seu strepitus modum explicant. Probabilius videtur
 sonos quasi curruum, & aduenientis exercitus fremitum
 excitatum, sic 4. *Reg. 7. 6.* legimus: *Dominus sonitum ar-*
dire fecerat in castris Syriæ curruum, & equorum, & exerci-
tus plurimi, &c. Fauent Septuaginta, qui habent *φωνήν συρ-*
κλασκή, vocem, vel *sonitum conclusionis*, talem nimirum
 sonum, qui speciem exhibeat aduenientis hostilis exerci-
 tus, à quo concludendi sint ne fugiant, & cædendi. Alij le-
 gunt *συναγωγή concussionis*, hoc est, sonum quasi exercitus
 per sylvam ambulantis, illamque concutientis, ex quo et-
 iam explicari potest quid sit illud *gradientis in cacumine*
pyrorum, cum enim exercitus per nemus graditur, concussis
 arboribus impetu equorum, & curruum, etiam arborum
 cacumina nutant, & sonum edunt.

De Gabaa. Iuxta quam commissum est prælium, vsque M
 Gezer, quæ est in tribu Ephraim.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS.

Educit Dauid Arcam è domo Abinadab: sed ob cesum in itinere Ozam, non audet eam in suum Pala-
 tium deducere: ergo dinertit in domum Obed-Edom. Equa postea reducit eam Ierosolymam in ta-
 bernaculum istic erectum. Cumque ludens coram Arca rideretur à Michol uxore sua, sterilitatis pœna
 illa mulctatur.



1. Ongregauit autem rursus Dauid omnes electos ex Israël triginta millia. **2.** Sur-
 rexitque Dauid, & abiit, & vniuersus populus qui erat cum eo de vitis Iuda, vt
 adducerent Arcam Dei super quam inuocatum est nomen Domini exercituum,
 sedentis in Cherubim super eam. **3.** Et imposuerunt arcam super plaustrum no-
 uum, tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autè & Ahio
 filij Abinadab, minabant plaustrum nouum. **4.** Cumque tulissent eam de domo
 Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens Arcam Dei, Ahio præcedebat Arcam. **5.** Dauid autem &
 omnis Israël ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis
 & sistris, & cymbalis. **6.** Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad Ar-
 cam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. **7.** Iratusque est indignatione
 Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta Ar-
 cam Dei. **8.** Contristatus est autem Dauid, eò quòd percussisset Dominus Ozam, & vocatum est
 nomen loci illius, Percussio Ozæ, vsque in diem hanc. **9.** Et extimuit Dauid Dominum in die il-
 la, dicens: Quomodo ingredietur ad me Arca Domini? **10.** Et noluit diuertere ad se Arcam
 Domini in ciuitatem Dauid: sed diuertit eam in domum Obededom Gethæi. **11.** Et habitauit Ar-
 ca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: & benedixit Dominus Obededom, &
 omnem domum eius. **12.** Nuntiatumque est regi Dauid quòd benedixisset Dominus Obededom,

& omnia eius, propter Arcam Dei. Abiit ergo Dauid, & adduxit Arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: & erant cum Dauid septem chori, & victima vituli. 13. Cumque transcendissent qui portabant Arcam Domini sex passus, immolabat bouem & arietem. 14. Et Dauid saltabat totis viribus ante Dominum. Porro Dauid erat accinctus Ephod lineo. 15. Et Dauid, & omnis domus Israël deducebant Arcam testamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ. 16. Cumque intrasset Arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saül prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid subsilentem, atque saltantem coram Domino: & despexit eum in corde suo. 17. Et introduxerunt Arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei Dauid: & obtulit Dauid holocausta, & pacifica coram Domino. 18. Cumque compleisset offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. 19. Et partitus est vniuersæ multitudini Israël, tam viro quàm mulieri, singulis collyridam panis vnã, & assaturam bubulæ carnis vnã, & simillam frixam oleo: & abiit omnis populus, vnusquisque in domum suam. 20. Reuersusque est Dauid vt benediceret domui suæ: & egressa Michol filia Saül in occursum Dauid, ait: Quàm gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se ante ancillas feruorum suorum, & nudatus, quasi si nudetur vnus de scurris. 21. Dixitque Dauid ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux super populum Domini in Israël, 22. & ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus loquuta es, gloriosior apparebo. 23. Igitur Michol filia Saül non est natus filius vsque in diem mortis suæ.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. I. ad 5.

Vulg. Congregauit autem rursus Dauid omnes electos ex Israël triginta millia.

Sep. Rom. Congregauit adhuc omnem adolescentem circiter Septuaginta millia.

Vulg. Surrexitque Dauid, & abiit, & vniuersus populus qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent Arcam Dei, super quam inuocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam.

Pag. Vt ascendere facerent Arcam de Dominis Iuda.

Arias. Insidentis Cherubim.

Calet. Thecam. Lyran. De planitie Iuda.

Sep. De principibus Iuda.

Cald. De ciuitatibus domus Iehuda.

Vulg. Et imposuerunt Arcam Dei super plaustrum nouum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem, & Ahio filij Abinadab, minabant plaustrum nouum.

Pag. Ascendere fecerunt. Malu. Vehere.

Sep. Rom. De domo Abinadab, quæ in colle.

Arab. Regebant plaustrum, & à posteriori parte abigebant.

Vulg. Cumq; tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens Arcam Dei. Ahio præcedebat Arcam.

Malu. Achio ambulans faciebus Arcæ.

Sep. Rom. Et fratres eius ibant ante Arcam.

Vulg. Dauid autem, & omnis Israël ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.

Pag. Lignis Abieginis, &c. & nablis, &c. & instrumentis æreis, quæ sese tangentia sonum edebant.

Arias. Et in commouentibus.

Malu. Et in lignis fraxinorum.

Lyran. In omnibus buxinis.

Sep. Rom. In organis modulatis in fortitudine, &c. & in canticis, &c. & in tibiis.

Reg. In organis concinnis.

Cald. Laudabant ante Dominum, &c. in chinatis, &c. & in quadruplicibus.

Syr. In lignis cedrinis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Omnes electos, Alij, *Omnem adolescentem*. Vox Heb. בחור *bahur*, & electum, & adolescentem significat, quod iuuenes eligantur maximè ad laborem bellicum. *Triginta millia*. Sept. Rom. *Circiter 70000*. sed alij Codices etiam Græci habent, *Triginta*. De viris Iuda, Alij, *De planitie, de ciuitatibus*. Heb. est מבועלי יהודה *mibaghale iehudab*, Aliqui putant esse nomen proprium vrbs in tribu Iuda, quæ dicta sit Bachalah, sed præferenda est lectio nostri Interpretis, quæ habet, *De viris*, & Sep. *De principibus*. Bahal enim virum, aut principem significat.

Qui erat in Gabaa, custodiens Arcam Dei, Alij, *Que erat in Gabaa*. Heb. est אשר *Ascher*, quod relatiuum substantiuè iumpfit Vulg. referens ad illud custodiens, alij fæmininè, nempè ad Arcam, quæ scilicet erat in Gabaa. *In omnibus lignis fabrefactis*, Alij, *Abietum, Cedri*. Heb. ברושית *berosohim*, volunt aliqui esse Cedri speciem, ex qua instrumenta musica conficiuntur. Noster abietem vertere solet. Aliqui fraxinum, aut buxum. *Cymbalis*. Alij, *In commouentibus*. Cymbala enim sunt duo instrumenta ærea, quæ se inuicem percutientia, & collidentia sonum reddunt. Alij volunt esse instrumenta musicalia, quæ aliis instrumentis adhibita, obstrepunt, & tinnunt. Vide de aliis instrumentis Concordiam v. 6. c. 18. lib. præc. Sep. Rom. habent. *In fortitudine*, sed in Compl & Reg. abest.

ANNOTATIONES.

LVRAN. **V.1.** **C**ongregauit. Hic consequenter ostenditur deuotio Dauid erga Deum, & hoc quantum ad duo. Primò quantum ad Arcam Dei deducendam ad locum solemnem Ierusalem. 2. quantum ad domum Dei ædificandam, cap. 7. Circa primum deductio Arcæ incipitur. 2. ex timore interrumpitur, ibi: *Postquam autem*. 3. Deuotè perficitur, ibi: *Nuntiatumque est*. Circa primum dicitur. *Congregauit autem*. Quia talis translatio Arcæ debebat fieri cum magna solemnitate.

LYRAN. **V.2.** *Vt adduc. Arcam Dei*. Sicut enim dictum fuit Exod. 25. super Arcam erat propitiatorium, quod erat quasi sedes Tom. IV.

A Dei inde dantis responsa.

Super quam. Id est, ad quam, seu apud quam, vel, quasi dicat, super quam est Domini maiestas, quæ ibi inuocatur.

Sedentis in Cherubim super eam. Super alas Cherubim quæ propitiatorium inumbrabant.

Et imposuerunt. Isto modo remiserant eam principes Philistinorum, vt habetur lib. I. c. 6.

Tuleruntque. Contrarium videtur I. Paral. 13. vbi dicitur. *Et ascendit Dauid, &c.* Dicendum, quod Cariathiarim, & Gabaa erant loca satis propinqua, & in Cariathiarim.

rim primò congregatus est populus ad Dauid, & inde transierunt ad deducendum Arcam quæ erat in Gabaa, & in deducendo eam transierunt per Cariathiarim, & sic intelligendum est illud quod inductum est de 1. Paral. Vltimus enim locus in quo manserat Arca antequam per Dauid, transferretur in domum Obededom, fuit Gabaa, sicut dictum fuit suprâ lib. 1. c. 7.

MENOC.

Super plaustrum nouum. Imponunt plaustro, quia Leuitas laboris pigebat, qui eam ferre humeris debuissent ex præscripto legis Num. 4. 15. Ausi autem sunt eam plaustro imponere quod idem à Philistæis factum esset impunè, cum Arca redderetur Israëlitis.

TIRINVS

De domo Abinadab, in Gabaa.] Id est, in colle, seu Arce, loco editiore vrbis *Cariathiarim*, vt dixi c. 7. l. 1. Reg. v. 1.

MENOC.

v. 4.

De domo Abinadab. Serarius, & Salius putant Abinadab hoc tempore defunctum fuisse, cum huic Arca

translationi interfuisse non legatur, sed duo tantum eius filij.

In Gabaa. Gabaa hic non est nomen vrbis, sed commune vocabulum significans *excelsum*, siue *collem*, quare Sep. habent *in beto in colle*. Hic autem collis erat in vrbe Cariathiarim, quod expressè habetur 1. Par. 13. vbi hæc eadem narratur historia, sic enim legimus Num. 6. *Ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda.*

Custodiens Arcam. In domo enim Abinadab seruabatur à filiis eius.

Abio præcedebat Arcam. Abio Arcam bouesque antecedebat, Oza verò sequebatur.

Dauid autem. Ille ludus non erat dissolutionis, sed deuotionis, secundum illud Psal. 83. *Cor meum, &c.*

Lignis fabrefactis. Musicis instrumentis.

Sistris. Quid sint explicauit 1. Reg. 18. 6.

TIRINVS
v. 5
MENOC

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 6. & 7.

Vulg. Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. *Arias.* Misit Husa ad arcam Dei, & apprehendit in eam, quia labescebant bos. *Vatab.* Ad gorem Nachon. *Caiet.* Ad aream præparationis, cui excusserunt se boues. *Alij.* Facescebant, deficiebant. *Malu.* Obtinuit in ea, quia dimiserunt libere bos. *Alij.* Ad arcam statutam. *Sept. Rom.* Quoniam circumflecebat eam vitulus. *Cald.* Quia propulerant eam boues,

Syr. Soluebant enim se boues à Iugo. *Arab.* Quoniam tauri subtraxerant se à ioris. *Vulg.* Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta Arcam Dei. *Arias.* Et iratus est natus, &c. percussit super errore. *Tigur.* Propter temeritatem istam præcipitem. *Sep. Rom.* non habent quare percussus sit. *Reg.* In temeritate. *Cald.* Percussit ibi delictum, eo quod deliquit. *Syr.* Percussit eò quod extendisset manum suam. *Alij.* Super imprudentia, stultitia.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ad arcam Nachon, Alij, *Præparationis*. Quia Nachon appellatiuè volunt sumi, & explicant in quo vel præparatum erat habitaculum, vel populus præparatus, ad deducendam arcam. Qui autem vertunt ad *arcam statutam*, sic intelligunt quod ex condicto conueniendum erat. *Extendit Oza manum*, Heb. non est *manum*, sed suppositum. *Quoniam calcitrabant boues*, Alij, *Labescebant*, *flaccescebant*, &c. Verbum *וּשַׁמַּת* *samat*, æquiuocæ, & incertæ significationis, hinc lectionum varietas, sed sensus magis genuinus mihi videtur esse, quod boues calcitrando impulerunt eam, ita vt viderentur deiecturi. *Et declinauerunt eam*. Hæc non habentur in alijs, sed maioris explicationis gratia à Vulg. sunt addita. Pag. posuit *bos* in singulari cum verbo plurali, quod non est insolitum. *Super temeritate*, Alij, *Errore*, *stultitia*. *וּשַׁמַּת* *basal*, imprudentiam, nimiam confidentiam, quæ est temeritas, significat, in quo hæc temeritas sit: Vide Annotat. Sep. Rom. non habent *in temeritate*; & Theod. videntur dubitare an in Heb. positum fuisset.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 6.

Postquam autem. Hic deductio Arcæ interruptur propter mortem Ozæ repentinam. Cuius causa fuit, vt dicunt Hebræi, quia fecerat poni Arcam super plaustrum, cum tamen deberet portari in humeris Leuitarum, vt habetur Num. 7. & pluribus alijs locis: & propter hoc quando secundo fuit portata de domo Obededom, fuit portata in humeris, vt patet infrâ eodem & 1. Par. 13. Quod autem sic deberet portari, Oza nullo modo debebat ignorare. Præterea peccauit in hoc, quod voluit assimilari Philistæis infidelibus in Arcæ deportatione, vt patet ex prædictis: fuit tamen percussus à Deo, quando Arcam tetigit inclinatam ex recalcitratione bouum portantium ipsam, quia tunc fuit manifestum, quod non debebat sic portari, sed humeris hominum rationabilium, quorum deportatione sic non fuisset inclinata. Quod autem aliqui dicunt, quod fuit percussus à Domino, eò quod Arcam nudam tetigerit, non habet apparentiam: quia Arca portabatur inuoluta panno, ne videretur nuda à Leuitis eam portantibus, & à populo, ne moterentur subito, sic habetur Num. 4. & hic lib. 1. c. 6. Item sciendum quod iste Oza solus fuit percussus, & non frater eius cum eo, quia principalis erat. Et illa temeritas erat de eius ordinatione, & mandato.

MENOC.

Arcam Nachon. Pro Nachon 1. Paral. 9. est Chidon, ex quo apparet locum hunc duplici nomine appellatum

fuisse. *Ad arcam Nachon.*] Is quicumque est, binomius fuerit oportet: nam 1. Paral. 13. v. 9. vocatur *Chidon*. Qui, vt & *Obet-Edom*, & *areuna*, domicilium habebat in inferiore Ierusalem, vel in suburbio, vt fusè probat Abulensis.

Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, &c. Hebr. habent (*super errore*) Pag. (*propter temeritatem*) Hieron. lib. 1. contra Pelagianos (*pro ignorantia*.) Sep. solum habent, *indignatus est ira Dominus ipsi Ozæ*. Quod autem fuerit peccatum Ozæ, occasio erit plenius explicandi 1. Paral. 13. & 15. Vide etiam Num. 7. Existimabant fortè Leuitæ, se benè, & religiosè facere, quod Arcam plaustro impositam trahi à bobus sinerent, idcirco scilicet, quia à Philistæis magno miraculo, & quasi Deo approbante, id factum fuisset 1. Reg. 6. sed erat illa cacozelia, seu inordinatus zelus. Debebant enim facere, id quod sibi lege diuina Num. 7. fuerat præceptum. Vide dictis locis plenius.

Iratusque, &c. Causa cædis fuit ea, quam attulimus n. 3. distulit autem Dominus peccatum plectere, donec peccati effectus palam fieret.

Percussit eum. Quo genere mortis occubuerit, scriptura non memorat. Ipse vero potissimum pœnas luit, quia fortasse, consilij de Arca plaustro imponenda auctor fuit, vt

TIRINVS

ESTIVS

v. 7

MENOC

ait Lyranus. Abulensis existimat etiam alterum fratrem, & A alios qui eius consilij fuere participes secreta morte punitos esse, primum autem punitum Ozam, quod eius culpa populo palam innotuisset, & hanc prae illis animaduersionem fuisse narratam.

Super temeritate. Id est, eo quod temeritate sua venisset in necessitatem tangendi Arcam.

TIRIVS. *Percussit Dominus Ozam super temeritate.* Tradunt Hebraei, vt refert S. Hieronymus, primum exaruisse manum Ozæ, deinde brachium, denique humerum, quo Arca Domini portanda fuerat. Et videtur temeritas Ozæ, propter quam morte punitus est, in eo fuisse, quod deterritus labore baiulandi humeris Arcam, vel certe non sat excussa lege Num. 4. auctor fuerit, vt plaustro deueheretur: quod cum sciret à Philistæis, cum nuper Arcam reueherent, impune factitatum, putauit etiam nunc licere. Sed Hebræis insistendum erat non exemplo Philistinorum Leuitis carentium, & legem ignorantium, neque ea obstrictorum: sed legi diuinæ per Moysen discretè præcipienti, tam Arcam, quam altaria, mensam & candelabrum, cæteraque vasa Sanctuarij humeris Leuitarum Caathitarum baiulari: propterea enim annulos habebant affixos, vt immixtis uectibus commodè humeris deferri possent: Hanc causam cædis Ozæ censet fuisse S. Hieron. Theodoretus,

Procopius, Lyranus, Abulensis. Sanctius, & Salianus, qui dicunt communem esse Doctorum sententiam. Et ipse rex Dauid, cum correcturus hunc sacerdotum errorem, trimestri post iubet Arcam, non iterum plaustro, sed humeris deferri, aperte significat, eam mortis Ozæ causam fuisse, 1. Par. 15. v. 2. & 12. Addit Caiet. hoc peccatum, etsi commissum sit cum Arca plaustro imponeretur, nihilominus punitum non fuisse prius, quam effectus peccati sensibiliter, & palam innotesceret: quando scilicet lasciuientibus bobus, & via plena in asperam deflectentibus Arca inclinari cœpit, & excussa terræque allisa fuisset, nisi manibus eam Oza fulciuisset, quod præter decorum, & contra tanti Numinis maiestatem esse videbatur. Vnde & ad tale periculum euitandum, simul, & ad Arcam magis honorandam, iusserat eam Deus humeris, non plaustro deferri. Similia ferè habet Lyranus, & Sanctius. Qui tamen cum Tostato, Angelomo, Dionysio, & aliis iam citatis putant, peccatum istud Ozæ vel veniale tantum fuisse, utpote non ex malitia profectum: vel si mortale, poenituisse eum facti, maximè cum calcitrantibus iam bobus, re ipsa sentiret videretque, se sua culpa tanti scandali periculum creasse, quo parum absuit quin Arca in terram coram omni populo corrueret.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 12.

Vulg. Contristatus est autem Dauid, eo quod percussisset Dominus Ozam, & vocatum est nomen loci illius: Percussio Ozæ, vsque in diem hanc.

Pag. Iratus est, eo quod diuisit diuisionem, & vocauit nomen loci illius Perez.

Arias. Eo quod rupisset rupturam.

Tigur. Exastuauit dolore.

Vatab. Ægre tulit.

Malu. Exarsit.

Alij Eo quod dissipationem fecisset.

Sep. Reg. Quod percussisset percussione.

Cald. Quod fregisset fracturam.

Arab. Displicuit Dauid mors Ozæ, propter pœnam, quam infixerat ei Domineus.

Vulg. Et extimuit Dauid Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me Arca Domini?

Vulg. Et noluit diuertere ad se Arcam Domini in ciuitatem Dauid: sed diuertit eam in domum Obededom Gethæi.

Arias. Sed diuertere eam fecit.

Malu. Et non amouit ad diuertere facere ad se super urbem Dauid, & extendere fecit eam.

Sep. Rom. In domum Abdedara Gethæi.

Reg. Obededom.

Cald. Fletere fecit eam.

Arab. Veritus inferre Arcam.

Vulg. Et habitauit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.

Malu. Tribus inuolutionibus.

Arab. Benedixit propter Arcam Domini.

Vulg. Nuntiatumque est regi Dauid, quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius, propter Arcam Dei. Abiit ergo Dauid, & adduxit Arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: & erant cum Dauid septem chori, & victima vituli.

Arias. Ascendere fecit Arcam.

Sep. Rom. Adduxit, &c. & erant cum eo portantes Arcam septem chori, & victima vitulus, & agni.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Contristatus, Alij, Iratus. Non in Deum, sed propter occisum Ozam. *Eo quod percussisset*, Alij, *Eo quod diuisisset diuisionem, rupisset rupturam.* Heb. פָּרַץ פָּרַץ pharatz pherets, sed nihil hoc verbo indicatur, nisi quod percussus fuerit à Domino Oza, & occisus. *Diuertit in domum Obededom*, *Sep. Rom.* *Abeddera.* Sic etiam Theod. in M. S. sed *Reg. & Compl.* habent *Obededom.* *Et erant cum Dauid septem chori, & victima vituli.* Hæc verba non habentur nisi in Cod. Græcis, qui addunt præter victimam vituli, & agni, in aliquibus Latinis etiam non habentur vt in *Reg.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 8.** **C**ontristatus. Non de diuina iustitia, sed magis de Ozeæ offensa, propter quam meruerat à Domino percuti.

MENOC. *Contristatus est autem Dauid.* Ozæ commiseratione, qui tam repentina morte extinctus erat in negotio ipsius voluntate suscepto, populi conturbatione, ad subitum Ozæ casum terri, violatione, & neglectu sacrarum ceremoniarum: timore ne Ozæ culpa ad se aliquo modo pertineret.

Vsque in diem hanc. Cum scilicet hæc facer scribebat historicus.

LYRAN. **Y. 9.** *Et extimuit Dauid Dominum, &c.* Ex facto enim illo timuit, ne esset indignus deducere Arcam ad domum suam. Ideo subditur.

MENOC. *Extimuit Dauid, &c.* Timuit Dauid Arcam in domum suam inducere, veritus ne aliquo suo vitio malum sibi ac-

cerferet.

Sed diuertit. Iste autem Obededom erat de Leuitis, vt **LYRAN.** **Y. 10.** habetur 1. Par. 16. Dicitur autem Gethæus, quia ibi, scilicet in Geth, fuerat cum Dauid fugiente Saulem.

In domum Obededom. Leuitæ, & inter Sanctuarij ianitores, & cantores annumerati vt constat ex 1. Par. c. 15. 18. 21. 24. & c. 16. s. 38. & c. 26. 1. 4.

Gethæi. Quod in Geth Philistæorum natus esset parente eius aliquo casu ibi peregrinante.

Et benedixit. Multiplicando eum in bonis spiritualibus, & temporalibus, eo quod circa Arcam Domini reuerenter se habuerat, & deuotè. **LYRAN.** **Y. 11.**

Benedixit, &c. Ita Dominus illi fuit, vt bonis omnibus circumfluere, & quæ ad illum pertinerent, omnia prospere, feliciterque succederent.

Nuntiatumque. Hic consequenter deductio Arcæ inter- **LYRAN.** **Y. 12.**

rupta perficitur. Vbi 1. ostenditur ipsius Dauid deuota iucunditas respectu Dei. 2. ampla liberalitas respectu populi, ibi: *Cumque compleisset.* 3. vera humilitas respectu sui, ibi: *Reuersusque est Dauid.* Circa primum dicit, *Nuntiatumque, &c.* Et ideo confidens de Dei misericordia noluit Arcam adducere ad domum suam, vt benedictio Dei esset super ipsum, & super domum suam, & sic fecit, vt patet litera vsque ibi.

MENOC. Erant cum Dauid, &c. Partim Leuitarum, partim sacerdotum ante, post, & circa ipsam Arcam aliquo ordine dispositorum.

Et victima vituli. Immolandi, nam sexto quoque passu, vt dicitur numero sequenti, bos, & aries immolabantur.

TIRINVS. Nuntiatum estro, &c.] Certè fecundam, & largam oportuit fuisse eam benedictionem, quam spatio tam breui, putà trimestri, promiscuè omnes, etiam externi palpant. Quare puto, non solos greges (quod volunt Heb.)

A multiplicitate fœtura, & familiam totam mascula ac robusta prole auctam esse, vt colligitur ex 1. Par. 26. v. 4. & seq. sed insuper agros omnes fegetibus, arbores pomis, vites vuis ad miraculum graues fuisse. Si quid contraheret, aut negotiaretur cum aliquo, si quid acquireret, venderetue, omnia felicissimè cedere, nullas à cælo, nullas ab hominibus iniurias pati. Adde, si placet, effossos thesauros, contractas suprâ spem affinitates, amicitias, clientelas, statum, honores, gloriam, famam amplificatam: & alia quæ id temporis beatum omni ex parte fortunatumque quempiam reddere censebantur.

Nota, fuisse hunc Obed-Edom Leuitam, vt dicitur 1. Par. 15. v. 19. & c. 26. v. 4. Vocatur tamen hîc Gethaus à loco habitationis: quia vel pater illius, vt vult Serarius cum Vatablo: vel etiam ipsemet exulauit apud Philistæos in Geth fortè cum Dauid, & Abiatharo Pontifice, ita Abulensis & Salianus.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 13. & 14.

Vulg. Cumque transcendissent qui portabant Arcam Domini sex passus, immolabat bouem, & arietem.
Pag. Et bulalcum.
Arias. Et trassum.
Caiet. Cumque deambulassent, &c. & saginatum.
Tigur. Pecus pingue.
Malu. Quia inceserunt leuantes Arcæ sex incessus, sacrificauit, &c. & merinum.
Cald. Maçtauit bouem eumque pinguem.

Arab. Obtulit sacrificia Deo tauros impingatos.
Vulg. Et Dauid saltabat totis viribus ante Dominum. Porro Dauid erat amictus Ephod lineo.
Pag. Tota virtute. Arias. Ad facies Domini.
Bibl. antiqua. Dauid percutiebat in organis armigatis, & saltabat.
Malu. Et Dauid saltans in omni obfirmatione.
Sept. Rom. Dauid pulsabat in organis modulatis, & Dauid indutus stolam eximiam.
Arab. Accinctus fago holoserico.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Immolabant bouem & arietem, Alij, Bubalcum, Trassum. Heb. מרי meri, existimant plures bubalcum, & omnè pecus pingue significare; sic noster aliquando transtulit: aliquando etiam, & interpretatus est; sed hic arietem dixit: nam quod alij addunt, & ouem, plurimi Codices cum Angelomo, & Eucherio auferunt. Sep. Agnum reddiderunt: & nihil verius quam aries intelligatur, nam in Paral. disertè habetur. *Cumque adiunisset Deus Lenitas qui portabant Arcam fœderis Domini, immolabantur 7 tauri, & 7 arietes.* Quo ex loco etiam id colligere licet, hîc vbi dicitur, *bouem, & arietem.* singularem numerum, pro plurali accipiendum.

Dauid saltabat totis viribus. Sed in pluribus Bibl. antiquis, tam M. S. quam impressis, hæc verba præcedunt, percutiebat in organis armigatis, quæ plures Codices transfodiunt. Certum est Sep. ea habere. Fortè ea ablata à Codicibus emendatis, quia per hæc, *Saltabat totis viribus* indicari videtur, quod simul, & pulsauit, & laudauit, pede, manu, ore, lætitiâ indicans, & gloriam Domini. Cald. habet, *laudabat*; est enim נרנר quod redditur pulsare, laudare, saltare. Illud autem *armigatis*, idem est, quòd adaptatis, temperatis sonis; Noster Lyranus exponit, ad armum ligatis portatilibus.

ANNOTATIONES.

YRANVS. ET Dauid. Id est, ad armum ligatis, sicut sunt organa portatilia.
V. 14. Porro Dauid, &c. Deposuerat enim onera regalia vt humiliaret se coram Deo, & acceperat vestem similem Leuitis coram Deo ministrantibus.
MENOC. Saltabat totis, &c. Aptans videlicet vocem, motumque corporis musicis instrumentis, vel quæ alij, vel quæ

ipsemet pulsabat.
Accinctus Ephod lineo. Ephod etiam homines non sacri induere poterant, in religiosa tamen functione. Sic apud nos etiam musici sacris non initiati, nec Clerici, superpellicium assumunt, & in pompa cantantium choro aliquando se aggregant. Vide dicta 1. Reg. c. 2. n. 18.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 15. ad 19.

Vulg. Et Dauid, & omnis domus Israël ducebant Arcam testamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ.
Pag. Faciebant ascendere Arcam cum tarantantara, & sonitu.
Arias. In ouatione, & in voce.
Arab. Vocibus laudis.
Vulg. Cumque intrasset Arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saül prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino: & despexit eum in corde suo.
Pag. Vidit Dauid viriliter agentem.
Arias. Et in more capræ saltantem ad facies Domini.
Caiet. Saltantem, & resaltantem.

Tigur. Vilipendit eum.
Vatab. Tripudiantem.
Malu. Consolidantem sese.
Sep. Rom. Et pulsantem.
Cald. Saltando se cribrantem, & laudantem ante Dominum.
Arab. Gestientem, atque ludentem aspernata est.
Alij. Topaziantem, vel topaziatum, deauratum, gestientem præ lætitiâ.
Vulg. Et introduxerunt Arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei Dauid: & obtulit Dauid holocausta, & pacifica coram Domino.
Arias. Et ascendere fecit ascensiones ad facies Domini.

Sep. Rom. Quod fecerat. Et obtulit holocaustomata, & pacificas.
Reg. ut Vulg.
Cald. Obtulit libamen Sanctorum.
Arab. Sacrificia, & oblationes pacificas.
Vulg. Cumque compleisset offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.
Malu. Et consummavit de ascendere facere ascensionem.
Septuag. Rom. Simul offerens holocaustoles, & pacificas.
Cald. Et finiuit offerre, &c. liberationem Sanctorum.
Arab. In nomine Domini potentissimi.
Vulg. Et partitus est vniuersae multitudini Israël, tam viro, quam mulieri, singulis collyridam panis vnam, & al-

laturam bubulae carnis vnam, & simillam frixam oleo: & abiit omnis populus, vnusquisque in domum suam.
Pag. Placentam panis, pulchram partem carnis vnam, & lagenam vnam.
Lyran. Assaturam tauri vnam.
Arias. Et dolium vnum.
Calet. Et phialam vnam.
Tigur. Frustum carnis vnum, & pulcem vnâ.
Sep. Rom. Distribuit in omnem virtutem Israël à Dan vsque Bersabee, &c. assaturam vnam, & lagenam de sartagine.
Cald. Tortam panis, &c. & partem vnam, & portionem vnam.
Arab. Singulis capitibus, &c. Calicem vini.
Alij. Et dimissam sacrificij partem vnam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Subsilientem, Ailj, Viriliter agentem, consolidantem, &c. מַפְזֵזִים Mapezzes participium, habet multa significata: nempe subsilientem, obfirmantem se, tripudiantem, viriliter agentem: Qui vertunt, Topaziantem, vel topaziantem, explicant topazii multis ornatum; Qui deauratum, id est, multis aureis ornamentis excultum: quasi Dauid se multo auro, & gemmis ornauerit ad saltandum coram Arca. Atque saltandum, Arias habet, Instar capreae, sed in Heb. tale non habetur, vnde minoribus litteris hæc addidit, Heb. est מֵרֶכֶךְ mercacer, id est, ad numeros saltans.

Et assaturam bubulae carnis vnam. Alij, Pulchram partem carnis vnam. Heb. est אַשְׁפָּר asephar, quod Heb. componunt ex tribus vocabulis, ex אֶחָד ehad, vnus, שֵׁשׁ sheesch, sex, & פָּר phar, iuuenus, siue taurus, id est vnam ex sex partibus iuueni, sextam partem iuueni, in tot enim partes generaliores animal immolatum dissecabatur, vt hodie in quatuor. Alij deriuant à שֵׁפָר scaphar, exponuntque amplam, pulchram, portionem, partem, seu frustum carnis. Nonnulli componunt ex אֶשׁ esch, ignis, & פָּר par, iuuenus, & significare volunt frustum carnis bubulae ad ignem assatae, & hoc noster secutus est. Et simillam frixam oleo, Alij, Lagenam vnam, dolium vnum, calicem vini. Hebr. est אֶשְׁשָׁא quod licet ex aliquibus vertatur lagena, dolium, vel calix vini, verum hîc noster, atque Sep. & 1. Paral. c. 16. 3. constanter vertunt, Simillam frixam oleo, vel lagenam de sartagine, quibus vtpote priscis, & Heb. linguæ peritissimis magis credendum, quam recentioribus: tamen etiam dicendum, quod vox asiah nihil certum significat, sed tantum id quod conuiuium, & hominum familiarem, & beneuolum cœtum exhilarat: quare pro rerum, & temporum opportunitate modò Interp. reddunt simillam oleo frixam, modo lagenam, modo flores, modo lagenam vini; qui vertunt, diuersam, nempe sacrificij partem vnam, ratio eorum est, quia sopher metiri significat, vt patet Matth. 7. 2. מִשְׁפָּרַת mensura, & sic sensus erit, quantum, nempe vnus sextæ partis, in quas sacrificium æqualiter diuidi solebat, mensura continebat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET despexit.* Eo quod in tanta solemnitate non apparebat in habitu regio.
LYRAN. *Et obtulit, &c.* Id est, oblationes totaliter incensas ad honorem diuinum.
Et pacifica. Id est, oblationes quarum vna pars incendebatur ad honorem diuinum, alia erat sacerdotum, & alia offerentium: sicut amplius dicitur in Leuitico in pluribus locis.
MENOC. *Tabernaculi.* Tentorij.
Quod tetenderat ei Dauid. Quo scilicet obuoluebatur, quasi Mosaico velo, ne qua ex parte pateret humanis aspectibus. Locus hic fuit extra regiam domum, nam postquam in eo sacrificatum fuit, dicitur Dauidem reuersum fuisse in domum suam, erat ergo extra illam.
LYRAN. *Cumque compleisset, &c.* Hic consequenter ostenditur ipsius Dauid liberalitas respectu populi, & primò in spiritualibus, cum dicitur.
Et benedixit. Id est, bona imprecatus est: secundo in

temporalibus, cum dicitur.
Benedixit. Populum scilicet salutauit, & illi fausta à MENOÇ Domino precatus est.
Et partitus est vniuersae multitudini Israël, &c. Id est, LYRAN. panem tenuem. *v. 19.*
Et assaturam, &c. Id est, vnam portionem carnis assatae.
Et simillam. Simila est farina tritici delicatissima, ex qua cum aqua temperata fiebat pasta, & oleo frixabatur, & per portiones populo diuidebatur.
Collyridam panis vnam. Siue vt habetur 1. Paralip. 16. **MENOC.** 3. *Tortam panis.* Pagninus vtrobiq; habet *placentam panis.*
Assaturam bubulae carnis. Id est, partem carnis bubulae assatae.
Simillam frixam oleo. Edulium ex similla oleo macerata, condita, & frixa.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 20. ad 23.

Vulg. Reuersusque est Dauid vt benediceret domui suæ: & egressa Michol filia Saül in occursum Dauid, ait: Quam gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus, quasi si nudetur vnus de scurris.
Pag. Secundum quod discooperuit se vnus ex fatuis.
Arias. Sicut nudari nudando vnus inaniam.
Vatab. Otiosorum.
Tigur. An si leuissimus quisque nudus incederet.
Malu. Quid aggrauatus fuit die rex Israëlis, qui reuelatus fuit sicut reuelari, reuelari vnus vacuorum. Ita Calet.

Alij. Non aliter vulgari se, quam sese vulgare solent nebulones.
Sep. Rom. Et benedixit eum, & dixit, quam gloriosus, &c. & discooperit se discooperitus vnus saltantium.
Arab. Quam pulcher erat hodie rex Israël, & quam pulchra eius actio! &c. præbens se quasi vnum ex ipsis, & quasi vnus seruorum.
Syr. Quasi vnus è vanissimis hominibus.
Aliqui. Vt retegat se quispiam è manumissimis hominibus.
Vulg. Dixitque Dauid ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, & quam

omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux super populum Domini in Israël.
Sep. Rom. Dixit, &c. Coram Domino saltabo, benedictus Dominus, qui elegit me, &c.
Cald. Ante Dominum, cui complacitum est in me, &c. & laudabo ante Dominum.
Vulg. Et ludam, & vilior fiam plus quam factus sum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus loquuta es, gloriosior apparebo.
Arias Ludam ad facies Domini, & leuis ero amplius.
Caiet. Et cum ancillis ero honoratus.
Malu. Cum eis aggrauabor.
Sep. Rom. Et ludam, & saltabo coram Domino, & dif-

coopariar ultra sic, & inutilis ero, &c. & cum ancillis, de quibus dixisti me non esse glorificatum.
Reg. Et tripudiabo.
Cald. Minor amplius ero quam nunc, &c. & in oculis eorum ero præciosus.
Arab. Quin & hoc parum est apud me, quia vilis sum apud meipsum, neque pluris sum apud Dominum, quàm ancillæ, de quibus dixisti.
S. Ambr. Ero nugax ante oculos tuos.
Vulg. Igitur Michol filiæ Saül non est natus filius vsque in diem mortis suæ.
Arab. Non sunt concessi ei liberi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Egressa Michol in occursum David. *Sep. Rom.* addunt, *Et benedixit eum, & dixit.* Sed in aliis hæc non habentur: vnde illud *benedixit* intelligendum, quòd salutauerit eum. *Quam gloriosus hodie.* Aliqui, *Quid aggrauatus,* quia eadem vox Heb. כבוד vtrumque significat, gloria enim huius sæculi pondus est, non leue. *Nudatus,* Alij, *Sicut renelari.* Hoc intellige, non quod omnino fuerit nudus David, sed quod deposuerit vestem regalem extimam, vt indueret Ephod. *De scurrus,* Alij, *Vacuis, stultis.* Heb. רוקים *rokim,* cui hæc omnia subsunt significata, nempe vacui, otiosi, inanes, vani, leues, fatui, nebulones, &c. *Ante Dominum qui elegit me.* *Bibl. Antiq.* *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, quia elegit me,* licet emendati Codices priora verba non habeant, tamen, aut idem, aut non valdè diuersus sensus, si illud ante Dominum forma sit iuramenti, Iudæis familiaris; vt enim coram Deo iuramenti est species, quâ vsus fuit Paulus cum dixit coram Deo, quia non mentior; sic etiam ante Deum, quare sensus erit, ante Deum, seu coram Deo, ac Deus viuit, *Qui elegit me.* *Sep. Rom.* habent, *Benedictus Dominus qui elegit me,* sed priora verba absunt ab aliis. *Gloriosior apparebo.* *Caiet.* *Honoratus ero,* & explicat, quamuis in oculis tuis non appaream honoratus, apud oculos tamen ancillarum, quas dixisti apparebo honoratus.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
 V. 20.

Reuerfusque. Hic ostenditur humilitas David respectu sui, quia reuerfus in domum suam vt benè faceret illis de domo sua, sicut fecerat illis extraneis, Michol vxor eius improperauit ei quod in tanta solemnitate non apparuerat in ornatu regio dicens.

Quam gloriosus. Quasi dicat, in nullo, imo vilis, & ingloriosus.

Discooperiens. Quia regalia insigniâ deposuerat ex humilitate, quæ magis placet Deo quam ornatus regius: vnde de Eraclio imperatore legitur, quod cum reportaret crucem in Ierusalem Cosdroe rege deuicto, & sedens in equo, & ornatus insigniis imperialibus portans crucem non potuit ingredi Ierusalem, donec depositis omnibus humiliter venit peditando.

Ante ancillas. Id est, ita publicè, quòd personæ, etiam seruales poterant hoc videre: quasi diceret, peius est quàm si fuisset factum secretè.

Quasi. Quasi diceret, non fuit distinctio in habitu regis à vilibus personis.

ESTIUS.

Quam gloriosus, &c. Irridet Michol Dauidem; quasi dicat, minimè gloriosum est, sed planè indecorum, vt rex coram tota plebe ita se denudet. Sed non est putandum, quod rex omnino nudus, ac vestibus spoliatus coram multitudine apparuerit. Id enim re vera indecorum fuisset, & in honorem Dei fieri non debuisset. Sed dicitur se rex discooperuisse, & denudasse; quia ex humilitate ad Dei honorem spoliauerat se regio ornatu, & induerat Ephod lineum, quale gestabant Leuitæ; velut si quis nunc rex aut princeps ex deuotione in magna aliqua solemnitate indueret lineum, quod vocamus superpellicum, quo vtuntur Ecclesiastici. Id enim non est illicitum etiam Laicis, Nam & pueri in choro ea veste vtuntur. Et hoc quidem iudicio hominum carnalium ad vilitatem pertinet, re vera autem gloriosum est. Vnde David respondit; *Ludam, & vilior, &c.* Vide plura 1. Par. 15. & 2. Paral. 29.

MENOC.

Vt benediceret domui suæ. Vel ei benè precaretur, sicut benè precatus fuerat populo, num. 18. vel vt partem epu-

larum ex sacrificiis distribueret, & cum domesticis epularetur.

Quam gloriosus, &c. Ironica loquutio. Abulensis non satis probat hanc Dauidis saltationem, quam regi parum decoram putat. Alij eam defendunt, nam decori inter saltandum Dauidem rationem habuisse dubitandum non est, & Michol dum maritum accusat, nimium rem exaggerat, quippè commota dolore, & superbia regij sanguinis tumens, vt notauit S. Greg. l. 27. Moral. c. 27. qui eam hoc nomine insanam vocat.

Nudatus est. Pro, spoliatus paludamento, & veste extima regali: & indutus Ephod lineo, id est, stola byssina, qualis erat Leuitarum, vt expressè habetur 1. Par. 15. v. 27. Vide quæ de Ephod, dixi Exod. 28. & 1. Reg. 22. v. 18.

Dixitque David. Humiliter respondendo.

Viuit Dominus. Id est, per viuentem Deum.

Ludam ante Dominum. Mente, & corpore exultando.

Et vilior. Id est, humilior quia secundum quod dicit B. Greg. hom. 31. Tanto humilior atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto obligationem se esse conspiciat in reddenda ratione. David autem à Deo multa beneficia receperat, quæ se humiliando recognoscebat.

Et cum ancillis. Michol enim ex sua superbia inter ancillas reputabat alias vxores David quas acceperat tanquam secundarias, & cum istis David apparuit gloriosior, quia de ipsis habuit prolem multam, pulchram, & nobilem, etiam post istud factum, non autem de Michol, ideo subditur.

In oculis meis. In æstimatione mea.

Cum ancillis. Apud ancillas.

Gloriosior. Quasi dicat, quod tu vilitatem putas, ego gloriam duco.

Igitur. Scilicet de cætero, licet habuisset ante filium, prout dictum fuit supra c. 3.

Non est natus filius, &c. Id est, sterilitate perpetua diuinitus est punita.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS.

DVm meditatatur Dauid templum Domino construere, à Nathan Propheta primùm collaudatur: sed mox iubente Domino per eundem prohibetur, promissione accepta, quod filius ex ipso nasciturus templum illud construeret.

1.



Actum est autem cùm sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis, 2. dixit ad Nathan Prophetam: Videsne quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium? 3. Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo: vade, fac: quia Dominus tecum est. 4. Factum est autem in illa nocte: & ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: 5. Vade, & loquere ad seruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? 6. Neque enim habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israël de terra Ægypti, vsque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio. 7. Per cuncta loca quæ transiui cum omnibus filiis Israël, numquid loquens locutus sum ad vnam de tribubus Israël, cui præcepi, vt pasceret populum meum Israël, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? 8. Et nunc hæc dices seruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de pascuis sequentem greges, vt esses dux super populum meum Israël: 9. Et fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti, & interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua: fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. 10. Et ponam locum populo meo Israël, & plantabo eum, & habitabit sub eo, & non turbabitur amplius: nec aduent filij iniquitatis vt affligant eum sicut prius, 11. ex die qua constitui iudices super populum meum Israël: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicatque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus. 12. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. 13. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. 14. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. 15. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saül, quem amoui à facie mea. 16. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter. 17. Secundum omnia verba hæc, & iuxta vniuersam visionem istam, sic locutus est Nathan ad Dauid. 18. Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? 19. Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: ista est enim lex Adam Domine Deus. 20. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? Tu enim scis seruum tuum Domine Deus. 21. Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres seruo tuo. 22. Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audiuius auribus nostris. 23. Quæ est autem, vt populus tuus Israël, gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram, à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, & Deum eius. 24. Firmasti enim tibi populum tuum Israël in populum sempiternum: & tu Domine Deus factus es eis in Deum. 25. Nunc ergo Domine Deus, verbum quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius, suscita in sempiternum: & fac sicut locutus es, 26. vt magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israël. Et domus serui tui Dauid erit stabilita coram Domino, 27. quia tu Domine exercituum Deus Israël reuelasti aurem serui tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propterea inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oratione hac. 28. Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad seruum tuum bona hæc. 29. Incipe ergo, & benedic domui serui tui, vt sit in sempiternum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus serui tui in sempiternum.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 1. ad 7.

Vulg. Factum est autem cum sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem undique ab uniuersis inimicis suis.
Malu. Et fuit, quia habitauit rex, &c. requiescere fecit ei de circuitu.
Sep. Rom. Hereditate fecit eum.
Cald. Ab omnibus autoribus inimicitiae eius.
Syr. Et Dominus tranquillum reddidisset.
Vulg. Dixit ad Nathan Prophetam: Videsne quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium?
Arias. Residens in medio cortinae.
Tigur. Manet intra aulam.
Varab. Iuxta cortinam.
Malu. In medio alae.
Sep. Rom. In medio tabernaculi.
Cald. Sedeo in domo, quae adumbrata est caelaturis Cedrorum.
Arab. In aede Cedro laqueata.
Vulg. Dixitque Nathan ad regem. Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.
Cald. Quia dictum Domini in auxilio tuo est.
Vulg. Factum est autem in illa nocte: & ecce sermo Domini ad Nathan, dicens.

Arab. Reuelauit Dominus Nathan Prophetam.
Vulg. Vade & loquere ad seruum meum Dauid: Haec dicit Dominus: Numquid tu aedificabis mihi domum ad habitandum?
Cald. Num tu aedificabis ante me domum, ut manere facias maiestatem meam in ea?
Vulg. Neque enim habitauit in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Aegypti, usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, & tentorio.
Malu. Et fui ambulare me faciens in tentorio, & in scena.
Cald. Et mansit maiestas mea in tabernaculis, & in cortinis.
Vulg. Per cuncta loca, quae transiui cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui praeci, ut pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non aedificastis mihi domum cedrinam?
Pag. In omni loco, per quem ambulauit.
Malu. Quo ambulare me feci, &c. ad unum baculorum Israelis.
Alij. Ad unum de sceptris.
Cald. Quare non aedificastis ante me domum, quae adumbrata sit in caelaturis Cedrorum?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN medio pellium, Alij, Intra aulam, iuxta cortinam. Tabernaculum in quo erat Arca, tegebatur pellibus arietum rubricatis, & ianthinis, instar papilionis. Ad unam de tribubus Israel, Alij, Ad unum baculorum, de sceptris. Omnes habent tribus, solus Heb. vocem שבט *sebet* sumit in significatione sceptri, aut baculi, iuxta illud, non auferetur sceptrum de Iuda: quasi dicat: ad unum de sceptris, id est, Iudicibus, aut regibus: Cui praeci ut pascere populum meum, neque enim id tribui praecipit, sed praefecto, num illis dixi, ut aedificarent mihi domum?

ANNOTATIONES.

- LVRAN.** *V. 1.* Factum est. Hic consequenter describitur deuotio Dauid erga Deum, quantum ad domum ipsius aedificanda. Circa quod 1. ponitur humana consultatio. 2. diuina prohibitio, ibi: Factum est autem. 3. de Christo repromissio, ibi: Et nunc haec dices. Circa primum sciendum quod Deut. 12. dicitur, quod quando filij Israel quieti essent in terra promissionis, tunc Dominus eligeret locum, ubi templo aedificato offerrentur de caetero sacrificia Domini, & non alibi: sicut etiam fuit expositum ibidem: Et ideo videt Dauid: quod Dominus dedisset sibi requiem ab uniuersis inimicis suis, credidit esse tempus aedificandi templum, propter quod;
- MENOC.** Cum sedisset. Cum scilicet nulla esset necessitas procedendi ad bellum, sed domi quietus ageret.
- LYRAN.** *V. 2.* Videsne, &c. Domo cedrina nobiliter, & praesumptuose aedificata.
 Et Arca. Quasi dicat, iustum videtur, & rationabile, quod ego ei aedificem excellentissimam domum.
- MENOC.** Dixit ad Nathan Prophetam. Virum sanctum tempore Dauid, qui etiam in Catalogo Sanctorum a sapiente recensetur Eccl. 47.
 In medio pellium. Heb. & Cald. In medio cortinae, siue aulae. Alibi dictum est Arcam velis ac pellibus tabernaculi operam fuisse.
- LYRAN.** *V. 3.* Dixitque. Non spiritu prophetico, sed humano, quod patet ex hoc, quia postea retractauit verbum suum.
 Omne quod. Quasi diceret, bonum propositum concepisti, impleas opere.
 Quia Dominus tecum est. Credebat enim Deo placere, quod ei domus a Dauid aedificaretur. Et ex hoc patet quod spiritus prophetiae non semper tangit corda prophetarum, quia aliquando loquuntur instinctu proprio, & humano, & non diuino, ut patet in hoc loco, & in pluribus alijs.
- ESTIUS.** Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est. Gregorius homilia prima in Ezechielem dicit, Nathan Prophetam ex magno ysu
- A** prophetandi suspicatum fuisse, quod haec etiam prophetico spiritu diceret, cum tamen ea ex suo spiritu proferret, atque adeo ipsum postea a spiritu diuino correctum ea retractasse. Et idem sentit Diuus Thomas secunda secundae quaest. 171. articulo quinto, Gregorij authoritatem secutus. Sed fortasse rectius dixerimus, Nathan a Dauid consultum ex tempore respondisse, non ut Prophetam, sed ut virum prudentem, ac Dei amicum, id quod pietas, & prudentia suadebant esse respondendum. Quis enim vir pius ac prudens non probaret tale propositum regis de aedificando templo, in quo Deus coleretur? Et ideo quoque Nathan forte pro responso non consulit Dominum, quod putaret in re tam aperta non opus esse consultatione.
- Dominus tecum est. Qui tibi hanc mentem inspirauit. Menoc.*
Omne quod est in corde tuo, vade, fac.] Hinc probant *Tir* S. Gregorius & S. Thomas, non omnia quae loquuntur Prophetam, spiritu semper prophetico didicisse, sed interdum, sicut caeteros hominum, suis duci solitos consilijs, imò & a vero abduci. Exemplo sit *Ionas*: & hic noster *Nathan*, qui idcirco sequenti nocte moitus a Deo, reuocauit postera die quae pridie probarat. Epiphanius, Isidorus, Theodoretus, & Chronicum Alexandrinum notant, hunc Nathan oriundum fuisse ex Gabaath Galilaeae, & Dauidi regi propter donum prophetiae per familiarem atque eius a consilijs fuisse. Causa vero cur Deus noluerit Dauidem sibi templum aedificare, vna profertur a Salomone 3. Reg. 5. v. 3. propter bella imminetia per circuitum. Altera ab ipso met Deo 1. Paral. 22. vers. 8. Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellaisti. Usque adeo displicent Deo caedes hominum, ut caedes sunt, quo altius nobis imprimat affectum mansuetudinis ac lenitatis. Itemque ut praesignaret, Ecclesiam construendam non ab aliquo bellatore, aut vi, aut armis, sed agnina mansuetudine, & a Salomone, id est, pacifico Christo, ita Angelomus, Glossa ordinaria, Serarius & alij. Simile quid legimus in vita S. Stephani Hungariae regis, cuius parenti,

licet Christiano, dictum in visione nocturna. *Non fiat per A te quod meditaris: &c.*

LYRAN. *Factum.* Hic consequenter ponitur diuina prohibitio, cum dicitur: *Factum est, &c.* Id est, immediatè dicti sequentis dictum consilium: videbat enim Dominus ipsum Dauid, valdè voluntarium ad opus inchoandum, cuius tamen tempus nondum aduenerat, vt magis patebit ex sequentibus: ideo ita cito facta est diuina prohibitio, ne Dauid statim inchoaret opus.

MENOC. *Sermo Domini ad Nathan.* Noluit Deus Dauidem per alium monere, quam per ipsum Nathan, vt ipse idem Propheta erudiretur in posterum, nec facilè inconsulto Domino quasi ex Dei oraculo responderet, quod fecerat cum dixit: *Omnia qua, &c.*

LYRAN. *Numquid.* Quasi dicat. Non. Cuius ratio subditur.

LYRAN. *Neque enim.* Quia Arca Dei, & propitiatorium, quod erat quasi sedes Dei, vt supra dictum est, semper fuerant in tabernaculo, & non in domo stabili, vel mansua, de lignis, & lapidibus ædificata.

Neque enim, &c. Rationem reddit cur in præsens nolit templum ædificari, quod scilicet differri possit, nec sit illi templum necessarium, qui tamdiu in tabernaculo peregrinantium more habitauit.

Ambulabam, &c. Ambulabam cum Israëlitis per desertum, contentus tabernaculo.

Numquid. Quasi dicat: Adhuc non præcepi. In Heb. **LYRAN.** habetur: *Et dixi ad vnâ de tribubus Israël, cui præcepi, vt pasceret.* Quia de omnibus ferè tribubus, fuerant aliqui pastores populi Israël. Verbi gratia de tribu Leui, Moyse, & Aaron, de tribu Ephraim Iosue: de tribu Iuda, Othoniel: de tribu Manassè Iephte: de tribu Benjamin Aod, & Saül: de tribu Nephtali Barac: de tribu Zabulon, Ahilon: de tribu Dan, Samson: de tribu Issachar Thola.

Numquid locutus, &c. Ostendit Deus sibi molestum non fuisse templo carere, quod numquam cum populo, aut tribu aliqua conquestus sit de populi obliuione, aut inertia, quod templum non excitarent.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad II.

Vulg. Et nunc hæc dices seruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum. Ego tuli te de pascuis sequentem greges, vt esses dux super populum meum Israël.

Pag. Ego tuli te de tugurio euntem post boues.

Calet. De habitaculo.

Vatab. E caula.

Tigur. De septo.

Malu. De nomo.

Sep. Rom. Dominus omnipotens, assumpsit te de mandra ouium.

Reg. De pascuis ex vna ouium.

Cald. Ex ouili de post pecudes.

Arab. Dominus fortissimus, &c. è vestigiis ouium, vt esses gubernator.

Vulg. Et fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti, & interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua: fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.

Pag. Excidi omnes, &c.

Arias. A faciebus tuis.

Sep. Rom. Exterminaui: feci te nominatum.

Cald. Fuit dictum meum in auxilio tuo, consumpsit omnes authores inimicitia tuæ, &c. sicut nomen magnatum.

Arab. Comparauit tibi nomen celeberrimum, magis celebre, quam nomina regum, ac principum terræ.

Vulg. Et ponam locum populo meo Israël, & plantabo eum, & habitabit sub eo, & non turbabitur amplius: nec addent filij iniquitatis vt affligant eum sicut prius.

Pag. Non addent ad affligendum eum sicut prius.

Malu. Et scenitabit sub se, & non commouebitur adhuc, & non addent filij iniustitiæ, &c. secundum quod in prima.

Sep. Rom. Habitabit per se, & non erit sollicitus ultra, & non adiiciet filius iniustitiæ humiliare eum.

Cald. Et ponam locum paratum, &c. & non terrebitur amplius.

Syr. Habitare faciam eos cum quiete.

Arab. Atque equidem vt per te magnificarem gentem Israëliticam populum meum, & collocarem eos super in habitaculo spei, & securitatis, nec ultra formidarent, nec denuo premerent eos, seruitute iniqui.

Vulg. Ex die qua constitui iudices super populum meum Israël: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicique tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus.

Arias. Annuntiat tibi.

Malu. Requiescere faciam tibi de omnibus maleuolentibus tuis.

Sep. Rom. A diebus quibus, &c. quia domum ædificabis ei.

Reg. Quod domum ædificabit tibi.

Theod. Ædificabit sibi.

Cald. Qui constitui præfectos, &c. quod regnum firmabit tibi.

Arab. Dominus te magnificabit, & domum tuam ampliabit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ego tuli de pascuis, Alij, De tugurio, è caula, &c. Voci Hebr. *naueh*, hæc significata subiiciuntur, septem, caula, casa pastoricia, tugutium, mapalis, nomus, &c. *Iuxta nomen magnorum*, Arab. *Magis celebre quam nomina regum ac principum*. Id est, celeberrimum. *Et habitabit sub eo*, Alij, *Scenitabit sub se*. *Sept.* *non erit sollicitus ultra*; id est, vt habet Syr. *Habitare faciam eos cum quiete. Quod domum facias tibi*. *Sep. Rom.* *Domum ampliabit*. Nempè familiam, regnum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET nunc.* Hic consequenter ponitur de Christo re-promissio, & secundo ipsius Dauid gratiarum actio, ibi: *Ingressus est autem Rex.* Prima in duas, quia primo beneficium exhibitum recolitur. 2. exhibitum promittitur, ibi: *Et ponam locum.* Circa primum dicitur.

Ego tuli te. Hoc patet ex prædictis supra 1. lib. 16. c. 17.

MENOC. *Ego tuli te.* Hæc beneficiorum Dei in Dauidem collatorum commemoratio eo pertinet vt intelligat Dauid non propterea nolle Deum sibi ab eo templum ædificari, quasi minus illum amet, cum ex tam multis beneficiis satis de amore Domini in eum constare possit.

Tom. IV.

Et fui. Protegens te ab aduersariis, & dirigens in operibus tuis. **LYRAN.**

Et interfeci vni. Scilicet Saül, Doëg, & alios, vt patet ex supradictis. **Y. 9.**

Fecique tibi. Dando tibi dignitatem regiam.

Iuxta nomen. Quasi dicat, magnitudo ista quæ habetur in terra, modica est respectu illius quæ expectatur in futuro. Vnde dicit Saluator Matt. 11. *Qui autem minor, &c.* Ista beneficia Dauid exhibita Deus recitauit, non ad exprobandum, sed ad accendendum amplius cor Dauid ad amorem diuinum.

- MENOC. *Magnum qui sunt in terra.* Qui celebrantur in terra, A quod Italicè diceremus. *In casa sua.*
 vt dicitur 1. Par. 17.
 Lyr. An. *Et ponam.* Hic consequenter promittitur beneficium ex-
 hibendum, Et primò quantum ad temporale regnum, se-
 cundò quantum ad spirituale, & æternum, ibi: *Cumque*
completi fuerint. Circa primum dicitur. *Et ponam.* Id est,
 templum in Ierusalem, vt populus ibi offerat, & non alibi.
Et plantabo. Id est, firmiter radicabo in regno tuo.
Et habitabit. Per verum cultum.
Et non turbabitur. Sicut fuit in Ægypto sub Pharaone.
Nec addent. Id est, infideles.
Vt affligant. Scilicet tempore Iudicium, qui frequenter
 propter peccata sua affligebantur ab infidelibus: sicut pa-
 tet ex decursu illius libri: quia licet filij Israël fuerint po-
 stea aliquando afflicti propter peccata sua, non tamen ita
 frequenter.
 MENOC. *Et habitabit sub eo.* Sep. habent *גב' עמתי, apud seipsum,*

VARIETAS LECTIO NVM à Vers. 12. ad 17.

Vulg. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris
 cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te,
 quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius.
Pag. Statuam semen.
Malu. Surgere faciam, & stabiliam, &c.
Caiet. Firmabo semen.
Sep. Rom. Parabo regnum eius.
Cald. Nam perficientur dies tui, & iacebis, &c. statuam
 filium tuum post te, quem gignes post hoc, & statuam.
Syr. Quod è dorso tuo.
Arab. De lumbo tuo prodibit.
Vulg. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam
 thronum regni eius vsque in sempiternum.
Pag. Firmabo solium.
Caiet. Dirigam regnum eius.
Sep. Rom. Erigam thronum.
Vulg. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium:
 qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga viro-
 rum, & in plagis filiorum hominum.
Arias. Et in tactibus filiorum hominis.
Caiet. Castigabo eum.
Malu. Qui in deprauatione facere eum, in baculo ho-
 minum.

Sep. Rom. Et si venerit iniustitia eius.
Cald. In castigatione virorum, & in rebellione, &c.
Syr. In virga viri, & in verberibus humanis.
Arab. Et in plagis, quibus plectunt homines.
Vulg. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, si-
 cut abstuli à Saül, quem amoui à facie mea.
Pag. Quemadmodum recedere feci à Saül, quem recede-
 re feci à facie mea.
Malu. Et benignitas mea non discedet ab eo.
Sep. Rom. Sicut remoui ab iis, quos remoui à facie mea.
Cald. Et bonitas mea non recedet.
Arab. Gratiam meam non amouebo.
Vulg. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in
 æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus
 iugiter.
Pag. Firma erit.
Caiet. In facie tua sedes tua dirigetür vsque in sæculum.
Malu. Et credetur domus tua, &c. solium tuum erit sta-
 bile.
Vulg. Secundum omnia verba hæc, & iuxta vniuersam vi-
 sionem istam, sic locutus est Nathan ad Dauid.
Cald. Et secundum prophetiam hanc.
Syr. Eadem serie retulit Nathan Dauidi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN virga virorum, & in plagis filiorum hominum: Alij, *Virga hominum, & in plagis quibus plectunt homines.* Id est, mo-
 dum adhibebo castigationibus, vt patres cum castigant filios, non perdendi eos gratiã. *Quem amoui à facie mea.*
Sep. Rom. *Sicut remoui ab iis, quos remoui à facie mea.* Ita etiam Theod. sed in alijs Codic. Græc. habetur, sicut in
 Vulg. *Et fidelis erit domus tua.* Alij, *Firma credetur,* Heb. *נעמן* *neeman,* quod redditur, credetur, vel credita erit domus:
 sed omnia hæc complectitur, esse fidele, stabile, certum, ratum firmum. *Regnum tuum vsque in æternum ante faciem*
tuam. Sep. *Ante me,* secundum Vulg. quomodo poterat videre, quod æternum foret? ait Heb. supplet. quæ est domus
 tua, quæ est ante faciem tuam, id est, quam vides, & quam possides, ea stabilietur in æternum, sed Sep. facilius se expe-
 diunt, legentes, *coram me.*

ANNOTATIONES.

Lyr. An. **C**umque. Hic consequenter fit promissio ipsi Dauid B
 de regno spiritali, & æterno, quæ promissio imple-
 ta fuit in Christo. Ad intellectum autem huius passus, &
 similitum considerandum quòd gesta ve. test. fuerunt figu-
 ra gestorum noui, secundum quod dicit Apost. 1. ad Cor.
 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Et sic Salomon filius
 Dauid fuit figura Christi, qui natus est etiam de Dauid
 secundum carnem vt dicitur Rom. 1. Illud autem quod
 est figura alterius, oportet quod sit aliqua res secun-
 dum se: nisi enim si circulus pendens in tabernæ ostio
 esset aliqua res in se, non posset esse signum, vel figu-
 ra vini existentis in cellario. Sic igitur, illud quod est figu-
 ra alterius potest tripliciter considerari. Vno modo vt est
 res in se tantum. Alio modo vt est figura alterius tantum.
 Tertiò modo secundum vtrumque. Sic igitur in sacra Scri-
 ptura aliqua dicuntur de Salomone secundum se, & sic
 non fuit figura Christi: sicut quod fecit templa idolorum,
 vt habetur infra lib. 3. cap. 11. Aliqua autem dicuntur de
 ipso in quantum fuit figura Christi tantum, quæ non pos-
 sunt verificari de Salomone secundum se, sed tantum de
 Christo, sicut illud Psal. 71. *Et dominabitur à mari vsque ad*
mare, &c. Quod nõ fuit verum de Salomone, quia non fuit
 supremus monarcha, sed habuit regnũ satis arctum, sed ve-
 rũ est de Christo homine, cui in sua resurrectione data fuit
 omnis potestas in celo, &c. vt habetur Matt. ult. Alia autem
 dicuntur in scriptura de Salomone vtroque modo, quæ
 scilicet verificata sunt de ipso, licet minus perfectè, & de
 Christo perfectiùs; cuiusmodi sunt illa quæ hic ponuntur,
 saltem aliqua. *Cumque.* Exponendo de Salomone, sciendum
 quod licet fuerit coronatus in regem viuente adhuc Dauid,
 vt habetur infra lib. 3. c. 1. tamen non fuit firmiter stabili-
 tus in regno vsque post mortem Dauid, quando Adonai,

& Ioab interfectis dissoluta fuit colligatio eorum qui fauebant Adoniæ: tamen Salomon adhuc non erat natus nec conceptus, quando ista verba fuerunt dicta Dauid, ex parte Domini. Sic igitur quod dicitur hic, *Suscitabo, &c. post mortem tuam*, ita quod ista suscitatio intelligitur quantum ad regni stabilitatem, sicut aliquis dicitur creari in regem. *Quod egredietur.* Per hoc designatur natiuitas Salomonis, quæ licet fuerit ante mortem patris, fuit tamen post verba ista sibi dicta: & sic littera est intricata, & referenda est ad diuersa modo dicto, & talis modus loquendi bene inuenitur alibi in scriptura. *Ipse edificauit, &c.* Sicut habetur infra lib. 3. c. 6. *Et stabiliam thronum.* Id est, in tempus longum, sicut in Psalmo dicuntur montes æterni. Regnum enim Salomonis defecit in transmigracione Babylonis, vel saltem in diebus Herodis, qui fuit alienigena, quia pater eius fuit Idumæus. *Ego ero ei in patrem, &c.* Per gratiam adoptionis: quia in principio Salomon fuit gratiosus coram Domino: propter quod Nathan propheta vocauit eum amabilem Domino, vt habetur infra c. 3. *Qui si, &c.* Hic accipitur si, pro quia, quia de eo scribitur infra lib. 3. c. 11. *Cumque iam esset senex, &c.* Et ibi subditur, quomodo ædificauit templa idolorum in monte Oliueti contra Ierusalem, ita quod de templo Domini poterant idololatæ videri: quod erat maximum incitamentum populo Israël ad reliquendum Dominum, quia pronus erat ad idololatriam. *Arguam eum in virga.* Id est, molestiis ab hominibus inflatis, sicut infra dicitur 3. lib. c. 11. quod Dominus suscitauit aduersarios plures Salomoni in fine vitæ suæ. *Et in plagis.* Eodem modo exponendum est de aduersariis prædictis Salomoni suscitatis. In Heb. habetur. *In plagis.* Quod exponunt Hebræi de Adam primo homine, dicentes quod Adam in centum tribus annis, quibus continuit se ab vxore sua Eua propter interfectionem Abel, dæmones succubi iungebantur ei, & concipiebant ab eo, & pariebant dæmones, & isti fuerunt filij Adam, qui vt dicunt incitauerunt Salomonem ad peccandum, & per hoc diuisum fuit regnum tempore filij sui. Hoc autem hic posui ad ostendendum ad quam cecitatem deueniunt Iudæi secundum dictum Apostoli ad Rom. 11. quia cum dæmones sint spirituales substantiæ non possunt ex semine hominis produci, & si dæmones aliquando fiunt succubi, vt ex semine illo aliquid generetur, oportet, quod postea fiant incubi, vt semen illud in mulierem transfundatur, & sic ex eo homo, & non dæmon generatur. *Misericordiam.* Ex hoc dicunt aliqui, quod Salomon licet peccauerit grauiter vt dictum est, tamen in fine pœnituit: & sic est saluatus. Et hoc etiam dicit quædam glossa Hebraica super Eccl. 2. c. Sed hoc est mihi valde dubium, sicut diffusius tractaui in quadam quæstione de quolibet mihi super hoc proposita: quia si verè pœnituisset, cum esset rex valde potens, cui nullus de populo ausus fuisset contradicere, destruxisset templa idolorum quæ ædificauerat, vt videtur, quod tamen non fecit, quia steterunt vsque ad tempus Iosia regis, vt habetur infra lib. 4. c. 23. Nec ex hoc loco potest efficaciter argui de misericordia Dei circa eum, nisi quantum ad temporale regnum, quod non fuit ab eo, nec a filiis eius totaliter ablatum, sicut fuit à Saule, ideo subditur, *Sicut absuli.* Scilicet ne regnaret posteritas sua. Quod enim Saul fuerit damnatus non habetur expressè ex scriptura, sicut supra dictum est lib. 1. c. ult. *Et fidelis erit domus tua.* Quia licet aliqui reges à Dauid descendentes declinauerunt ad idololatriam, tamen alij sedentes reducebant populum ad cultum diuinum. Exponendo autem litteram istam de Christo, expositio est multo clarior, & melior, saltem in pluribus, cum dicitur. *Cumque completi, &c.* Certum est quod Christus descendens ex Dauid secundum carnem per Virginem Mariam, fuit magno tempore post mortem Dauid: & sic littera patet prout iacet.

Et firmabo. Quia regnum Christi firmum est in perpetuum, secundum quod dicitur. Dan. 7. *Potestas eius, potestas aterna, &c.*

MENOC. *Cumque completi fuerint dies tui, &c.* Salomon quem suscipies filium, ipse cum tu in viuus esse desieris, mihi templum ædificabit.

Tom. IV.

A *Ipse edificabit.* Scilicet Ecclesiam de lapidibus viuus, & electis.

Stabiliam thronum, &c. In hac Nathan prophetia quæ de Salomone, quædam de Christo intelliguntur ad litteram. Nam vt monui in Prolegomenis, hoc frequenter accidit in prophetiis, vt repente à figura transfiliat Propheta ad figuratum. Omnia etiam de Salomone explicari posse contendit Abulensis, cum semper tacita conditio intelligenda sit, de qua dixi hoc cap. num. 10.

Arguam eum, &c. Clementer scilicet, & humane, vt solent homines filios castigare.

Stabiliam thronum, &c.] Id est, in tempus longinquum: sic enim id explicat ipsemet Dauid infra v. 19.

Ego ero, &c. Non per adoptionem, sed per naturam quæ est vera, & perfecta filiatio: & sub isto intellectu introducit Apostolus hanc authoritatem dictam de Christo ad Heb. c. 1.

Qui si inique aliquid gesserit. Hoc non potest exponi de Christo in persona propria. *Quia peccatum non fecit, &c.* Nec Salomon in quantum peccator fuit ipse, vt prædictum est. Potest tamen exponi de ipso pro membris ipsius propter descendensionem capitis ad membra secundum illam regulam quam posui in principio Gen. Et hoc modo peccata populi Christiani dicuntur peccata Christi Psal. 21. *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Vbi loquitur propheta in persona Christi. Vnde & pro peccatis nostris verberatus fuit, plagatus & crucifixus.

Ego ero ei in patrem, &c. Et v. 15. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, &c.* Sicut ex his verbis conuinci non potest Saule esse damnatum, vt ostendimus 1. Reg. 31. ita nec concludi valet Salomonem finaliter salutem esse consecutum. Nam nihil aliud his verbis significatur, quam regnum temporale non esse ab eo auferendum, sicut ablatum fuit à Saule, eiusque posteris. Mansit enim regnum Iuda penes posteritatem Salomonis multo tempore, videlicet vsque ad captiuitatem Babylonis, ac deinceps sub titulo principatus, vsque ad Herodem, in eo consilio supremo Iudæorum, quod vocabatur Sanedrim, ac demum in Christo ex progenie Dauid, & Salomonis spirituale regnum pro terreno successit. Et sanè Dauid commemorans hanc promissionem à Deo sibi factam 1. Paral. 28. manifestè eam in filio Salomone intelligit, ac nominatim istud. *Ipse erit mihi in filium, & ego ero ei in patrem. Et firmabo, &c.* Pertinet ergo hic locus secundum litteram ad Salomonem, sed sensu mystico, atque longè sublimiori, nobisque ex Scriptura sacra testatissimo, pertinet etiam ad Christum, vt Heb. primo, & aliunde. Vide ibi nostrum Comment. atque etiam Annot. 1. Paral. 28.

Ipse erit mihi in filium.] Id est, talem ex ipso, ipsiusque posteris voluptatem hauriam, qualem ex charissima sobole parentes haurire solent.

Qui si inique aliquid gesserit, &c.] Hebræi, teste S. Hieron. *Virga virorum, inquit, gladius est inimicorum: plaga vero filiorum sunt,* morbi, egestas, intamia, aliæque incommoditates humanæ, *Quibus propter peccatum suum homines à Domino merito flagellantur.* Ita etiam Caietanus, Dionysius, Lyranus, Abulensis, & Sanctius.

Misericordiam autem meam non auferam ab eo, &c.] Id est, cuius promouendi, aut stabilendi curam omnem abieci, & stirpem totam à spe regni recuperandi prorsus exclusi. Non ita facturus sum cum stirpe tua, quantumuis, & ipsa me non raro offenderet. Nihil enim minus efficiam vt ex ea continuo noua pullulent germina regia, donec tandem ex ipsa prodeat virga, ex qua protuberet flos ille, qui toti mundo salutem afferet. Ita Doctores supra citati, qui vnà cum S. Augustino notant, quædam hic de Salomone prædici, prout est particularis persona, & filius Bethsabee, & hæc ita illi propria sunt, vt nullo modo debeant, aut possint Christo aptari, verbi gratia si peccarit (vt re vera peccauit idola colendo, libidini intemperantius obsequendo) virga & plagis arguendum esse. Quædam verò de illo prædici prout fuit typus, & imago Christi, & hæc in Salomone inchoatiuè, & imperfectè locum habuerunt: sed in Christo plenè, & perfectè completa sunt, verbi gratia regnum eius fore pacificum, æternum

P p iij

LYRANUS
V. 13.
MENOC

TIRINVS

LYRANUS
V. 14.

ESTIUS

TIRINVS

TIRINVS
V. 15.

ipsum ædificaturum domum Domini: domum illius fore *fidelem*, seu firmam, & stabilem: Deum illi patrem fore, &c.

LYRAN. *Et fidelis erit domus.* Quia fides non deficiet in Ecclesia. *Et regnum tuum, &c.* Quia regni Christi non erit finis. *Luc. 1.*

MENOC. *Fidelis erit domus tua.* Fidelis idem est ac stabilis, & fir-

ma, hoc enim vox *fidelis*, non infrequenter significat in scriptura, vt 3. Reg. 11. 38. Isai. 22. 23. Act. 13. 34.

In æternum ante faciem tuam. Scilicet te videndo, nam viuunt animæ, & vident etiam post mortem. Ita Emanuel Sa. Sanchez putat idem esse, *ante faciem tuam*, quod *in posterum*. Sic Itali de præterito tempore dicunt, *Per Ladietro*, de futuro verò. *Da qui manzi.*

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 18. ad 21.*

Vulg. Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsque? *Sept. Rom.* Quia dilexisti me vsque ad hæc? *Cald.* Non sum pro sufficientia Domine Deus, quod perduxisti me. *Arab.* Vt me ad tantam amplitudinem euereris? *Vulg.* Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus. *Arias.* Ista est lex hominis. *Sep.* Et faustus sum paruus parum contra te. *Reg.* Et parua visa sunt parua hæc. *Arab.* Paruine momenti hoc est apud te, quod ei pollicitus es duraturam illi potestatem? Hoc sanè, hoc computandum est.

Vulg. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? Tu enim scis seruum tuum Domine Deus. *Sept. Rom.* Domine mi Domine. *Cald.* Tu fecisti petitionem serui tui. *Arab.* Tu nosti mentem serui tui, propter tua ad ipsum verba. *Vulg.* Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magna hæc, ita vt notum faceres seruo tuo. *Pag.* Fecisti omnem hanc magnitudinem. *Malu.* In transitione verbi tui fecisti rem, granditatem istam, ad cognoscere facere seruum tuum. *Sept. Rom.* Fecisti omnem hanc magnificentiam. *Arab.* Opus hoc egisti erga seruum tuum, cumque ad istam dignitatem euexisti propter seruum tuum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quia adduxisti me huc vsque, Alij, *Dilexisti me vsque ad hæc.* Theod. *Vsque huc.* Tua erga me dilectio tanti in me collati beneficij est ratio. *Ista est enim lex Adam;* Alij, *Homini, hominum constitutum.* Heb. est תורה *torah*, quam vocem aliqui deducunt potius à תורה *torah*, quam à ירא *iarah*. Vnde reddunt, hæc est dispositio, forma, ratio hominis, scilicet magni, id est, tam sublimis status. Virum magnum decet, non me vilem, & humilem: qui interrogati uè legunt, ferè eodem modo explanant: homo vilis, & abiectus qualis ego, est ne dignus tam sublimi statu, & conditione? Arab. habens. *Hoc computandum est homini;* seipsum explicat ex antecedentibus, & est sensus illius, vt mihi videtur summum, in quod lex humanæ conditionis eniti potest, nempe beneficium regni sempiterni in me, & posteritate mea; sed *Vulg.* videtur loqui de Adam antiquo, vnde nomen illud intactum reliquit, vt & *Pag.* Et hoc sensu, *An ista est lex Adam?* Quasi diceret: Eum morti obnoxium fecisti, me immortalem regno in familia mea stabilito vsque in sempiternum. *Omnia magna hæc,* Alij, *Magnitudinem:* id est, Omnes has res maximas. *Malu.* habet. *In transitione verbi tui,* & exponit. In œconomia verbi diuini, vult enim hæc verba antecedentia, *propter verbum tuum,* intelligenda esse de verbo diuino.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Ingressus est autem.* Hic consequenter ponitur gratiarum actio: vbi Dauid primò regratiatur de promissione: secundo deprecatur pro promissi impletionem, ibi: *Nunc ergo Domine.* Circa primùm dicitur. *Ingressus est autem Dauid, &c.* *Et sedit coram Domino.* Id est, coram Arca Domini, vbi Deus repræsentabatur modo speciali, licet vbique sit per essentiam, præsentiam, & potentiam. *Quis ego sum, &c.* Id est, vsque ad sublimitatem regiam: quasi dicat, ex me non habeo ad hoc aptitudinem.

MENOC. *Sedit coram Domino.* Quasi diutius, & familiarius cum Domino, eo permittente collocuturus. Nemini licebat sediti orare Deum, præterquam Regi, ait Vatablus, quod Sa non improbat, sed explicat etiam *mansit*, sicut stare non semper erectam corporis positionem significat, sed quietem, & mansionem. *Plus animo* (inquit Caiet.) *quam corpore sedit quietus coram Domino, &c.* *Adduxisti me huc vsque.* Vel vt est in 1. Par. 17. 16. vt præstares mihi talia.

LYRAN. *Sed &c.* Quia non solum locutus es de regno confirmando in persona mea, sed etiam in posteritate mea. *Ista est.* Scilicet vt quilibet sit sollicitus, & desiderans prosperitatem posteritatis suæ.

MENOC. *In longinquum.* In futurum tempus longum. Vel vt infra habetur num. 25. *In sempiternum.* *Ista est lex.* Id est, lex hominis. Agis mecum vt amicus cum amico. Vel sensus est, sicut cum Adamo pro ipso, & tota eius posteritate pactum iniuisti, magnis beneficiis ornasti, principem inferiorum creaturarum constituisti. Ita

meum, & cum domo mea pacisceris, si seruauerimus legem tuam, vt regnum nobis maneat, & in maximo hoc populo imperium teneamus, &c.

Ista est enim lex Adam. Id est, hic vsus, & mos hominum est, & rationali naturæ insita lex, vt quantiscumque polleant opibus, honoribus, commodis, non tamen putent sibi plenè satisfactum, nisi posteris quoque suis pari modo prospectum sit. Tu vero, ô Deus, etiam quoad istud abundè iam mihi prospexisti, ita Abulensis, & alij iam citati.

Quid ergo. Quasi dicat: Tu maiora fecisti, & promissisti, quam ego ausus fuisset petere.

Tu enim. Id est, per effectum ostendisti, quod tu habeas notitiam, & memoriam mei, tot & tanta mihi faciendo, & promittendo.

Quid ergo addere, &c. Quasi dicat, necesse non est vt tibi beneficio obligatum putem.

Scis seruum tuum. Cor meum tibi patet.

Propter. Id est, propter verbum quod locutus es de me Samueli, ista fecisti, & promissisti, vt impleatur quod ei dixisti.

Et secundum. Id est, voluntatem tuam, quia hoc procedit ex tua mera liberalitate, non ex mea dignitate.

Propter verbum tuum. Quia tibi placuit ita promittere.

Et secundum cor tuum. Quia nimirum insigniter bonus es.

Ita vt notum faceres seruo tuo. Mihi tuum consilium aperiendo, vt amicus facit cum amico.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 22. ad 24.

Vulg. Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audiuius auribus.

Arab. Propter hoc assero te summe esse clementem, nec esse parem, nec agnosci.

Vulg. Quæ est autem vt populus tuus Israël, gens in terra, propter quam iuit Deus vt redimeret eam sibi in populum, & poneret nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram, à facie populi tui, quem redemisti tibi, ex Ægypto, gentem & Deum eius.

Pag. Vobis magnitudinem, & terribilia terræ tuæ, &c. quem redemisti, &c. Ex gentibus, & diis.

Caiet. Ad quam iuerunt Elohim.

Lyran. Iuerunt dij.

Figur. Redemisti gentem cum iudicibus eius.

Malu. Ad facere nobis granditatem, & timenda terræ tuæ, de faciebus populi tui.

Sept. Rom. Quomodo se duxit Deus ad redimendum populum, ad ponendum te nomen, ad faciendum magni-

ficientiam & claritatem, ad eiciendum te populi tui quos redemisti tibi, &c. gentes, & tabernacula.

Cald. Ad faciendum nobis magnalia & fortia, donec intrarem ad terram domus maiestatis, &c.

Syr. Ad faciendum, &c. & visiones super terram ab antiquo, quem liberafti populum, cuius tu es Deus.

Arab. Magnificasti nomen tuum & amplitudinem tuam patefecisti per miracula olim erga eos peracta, & beneficia quibus olim eos profecutus es.

Cetera vt in Syro. Teste luca Burg. aliqua Exemplaria habent, gente & Deo eius. Alia, Percutiens gentem & domum eius.

Vulg. Firmasti enim tibi populum tuum Israël in populum sempiternum, & tu Domine Deus factus es in Deum.

Pag. Et tu Domine factus es eis Deus.

Sept. Rom. Parafti tibi

Arab. Gentem Israëliticam, quos tu instaurasti, & peculium tuum fecisti, &c. Tuque eorum Deus vocaberis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Redemisti gentem & Deum eius. Alij, Redemisti ex gentibus & diis: Alij, Gente, & Deo eius. Variæ quidem lectiones, sed nostra germanior, cuius sensus, nempe quem liberafti ex Ægypto, percutiens gentem, siue gentes eius, & Deum, siue Deos eius, nempe Ægypti, nam & in diis, regeque eorum exercuerat ultionem. Potest & esse sensus, gentem nempe Israëliticam, & Deum eius, nam quasi affligitur Deus, cum ij quos amat, affliguntur, vel Deum eius, id est cultum eius quem Ægyptij contemnebant. Qui habent ex gente & Deo eius, hunc sensum reddunt. Quem liberafti ex Ægypto, hoc est, ex gente & Deo Ægypti: Oppresserant enim Dei populum Ægyptij, & Ægyptiorum dij demones.

Sept. habentes Gentes & tabernacula eius (pro *אלהיו* Elohan, Deum eius, per metathesin legentes *אלהיו* abolan, id est, tabernacula eius) sic intelliguntur: Hebraei ex Ægypto exeuntes cum supellectili non tantum sua sed Ægyptiorum, quam commodatò ex iussu Dei acceperant, Ægyptum spoliarunt, vel eiecta Chananæorum tabernacula, non tantum quia illa diruta sunt, sed etiam quia ipsi tabernaculis expulsi sunt. Qui autem legunt, ex gentibus, & diis eius, coincidunt cum iis, qui legunt, ex gente & Deo eius, singularia enim pro pluralibus ponuntur. Qui habent, & domum eius, vel mendum est, domum legentes pro Dominum, vel intelligunt domum, id est tabernacula. Aduertè quòd vbi habemus, Propter quam iuit Deus, Caiet. ex Heb. vertit, Iuerunt, & Malu. Ambulauerunt Elohim. Lyran. Dij, & Caiet. sic exponit, significanter dicitur in numero plurali, iuerunt Elohim, quoniam distribuitur Elohim pro Deo vero, & pro Deo opinato: est enim sensus, quæ est gens vna, ad quam redimendum sibi in populum, iuerunt Elohim, siue Deus verus, siue Deus opinatus, quicumque: quasi dicat, nullus sicut populus tuus Israël. Noster autem Lyran. legit sic: Per hoc quod dicitur pluraliter, Iuerunt Dij, & subditur immediate singulariter, vt redimeret sibi, exprimitur pluralitas, & singularitas, in diuinis, & pluralitas personarum, & vnitatis essentialis. Vbi habemus, Faceretque eis mirabilia, Alij legunt ex Heb. Faceretque nobis, sed apostrophe est ad populum Dei emphatica: vobis ad Deum, siue Elohim referunt quidam, vt honoris, & dignitatis causa, sic de Deo pluraliter loquantur: quasi dicant vobis ô Deus.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Idcirco magnificatus.* Modus enim magnifici est facere a maiora quam sit dignitas recipientis.

Extra te. Præter te.

Quæ est. Deducendo filios Israël in columna ignis, & nubis. Sciendum tamen quòd ille qui præcedebat erat Angelus, vt habetur Exod. 14. tamen aliquando nominatur Deus cuius personam representabat, secundum quod dicit Greg. In Heb. habetur. Propter quam iuerunt Dij.

Quod exponit Ra. Sa. de Moyse & Aaron, qui missi fuerunt ad educendum populum Israël de Ægypto, & dicuntur Dij participatiue, eò modo, quo dicitur Moyse Exod. 7. Ego constitui te Deum Pharaonis. Sed hæc expositio apparet falsa per illud quod dicitur 1. Paral. 17. vbi dicitur. Ad quam perrexit Dominus Deus. Et sic est in Hebr. ex quo patet quòd intelligitur de Deo vero. Sed melius potest exponi de pluralitate personarum in diuinis, quarum opera sunt indiuisa, & ideo hîc notatur pluralitas personarum, cum dicitur, Iuerunt Dij: quia tres personæ verè dicuntur tres deitatem habentes. Quia tamen illa deitas, & essentia vna est simplex in tribus, ideò subditur in singulari.

Vt redimeret. Quia ex redemptione illius populi nominatus est Deus Israël in speciali.

Faceretque. Et quæ sint illa, ostendit, dicens,

A facie. Subintelligitur, eiciendo, scilicet à facie populi tui, populum, qui habitabat in terra Chananæorum, & Deos eius quos contriuerunt filij Israël. Et quòd sic debeat intelligi, patet per illud, quod habetur 1. Paral. 17. vbi ista sententia ponitur sic. Et magnitudine sua, atque terrore eicèret nationes, &c.

Poneret sibi nomen Deus. Id est, compararet sibi illustre, admirabile atque æternum nomen, scilicet potentia stupendæ, qua hostes Israël contriuit: & munificentia, qua Israëlitas profecutus est.

Faceretque magnalia, &c. Et Ægypti, & Chanaam, super gentem, quæ illam incolebat, & super Deum eius. Et sane in his tribus maxima patrauit prodigia. De terra patet ex siccato mari rubro, itemque Iordane: ex lapsu murorum Iericho, & solstitio Iosue, &c. De gente Ægyptia loquuntur decem plagæ: de Chanaanitica, tot victoria Moyse, Iosue, Debboræ, Gedeonis, Samsonis, Samuëlis, &c. De diis constat ex ultione quam Num. 33. v. 4. dicitur Deus exercuisse in diis Ægypti; in puluerem eos comminuendo, vt ait Abulen. item ex scæda truncatione Dagon, & aliorum idolorum, partim à Gedeone, partim ab alijs Israëlitis iubente Deo contractorum, & comminutorum, Iosue 20. & Iud. 6. & 10.

TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 25. ad 29.

Vulg. Nunc ergo Domine Deus, verbum quod locutus es super domum eius, suscita in sempiternum, & fac sicut locutus es.

Pag. Fac stare vsque in sæculum.

Caiet. Fac firmare.

Tigur. Excita.

Vatab. Confirma, Ratifica.

Sept. Rom. Fidele fac Deus omnipotens.

Reg. Confirmetur in sempiternum.

Syr. Assere.

Arab. Comproba.

Vulg. Vt magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum, atque dicatur Dominus exercituum Deus super Israël, & domus serui tui Dauid erit stabilita coram Domino.

Arias. Erit firma ad facies tuas.

Caiet. Dirigetur coram me.

Sept. Rom. Et nunc, sicut locutus es de Israël, magnificetur nomen tuum.

Reg. addunt. Dicens, Dominus omnipotens, &c. erit erecta coram te.

Arab. Succedat Deus potentissimè sicut dixisti, &c. idonea coram te.

Vulg. Quis tu Domine exercituum Deus Israël, Reucla-

sti aurem serui tui dicens, domum ædificabo tibi, propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac.

Malu. Ad interpellare se facere ad te interpellationem istam.

Cald. Regnum statuum tibi; propterea fuit corde serui tui &c.

Vulg. Nunc ergo Domine Deus tu es Deus, & verba tua erunt vera, locutus es enim ad seruum tuum bona hæc.

Pag. Erunt veritas.

Malu. Erunt fides.

Syr. Quibus tantum bonum pronuntiasti.

Arab. Gratus tantum bonum seruo tuo prompsisti.

Vulg. Incipe ergo, & benedic domui serui tui, vt sit in sempiternum coram te, quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus serui tui in sempiternum,

Arias. Et nunc velis, & benedic, &c. ad existendum in sæculum ad facies tuas.

Malu. Et nunc resoluè, &c. Et de benedictione tua.

Arab. Vt sit parata coram te.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Inuenit seruus tuus cor suum. Alij, Propterea fuit in corde: Singularis Phrasis, quâ exprimitur iniisse consilium; seu rationem, statuisse, excogitasse. Verba tua vera. Alij, Veritas. Abstractum illud aliquid amplius dicit nempe verba veracissima esse. Incipe ergo & benedic. Alij, Nunc velis, nunc resoluè. Id est, placeat tibi benedicere liberaliter, & ex animo.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ψ.* 25. **N**unc ergo. Hic consequenter Dauid deprecatur pro promissi adimplentione, duplici de causâ vna est, quia licet Deus velit dare beneficia huius in futuro, vult tamen super hoc deprecari, vt recipientes mereantur. Alia est, quia tales promissiones diuinæ intelligendæ sunt, sub conditione, scilicet si homines faciant debitum suum, & non ponant diuinæ promissioni impedimentum, prout diffusius dictum fuit suprà 1. lib. c. 11. versus finem. Littera patet vsque ibi.

MEN OC. Dominus exercituum Deus super Israel. Vel sensus est, Deus exercituum potens nimirum, & inuictus, curam Israël suscepit. Vel, qui Deus est Israël, ille Deus est exercituum.

LYRAN. *ψ.* 27. Reuelasti auriculam serui tui dicens, domum ædificabo tibi, alias, aurem serui tui & cetera. sequitur.

Propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione. Nisi reuclasses mihi per Nathan prophetam, quod

A tu velles mihi tanta bona facere, nullo modo praesumerem ista deprecari à te.

Reuelasti aurem. Reuelare aurem idem est quod alicui ME aliquid prædicere, præcipere, aut loqui. Vide dicta 1. Regum 9. 15.

Domum ædificabo tibi. Vide dicta hoc capite numero vndecimo.

Inuenit seruus tuus cor suum. Fiduciam nactus est.

Tu es Deus, & c. Et per consequens veritas per essentiam.

Et verba tua erunt vera. Locutus es enim ad seruum tuum bona hæc, & c. Per consequens, nisi ponatur impedimentum à parte dicta.

Tu es Deus, & verba tua erunt vera, & c. Quasi dicat, ME Domine tu verax es: & hæc mihi bona sponte promissisti, itaque iam nunc oro, vt oculos beneuolos in domum meam conuertas, & c.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS.

Varia Davidis victoria, quibus & Philisti, & Moabita, & Syri, & Ammonita, & Amalecita, & Idumæi caesi sunt, & tributarij facti Dauidi: cuius deinde officarij recenseruntur



Actum est autem post hæc, percussit Dauid Philistiim, & humiliavit eos, & tulit Dauid Frenum tributum de manu Philistiim. 2. Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coarquans terræ: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum: factusque est Moab Dauid seruiens sub tributo. 3. Et percussit Dauid Adarezer, filium Rohob regem Soba, quando profectus est vt dominaretur super flumen Euphraten. 4. Et captis Dauid ex parte eius mille septingentis equitibus, & viginti millibus peditum, subneruavit omnes iugales currum; dereliquit autem ex eis centum currus. 5. Venit

quoque Syria Damasci, vt præsidium ferret Adarezer regi Soba: & percussit Dauid de Syria viginti duo millia virorum. 6. Et posuit Dauid præsidium in Syria Damasci: factaque est Syria Dauid seruiens sub tributo: seruauitque Dominus Dauid in omnibus ad quæcumque profectus est. 7. Et tulit Dauid arma aurea, quæ habebant serui Adarezer, & detulit ea in Ierusalem. 8. Et de Bete & de Beroth, ciuitatibus Adarezer, tulit rex Dauid æs multum nimis. Audiuit autem Thou rex Emath, quod percussisset Dauid omne robur Adarezer, 10. & misit Thou, Ioram filium suum ad regem Dauid, vt salutaret eum congratulans, & gratias ageret: eò quòd expugnasset Adarezer, & percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, & in manu eius erant vasa aurea, & vasa argentea, & vasa ærea: 11. quæ & ipsa sanctificauit rex Dauid Domino cum argento & auro, quæ sanctificauerat de vniuersis gentibus quas subegerat, 12. de Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philistiim, & Amalec, & de manubiis Adarezer filij Rohob regis Soba. 13. Fecit quoque sibi Dauid nomen, cum reuerteretur capta Syria in Valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus: 14. & posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium: & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid, & seruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæcumque profectus est. 15. Et regnauit Dauid super omnem Israël: faciebat quoque Dauid iudicium & iustitiam omni populo suo. 16. Ioab autem filius Saruæ, erat super exercitum: porrò Iosaphat filius Ahilud erat à commentariis: 17. & Sadoc filius Achitob, & Achimelch filius Abiathar, erant sacerdotes: & Seraias, scriba: 18. Baaias autem filius Ioiadæ, super Cerethi & Pheleti: filij autem Dauid sacerdotes erant.

VARIETAS LECTIONVM *Vers. 1. & 2.*

Vulg. Factum est autem post hæc, percussit Dauid Philistiim, & humiliavit eos, & tulit Dauid frænum tributum de manu Philistiim.

Lyræn. Tulit stimulum asini.

Pag. Frænum aquæ ductus.

Arias. Depressit eos, & cepit Meteghaamah.

Alij. Frænum subiectionis, cubiti.

Tigur. Ademit frænum fructus.

Sept. Rom. Et accepit segregatam de manu alienigenarum.

Cald. Cepit commoditatem riuu.

Vulg. Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coequans terræ: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum, factusque est Moab Dauid seruiens sub tributo.

Pag. Ad mortificandum, & plenum funiculum, &c. Portantes munus.

Arias. Faciens iacere eos ad terram, &c. Plenitudinem funiculi.

Tigur. Et integrum funem ad seruandum in vita.

Alij. Et vnum funem plenum conseruauit.

Sept. Rom. Mensus eos funibus, &c. Et fuerunt duo funiculi ad occidendum, & duos funiculos viuificauit, & fuerunt in seruos ferentes xenia.

Reg. Et supplementum tertij funiculi viuificauit.

Cald. Mensus est illos in forte.

Arab. Viris enim humi prostratis, quoties metiebatur duos funes, interficiebat quos mensus fuerat, & viuificabat eos, qui erant sub altero funium, &c. pendentes vectigal.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tulit Dauid frænum. Alij, *Meteghaamah*. Hebr. מתג האמה *meteg habamah*, quæ variè redduntur. Aliqui enim volunt esse nomen proprium vrbs, quæ fuit quasi frænum aliarum vrbiū. Alij, *frænum aquæ ductus*, Id est, aquam, quæ rigantur campi, alio diuerit. Aquæ ductus autem dicitur frænum, quia eo aqua ducitur quòd volumus, vt equus fræno. Alij, *Frænum cubiti*: Sed quoniam frænum mensura est, & tributum ad mensuram penditur, ideo tributum mensura & cubitus vocatur. Hoc noster videtur secutus, reddens frænum tributum, nempe tributarios eos sibi reddens, qui antea tributum ab Israëlitis exigebant. *Lyræn.* explicans suam versionem, scilicet tulit stimulum asini, ait, quia Philistæi non solum tributum à populo Israël accipiebant, sed etiam dura seruitute eos affligebant, *Sept. segregatam* dixerunt, quia hæc vrbs segregata & separata à Domino, Philistæorum fuit. *Vide Annot.*

Mensus est eos funiculo coequans terræ. Alij, *faciens iacere eos ad terram*. Id est, prosternendo eos in terram. *Mensus est autem duos funiculos, vnum*, Alij tres constituunt. Volunt enim mensurasse Regionis incolas in tres partes, ex quibus vnam conseruauit, iis occisis, qui erant in aliis duabus. Sed noster duos tantum constituit, sed secundum Hebr. appellant plenum, ita vt primus non fuerit plenus ad interficiendum, sed tantum funiculus 2. ad viuificandum, vt indicetur clementia Dauidis, licet alij velint duas partes interfecisse, quia Hebr. habetur. *Mensurauit duos funes ad mori facere.*

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 1. **F**actum est. Hic consequenter ostenditur fortitudo Dauid in debellando aduersarios. Et primo ponitur huiusmodi debellatio. Secundo regni Dauid ordinatio, ibi: *Et regnauit Dauid*. Prima in quatuor partes, secundum quatuor gentes quas debellauit: secunda ibi, *Et percussit Moab*. tertia ibi: *Et percussit Dauid Adarezer*. quarta ibi: *Fecit quoque*. Prima gens ab eo debellata, fuit gens Philistinorum, quod notatur cum dicitur.

Et tulit Dauid frænum. Frænum id est, quo tenetur equus sub sessore. Et eodem modo, tributum est id quo tenetur populus subiectus sub dominatore. Dauid autem deuincendo Philistæos, hoc frænum de manibus eorum abstulit, quia prius dominabantur Hebræis: sed postea è conuerso seruierunt Dauid sub tributo.

MENOC. *Frænum tributum.* In Hebræo est מתג האמה *meteg haama*,

quarum vocum interpretatio est, *Frænum tributum*, vel *frænum aqueductus*, vel vt *Caldæus* habet, *Commoditas riuu*: Sententia ergo est, vel Dauid ciuitatem Philistæis eripuisse quæ *Frænum tributum* diceretur, vel liberasse Iudæos tributum, quod iidem soluebant Philistæis, hosque vicissim fecisse tributarios; vel aliquos aquæ ductus rigandis agris vtilis, aut ad alios huiusmodi vsus comparatos, Israëliti iuris fecisse. Vocantur verò aquæ ductus Frænum; quia in illis cataractæ fieri solent ad sustinendum fluxum aquarum; vel quia per canales in quam partem volumus aquas, vt fræno equos, flectimus. Septuaginta habent ἀποσπέρνυ *separatam*, siue *sepositam*, intellige vel *usque ad partem*, vt putat *Serarius*, vel *in ciuitatem*, Geth scilicet, vt cap. 18.

1. Paralip. indicatur. num. 1,

Tulit Dauid frænum tributum de manu Philistæis.] I. Pa- TIRINVS

ralipomen. 18. dicitur tulisse, *Gesh & filias eius de manu A* *Pilistiim.* Nam ciuitas *Gesh* caput vnius è quinque satrapis Philistinorum, vnà cum vicinis vrbeculis & arcibus, vocabatur *Methegamma*, id est, *frænum tributis*, quia cùm in confinio essent terræ Israëliticæ & Palæstinæ, imposuit eis Dauid validum præsidium, quo tanquam fræno compescuit Philistæos, & tributum pendere coegit. Neque enim aliud videretur hîc dici fecisse Dauid cum Philistæis, quàm quod mox versu secundo & sexto traditur fecisse cum Moabitibus & Syris, & versu decimo quarto cum Idu-mæis: nempe præsidium posuisse in opportunis earum regionum locis, & illas omnes gentes fecisse sibi vectigales.

LYRAN. Et percussit. Secundus populus à Dauid debellatus, fuit populus Moabitum: quod notatur cum dicitur.

ψ. 2.

Et mensus est eos funiculo. Agens cum eis rigore iustitiæ.

Coæquans. Quia destruxit fortalitia eorum, ne postea possent rebellare.

Mensus est autem duos. Id est, ordinauit duos procedendi modos.

Vnum ad occidendum. Scilicet magis culpabiles, per viam iustitiæ,

Et vnum. Minus culpabiles dimittens per viam misericordiæ, In Hebræo habetur: *Mensus est duos funiculos ad mortificandum, & impleuit funiculum ad viuificandum.* Quod exponunt Hebræi dicentes, quod duas partes occidit, tertiam partem vitæ referuauit. Causa autem quare sic rigidè contra eos processit, fuit; quia rex Moab patrem & matrem Dauid & aliquos de amicis eius quos ibi reliquerat Dauid pro custodia occidit recedente Dauid de terra illa secundum quod dicit Ra. Sa. & prout dictum fuit supra lib. 1. 22. cap. Ista tamen sententia Dauid intelligenda est quantum ad viros bellatores, quia totum vulgarem populum demisit ad seruiendum sibi sub tributo.

ESTIVS.

Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coæquans terra: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Sensus est. Subiugauit Dauid Moabitas, & mensurauit eos fune coæquans terræ, id est, penitus subiectos, & velut in terram prostratos recensuit, & in numerato omnes habuit, perinde ac si funiculo omnes mensurasset, quomodo olim agri fune ad exactum mensurari solent. Atque ita mensuratos, seu numeratos interfecit quos voluit, & quos voluit viuos seruauit. Sicut & nunc fit, quando hostes aliqui penè superati recipiuntur in deditioem ad placitum victoris. Atque hoc scilicet est quod dicitur: *Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* Secundum quam lectionem sensus est, quod omnes victos in duas partes diuiserit, vnã occidens, & alteram viuam referuans. Secundum Hebræa, omisso illo priori (*vnum*) sic legitur, *Mensus est autem duos funiculos*

ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Et tunc sensus esset, diuisos eos fuisse per tres funiculos, seu portiones, quarum duas occiderit, & vnã tantum in vita seruarit. Causam autem huius tam seueræ animaduersionis in Moabitibus, referunt Hebræi, quod Rex Moab Dauidis cognatos, quos apud eum Dauid reliquerat, 1. Reg. 22. interfecisset post Dauidis discessum.

Percussit Moab, & mensus est eos funiculo, &c. Theodoro- MENO.
retus quæst. 23. hunc locum ita explicat: *Tanta, inquit, erat vis victoriae, & tanta erat multitudo eorum, qui capti erant viui, vt eos numerare non permetteret. Quare insit eos pronos deiici in terram diuisos trifariam, & duas quidem partes occidit, vnã verò viuam referuauit.* Hæc ille. Alij funiculos accipiunt metaphoricè, vt sensus sit: Prostrauit Moabitas ingenti strage, interfecit plurimos, pepercit quibus voluit, & qua voluit eos mensura dimensus est. Sic ferè Comestor, Vatablus, Sa. Pineda lib. 3. Sal. cap. 2. num. 3. Abulens. 1. Par. cap. 18. quæst. 9. & alij.

Coæquans terra. Vel eos humi sternens vt explicauimus ex Theodoro, vel clade affligens. Aliqui tamen malunt explicare de Moabitum arcibus dirutis, & solo æquatis. Ita Lyranus, Carthusianus, Caietanus, nec improbat Abulens. 2. Reg. 8. quæst. 3.

Ad viuificandum. Quibus scilicet parceret, viuosque dimitteret. Hæc autem maior pars fuit vt colligitur ex Hebræo, in quo pars illa, cui parcitum est, *Funiculus plenitudinis* appellatur. *Mensus est duos funiculos: ad occidendum, subaudi, vnum, & vnum plenitudinis funiculum ad viuificandum.*

Mensus est Moabitas funiculo, coæquans terra. Id est, TIRIN.
sicut metator funiculo metitur agros, & pro placito suo quosque suis vsibus destinat, hos armentorum pabulo, illos serendis frugibus, alios vinearum plantationi, agri verò isti, quamcumque in sortem dari contingat, neque metatori, neque aratori resistunt: sic Moabitæ bello fracti à Dauidè, & omnino prostrati ac velut terræ coæquati, nec vel militare ausi, subiiciebantur illius imperio quasi funiculo menforio, siue ad mortem destinarentur, siue ad vitam, siue ad seruitutem, siue ad libertatem, ita Sanctius, & ferè etiam Vatablus, Caietanus ac Lyranus. Vnde & pro libito suo designauit, quasi tensis funiculis, quosnam ex Moabitibus, etiam in acie adhuc stantibus (inquit Abulens.) vellet ferro absumi, verbi gratia primos, & proteruios: quosnam verò viuificari, seu in viuis conseruari, vt dixi 1. Reg. 27. v. 12. Sed plures conseruatos fuisse, & redditos vectigales, quàm occisos, indicat textus Hebr. qui funiculum eorum quibus vita concessa est, dicit plenitudinis fuisse, seu plenum.

Tropologicè, Angelomus accommodat hæc duabus sortibus hominum in extremo iudicio, puta saluandorum, & damnandorum.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 3. & 4.

Vulg. Et percussit Dauid Adarezer, filium Rohob regem Soba, quando profectus est vt dominaretur super flumen Euphratem.

Pag. Ad constituendum terminum suum in flumine perah.

Pag. Ad conuertendum manum suam.

Caiet. In profectioem suam ad faciendum restituere terminum suum.

Vatab. Vt proiiceret, vt prorogaret.

Tigur. Vt reduceret potentiam suam.

Alij. Ad repellendam manum eius versus.

Sep. Rom. Eunte eo ad imponendam manum suam.

Cald. Quando iuit ad mutandum, &c.

Syr. Ad versandum manum suam.

Vulg. Et captis Dauid ex parte eius mille septingentis equitibus, & viginti millibus peditum, subneruauit omnes iugales currum: dereliquit autem ex eis centum currus.

Pag. Subneruauit omnem currum.

Arias. Residuum fecit ex eo centum currus.

Malu. Eruncavit.

Vatab. Abstulit bases.

Sep. Rom. Cepit Dauid de rebus eius, mille currus, & septem millia equitum, &c. & dissoluit omnes currus, & reliquit sibi ipsi, &c.

Arab. Cepit ab eo mille, & septingenta vehicula, dissoluit rotas vehiculorum, referuatis sibi centum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vt dominaretur super flumen, Alij, *Ad constituendum terminum, ad conuertendam manum.* Sed idem sensus, nempe, vt prorogaret ditionem suam. Per manum autem intelligitur terminus, & licet ferè omnes illud referant ad Adarezer, Alij volunt ad Dauidem hæc referri, quando scilicet profectus est ad recuperandos termi-

nos imperij Israëliti, diuina promissione constitutus. *Mille septingentis equitibus*, Alij, *Mille currus*, & *septem millia equitum*. Ita etiam 1. Paral. 18. v. 4. disertè ponitur hic numerus. Quidam ergo volunt hîc numeratos tantum præstantiores, & selectiores equites, nempe mille septingentos, ex illis 7000. Alij subaudiunt, & exponunt 1000. currus, & 700. equites, id est 700. decurias equitum, quæ efficiunt 7000. equitum, vt numerus vbique conueniat. *Subneruauit omnes iugales curruum*, Alij, *Eruncauit, dissoluit currus*, id est omnes equos curruum, subneruare enim est suffragines, vel neruos equorum incidere. *Dereliquit autem ex eis centum currus*. Sept. *Dereliquit ipsi*, sibi, non eis scilicet, quod ambiguum est in Vulg. sed sibi ipsi intellige.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. 3. **E**T per. Hic ponitur debellatio populi Syriæ à Dauid. A natione Deuter. 1. & 11. spectantes, dum vel ipse *Adarezer* vult sibi subiicere (vt putat Dionysius & Hugo) vel Dauidi eas Hebræis vindicare volenti (vt sentiunt Abulensis, Vatablus, Mariana & Sanctius) armis resistit, omnem belli molem in caput suum traxit, & ad internecionem casus est: paucis qui superfuere millibus in seruitutem abreptis. Et hac occasione contingit ex parte compleri diuinum promissum, quo termini terræ promissionis extendendi dicuntur vsque ad flumen Euphratis, Deut. 1. v. 7. vbi pluribus egi hac de re.
- ESTIVS. **E**t primo ponitur debellatio. Secundo ex hoc sequens confœderatio, ibi. *Audiuit autem Thon*. Circa primum dicit. *Et per*. Qui regnabat in vna parte Syriæ.
- ESTIVS. **E**t percussit *Dauid Adarezer*. Et captis *Dauid ex parte eius mille septingentis equitibus*, & *viginti millibus peditum*, &c. Quæri potest, quomodo consentiat hîc locus cum illo qui est 1. Paral. 18. vbi dicitur *Dauid cepisse ex parte Adarezer mille quadrigas & septem millia equitum*, ac præterea viginti millia virorum peditum? Respondeo minorem numerum non repugnare maiori, quando minor numerus non exprimitur cum exclusione numeri maioris. Si quæras, cur maior numerus ad laudem victoris etiam hoc loco expressus non sit? fortè quia illi qui hîc narrantur victi, ipsius regis *Adarezer* proprij milites fuerunt, reliqui exteri, subsidiarij. Vide etiam aliam solutionem in simili difficultate 1. Paral. 19. v. 17.
- MEMOC. **R**egem *Soba*. Regem Syriæ, ab vrbe enim regia *Soba*, siue *Sobal*, Syria *Soba* dicta est, sicut à *Damasco*, Syria *Damasci*: eratque vtraque contermina dimidia tribui *Manasse*, quæ vltra Iordanem habitabat; Syria quidem *Soba*, quæ & *Cælesyria*, & *Caua Syria*, ex orientali parte, Syria verò *Damasci* versus *Septentrionem*.
- Q**uando profectus est vt dominaretur super flumen *Euphratem*. Incertum, *Dauid* ne an *Adarezer* dominatum hunc affectarit, cum hæc ambiguitas nec ex Hebræo, nec ex Græco, aut *Caldæo* textu tolli possit. Probabilius videtur de *Adarezer* intelligendum, qui *Moabitis* auxilium tulerit, & suspensa habens incrementa *Dauidis*, regionem ad *Euphratem* sibi vindicare voluerit. Certè *Dauid* plures habebat hostes, quos debellaret, *Idumæos*, *Damascenos*, *Ammonitas*, *Philistæos*, eosque adeo vicinos, vt hoc tempore externa, & longinqua bella quærere non debuerit. Ita sentit *Salianus* cum *Vatablo*, & *Abulensi*.
- TIRINVS. **R**egem *Soba*.] *Iosephus Sophenorum* regem vocat, regnabatque in *Syria* non procul ab *Euphrate*. Cui fluuius adiacentes vrbes, & ad Hebræorum sortem ex diuina do-
- LYRAN. 4. **S**ubneru. Id est, equos iugo curruum applicatos, vt de cetero essent inepti ad prælium.
- ESTIVS. **D**ereli. Id est, equos iugo curruum qui erant ei necessarij. In quolibet autem curru erant quatuor equi, vt probatur per illud quod dicitur infra 3. 10. cap. in fine. *Egre diebatur autem quadriga ex Ægypto*. Id est, equi pro vna quadriga. *Sexcentis siclis argenti & equus*. Ex quo patet, quod in vna quadriga erant quatuor equi, quia centum & 50. sicli quater accepti faciunt sexcentos siclos. Et sic patet, quod *Dauid* quadringentos equos reseruauit, qui erant sibi necessarij in diuersis negotijs.
- MEMOC. **M**ille septingentis equitibus. At 1. Paralipomen. 18. 4. habemus *septem millia equitum*. Dicit potest cum *Abulensi*, & *Dauid kimhi*, hoc libro *Regum*, primarios tantum equites, & qui erant ex regio satellitio numerari, in *Paralipomenis* numerari inter equites eos, qui equis curulibus insidebant, nam etiam hi equites, & de equis pugnare dici possunt. Nec nouum est eos, qui quadrigis vehuntur, equites appellari, vt patet ex *Isaia* 21. 7. *Vidi currum duorum equitum*, & cap. 22. 6. *Currum hominis equitis*.
- S**ubneruauit. Succisis poplitibus, aut suffraginibus, vt nulli vsui esse possent. Porro *Dauid* equos subneruauit, quia *Deuter.* 17. 16. Regi interdicitur equorum multitudo. *Non multiplicabit*, inquit, sibi equos.
- D**ereliquit ex eis centum currus. Habuerat enim *Adarezer* mille currus, vt discimus ex primi *Paralipomenon* capite 18.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 8.

Vulg. Venit quoque Syria *Damasci*, vt præsidium ferret *Adarezer* regi *Soba*: & percussit *Dauid* de Syria viginti duo millia virorum.

Pag. Venit *Aram Damasci*.

Syr. Cumque venisset *Edom* & *Damascus* ad auxiliandum.

Arab. Venerunt rex *Edom*, & *Dominus Damasci*.

Vulg. Et posuit *Dauid* præsidium in Syria *Damasci*: factaque est Syria *Dauid* seruiens sub tributo: seruauitque *Dominus Dauid* in omnibus ad quæcumque profectus est.

Pag. Posuit præsidia in *Aram*.

Arias. Et fuit *Aram Dauidi* in seruos portantes munera.

Malu. Posuit rationes.

Sept. Rom. Ferentes xenia.

Arab. Adhibuit actores super *Edom* & *Damascum*, &c. Pendentes vctigal.

Vulg. Et tulit *Dauid* arma aurea, quæ habebant serui *Adarezer*, & detulit ea in *Ierusalem*.

Pag. Scuta aurea.

Malu. Vmbones auri.

Syr. Tulit, &c. & torques.

Sept. Rom. Armillas aureas, quæ erant super pueros *Adaraazar*, & cepit *Suzacim* rex *Ægypti*, ascendendo ipsum in *Hierusalem* in diebus *Roboam* filij *Salomonis*.

Syr. Pharetras aureas.

Arab. Baltheos aureos.

Vulg. Et de *Bete* & de *Beroth*, ciuitatibus *Adarezer*, tulit rex *Dauid* æs multum nimis.

Bibl. antiq. quæ sequuti sunt Lyran. Caiet. & alij veteres. Æs multum de quo fecit *Salomon* vasa aurea in templo, & mare æneum, & columnas.

Sept. Rom. In eo fecit *Salomon* mare æneum, & columnas, & labra, & omnia vasa.

Cald. Cepit chalybem multam nimis.

Arab. Accepit Rex ab Imperatore *Hadarazere* æs copiosum, & attulit illud in *Ierusalem*, denique accepit à *Tabah*, & à *Baruthi* ciuitatibus opes multas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Syría Damasci. Arab. *Rex Edom.* & *Dominus Damasci.* Tamen cum sit duplex Syria, ea quæ fuit Damascena, opem tulit, non ergo rex Edom, & Dominus Damasci, Sed Syri Damasceni. *Arma aurea*, Alij, *scuta*, *pharetras*, &c. Loquitur in communi Vulg. sed alij in particulari, quæ fuerint. Hebr. est *שֵׁלֶטִים* *skelatim*, quæ vox clypeos, umbones, scuta significat. Sept. volunt esse armillas aureas, Aquila, torques aureos. Addidit etiam eos Lyran. sicut & Caiet. ex antiq. Bibl. quæ præter arma aurea addiderant etiam torques. Sept. Rom. aliqua addiderunt, quæ in aliis non habentur. *Et æ multum nimis.* Bibl. antiq. addunt, *De quofecit Salomon.* &c. Sed ea desumpta fuere ex Sept. Rom. Et licet in marg. Bibl. Antwerp. dicatur nusquam hæc repetiri in veteribus Exempl. tamen hoc nequaquam verum, nam in tribus M. S. meis codicibus hæc habentur.

ANNOTATIONES.

MENOC. **S**yría Damasci. Vide dicta hoc cap. num. 1.
 §. 5. *Et posuit.* Id est homines bellatores in fortalio, ut Sy-
 LYRAN. ri securius tenerentur sub tributo.
 §. 6. *Et tulit David arma.* In Hebræo habetur. *pharetras.*
 LYRAN. *Tulit David.* Quod autem sequitur immediatè: *De quo*
 §. 7. *fecit*, vsque ibi: *Et altare.* non est in Hebræo: sed appo-

A situm fuit à quodam glossatore, quod illud æs fuit expen-
 sum in operibus templi; & postea vitio scriptorum hæc
 glossa inserta est textui.
Arma aurea. Ex Paralipomen. loco citato discimus hæc Me
 arma fuisse aureas pharetras.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 9. ad 12.

Vulg. Audiuit autem Thou rex Emath, quod percussisset David omne robur Adarezer.
 Pag. Omnem exercitum.
 Malu. Omnem strenuitatem.
 Sept. Omnem virtutem.
 Syr. Omnes copias.
 Arab. Milites.
 Vulg. Et misit Thou Ioram filium suum ad regem David, ut saluaret eum congratulans, & gratias ageret: eò quod expugnasset Adarezer, & percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer. & in manu eius erant vasa aurea, & vasa argentea, & vasa ærea.
 Pag. Ut saluaret eum pacificè, & benediceret ei.
 Arab. Ad optandum ei ad pacem.
 Cald. Ut precaretur illi pacem.

Syr. Sumpsitque Ioram manu sua vasa, &c. & obrulit Dauidi.
 Vulg. Quæ & ipsa sanctificauit rex David Domino cum argento & auro, quæ sanctificauerat de vniuersis gentibus quas subegerat.
 Figur. Quæ dedicauit.
 Vatab. Consecrauit.
 Sept. De omnibus ciuitatibus.
 Arab. Statuit rex sacra Domino.
 Vulg. De Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philistiim, & Amalec, & de manubiis Adarezer filij Rohob regis Soba.
 Pag. Et de spoliis.
 Caiet. Et de præda.
 Syr. Et à principatu.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT saluaret eum. congratulans. Alij, *Ad optandum ei in pacem*, &c. Id est vt salutem, incolumitatem, & prosperitatem illi diceret, & optaret. *Et gratias ageret.* Alij, *Ad benedicendum*, Id est, laudandum, & celebrandum. *Erant vasa aurea.* Bene addit Syr. *Quæ dedit dono Dauidi.* *Quæ & ipsa sanctificauit.* Alij, *Dedicauit, consecrauit.* Per illam enim dedicationem & consecrationem ea sanctificauit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A**udiuit. Hic consequenter ponitur sequens confederatio, quia frequenter contingit quod quo aliqui fiunt amici, eò sunt inimici eiusdem, & hoc modo Thou factus est amicus David: eo quod debellauerat Adarezer inimicum eius: & in signum amicitiae misit sibi vasa aurea & argentea & ærea.

MENOC. *Rex Emath.* Emath alio nomine dicitur Epiphania, vel Antiochia Syria.

MENOC. *Et in manu eius.* Ioram scilicet filij Thou Regis Emath, nam verba, quæ immediatè præcesserunt: *Hostis quippe erat Thou Adarezer*, parenthesi includenda sunt. Septuaginta, missam aiunt hanc legationem vt pacem à Da-

B uide peteret, quod etiam disertè habetur 1. Paralipomen. 18. 10.

Quæ &c. Id est, consecrauit vt inde fierent illa quæ LYRAN. erant necessaria in templo, ita quod de cætero non poterat humanis vsibus applicari. Dicit autem hic Ra. Sal. quod propter hoc ista bella David posita sunt in hoc cap. post præcedens immediatè, in quo declaratur voluntas David circa templi ædificationem, quia omnia metalla quæ per ista bella acquisiuit ad opera templi fienda consecrauit.

Sanctificauit. Dedicauit, & destinauit ad templi ministeria, ad cuius fabricam iam antea animum adiecerat. MENOC.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 13. 14. & 15.

Vulg. Fecit quoque sibi David nomen, cum reuertetur capta Syria in Valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus.
 Sept. Rom. Et cum ipse reflecteret, percussit Idumæum in Gebelem.
 Bibl. antiqua addunt. Et in Gebelem ad viginti tria millia.
 Vulg. Et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium, & facta est vniuersa Idumæa, seruiens David, & seruaui Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est.

Pag. Posuit in Edom præfides, in omni Edom posuit præfides.

Malu. Stationes.

Arab. Actores.

Vulg. Et regnauit David super omnem Israël: faciebat quoque David iudicium & iustitiam omni populo suo.

Cald. Fecit iudicium veritatis & æquitatis.

Arab. Impleuit terram populi sui integritate & æquitate.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

CÆsis decem & octo millibus. Subiungunt libri plurimi, *Et in Gebelem ad 23000.* Sed à pluribus aliis hæc absunt. Hebr. Cald. Syr. Arab. non agnoscunt, imo nec Græci, qui in Sept. Rom. legunt, *In Gebelem*, mendosè, pro *ueisariorum* Dauidis 23000. casa sunt, meminerunt. Hæc ergo additio unde desumpta fuerit, ignoro. *Faciebat Iudicium & iustitiam omni populo suo.* Arab. *Impleuit terram integritate, & equitate.* Vnum ex alio sequitur: si enim rex æqui- amans est, populus iustitiam, & æquitatem seruat.

ANNOTATIONES.

- YRAN.** **F**ecit. Hic ponitur debellatio quarti populi, scilicet Idumæorum, quos debellauit rediens de Syria in valle Salinarum, & hoc est quod dicitur. *Fecit.* Id est arcum triumphalem, vt communiter dicunt expositores nostri, posuit in signum victoriæ habitæ de Idumæis. Sed hoc non videtur probabile, quia tale quid sit ad iactantiam propter quod Saul increpatur de erectione arcus triumphalis, vt habetur supra 1. lib. 15. cap. Propter quod Rab. Sal. hoc exponit de sepultura Idumæorum tunc occisorum in prælio, quos Dauid fecit sepeliri, & in hoc acquisiuit sibi nomen bonum. Tum quia exercuit circa mortuos opus misericordiæ. Tum quia scribitur Deut. 3. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.* Iacob enim à quo descenderunt Iudæi, & Esäu à quo descenderunt Idumæi, fuerunt fratres vterini, vt habetur. Gen. 25. Et ideo Iudæi & Idumæi fratres dicuntur propter quod Dauid eis sepulturam exhibuit. Et idem legitur fecisse Ioab. infrà l. 3. 11. cap. *Fecit sibi nomen.* Hebræi, quos Dionysius, Abulensis, & Saliatus non improbant, de triumphali fornice interpretantur, quod si verum est, putandum Dauid in inscriptionibus, si quæ fuerunt, totam adeptarum victoriarum gloriam in Deum illarum auctorem retulisse. Crediderim potius illa Phrasi significari ingentem sibi famam Dauid peperisse. Certè non alium sensum habet illud capitis proxime superioris num. 9. *Fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra,* & illud primi Machab. 5. num. 57. *Faciemus & ipsi nobis nomen.*
- ME NOC.** *In valle Salinarum.* Vallis Salinarum extra Syriam est non longè à mari, quod mortuum appellatur, vel salifinum, & pertinet ad Idumæorum fines.
- TIRINVS** *Fecit quoque sibi Dauid nomen.* Id est, arcum triumphalem, inquit Lyranus ex Hebræis & Glossa interlineari. Sed id ambitiosius videtur, quàm Dauidis modestiam deceret. Quare malim cum Abulensi, Vatablo, Dionysio, Hugone & Sanctio per nomen intelligere famam & opinionem magni ducis & potentis Imperatoris. Sicut c. 7. v. 9. dicit ei Deus. *Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Et v. 23. dicitur sibi posuisse nomen. Et illi r. Mach. 5. *Faciemus & ipsi nobis nomē.* Cum enim Dauid pluribus bellis antehac gestis magnū sibi apud omnes nomen peperisset fortitudinis, potentiæ, prudentiæ, &c. nusquam tamè maius aut gloriosius acquisiuit, quàm in *Valle Salinarum.* Causam vide 1. Par. 18. vbi & de reliquis huius capitis.
- Et posuit in Idumæa, &c.* Ne rebellarent & recederent ab ea.
- Et fa.* Sicut prædictum fuerat Gen. 35. *Maior seruiet minori.*
- YRAN.** *Et serua.* Hoc additum est, ad ostendendum quod Dauid habuit prædictas victorias non virtute humana, sed diuina.
- Et re.* Hic consequenter ostenditur regni Dauid ordinatio, cum dicitur.
- Faciebat quoque Dauid iudicium.* Rectè sententiando.
- Et iustitiam.* Debitè exequendo.
- Super omnem Israel.* Quod dicitur non solum vt ostendatur regnasse super omnes duodecim tribus, cum prius vna tantum tribus Iuda illi pareret, sed etiam quia quicumque alienigenæ intra fines Israël attributos adhuc loca quædam obtinebant, Dauidi aliqua ratione subiiciebantur, saltem tributum pendentes.
- Faciebat iudicium, & iustitiam.* Rectè, iustè, sapienterque iudicabat.
- YRAN.** *Y. 14.*
- YRAN.** *Y. 15.*
- MENOC.**

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 18.

Vulg. Ioab autem filius Saruiæ, erat super exercitum: porro Iosaphat filius Ahilud erat à commentariis.

Arias. Erat commemorans.

Lyran. Recordator.

Caiet. Faciens recordari.

Alj. A memoria.

Sept. Rom. Super commentarios.

Cald. Super monumenta.

Vulg. Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar, erant sacerdotes: & Saraias, scriba.

Malu. Serigah numerans.

Arab. addit, Regis.

Vulg. Banaias autem filius Ioiadæ, super Cerethi & Phelethi: filij autem Dauid sacerdotes erant.

Lyran. Occidentes & mirabiles.

Pag. Et filij Dauid principes erant.

Malu. Filius Iehoia dagh, & Chereti, & Pheleti.

Sept. Rom. Et Banæas consiliarius, & ipse Chelethi, &c. & principes aulae eius regis.

Cald. Præpositus super sagittarios, & super funditores, & filij Dauid magnates erant.

Syr. Præpositus nobilibus & militibus.

Arab. Ingenius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

ERat à Commentariis. Alij, *Commemorans, &c.* Hebr. est זכור *mascir*, quod est participium formulæ Hiphil verbi זכר *Zachar*, propriè recordari faciens, commemorans, recordator: quid autem hoc indicet, vide Annot. Et Saraias scriba. Alij, *Numerans.* Vide Annot. *Cerethi & Phelethi.* Alij, *Occidentes & mirabiles, &c.* In hoc ferè omnes consentiunt fuisse milites, quibus Regis persona, & vita semper curæ fuit, sed quia vocum ethymologia inter ipsos variat, hinc Varietas lectionum. Quidam כרתי *Cerethi* à verbo כרת *carath* & פלתי *pelethi* à פלה *palah* deducunt, quasi dicas confederati, & egregij, seu selecti milites, à quo sensu non alieni Syr. & Arab. Paulus Burg. vult satellitibus illis indita esse nomina ab officio, Cherethi ab occidendo, quia destinati erant, vt noxios, & facinorosos occiderent, non aliter atque apud Romanos, lictores. Sed Phelethi à פלט *Phalat*, eripiendo, & saluando. Quasi dicat, deffensores, & saluatores, & ipsorum officium fuisse, vt innocentes eriperent. Cald. Paraphr. neglecta Ethymologia reddidit *Kasbatiaia & kallagaia*, Id est sagittarios & fundibularios. D. Hyer. in qq. Hebr. vult esse 70. Iudices, loco eorum substitutos quos Moyses in deserto Deo præcipiente de legerat. Aduerte quod licet in Vulg. sit, super Cerethi, in Hebr. non est illa particula *super* sed solum Cerethi, tamen in Paralip. exprimitur, & hic subintelligenda est. *Filij autem Dauid sacerdotes erant.* Alij, *Principes.* Hic sacerdotum nomine non intelliguntur propriè sacerdotes, cum non essent de tribu Leui. sed dicuntur hictales, quia erant in magno honore, & reuerentiâ apud omnes, & in illorum sumptus abundè suppeditabatur à populo.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 16.

Ioab. Sicut enim regnum bene ordinatur intra se per iustitiam, ita extra se, reprimendo aduersarios per militiam.

Iosa. Vnum nomen est indeclinabile, & significat idem quod Cancellarius, vt dicunt, aliqui, Alij autem dicunt, quod est officium dictandi leges. In Heb. habetur hic, *recordator*. Et sic dicit Ra. Sa. quod officium eius erat repetere seu recordari casus varios qui venerant ad Dauid, vt per ordinem expedirentur: scilicet primus primo, & secundus secundo & sic de alijs.

Filius Saruia. Sororis Dauid.

MENOC.

A commentariis. In Hebræo est מזכיר *mazchir* quæ vox à verbo זכר *Zachar* deducitur, quod recordari significat, vel reminisci. Erat ergo Iosaphat vel commonefactor, id est, qui negotia tractanda in memoriam reuocabat, & supplices porrigebat libellos, quos vulgo, *Memorialia* appellamus, quo munere vt plurimum funguntur, qui Principibus sunt à secretis, vel certè res gestas in commentaria referebant, ne memoria illorum intercideret, qui libri *verba dierum* dicebantur, quod in modum ephemeridum, quæ accidebant notatu digna per sua tempora & dies digesta notabantur, vt esset historię parata materia.

LYRAN.
v. 17.

ESTIVS.

Et Sa. Habebat enim officium scribendi gesta temporum. Alij dicunt quod scribebat literas regis.

Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant sacerdotes. Queritur, An tempore Dauidis duo fuerint summi sacerdotes? id enim ex hoc loco, & ex 1. Paral. 18. vbi eadem verba repetuntur, quidam opinantur. Sed dicendum videtur, vnicum fuisse summum sacerdotem, functione officij seu possessione eius dignitatis, scilicet Abiathar, qui & putatur dictus Achimelech (de quo mox plenius) qui erat ex posteris Heli: Sadoc tamen etiam fuisse summum sacerdotem, atque adeo primo loco nominari, quia ad ipsum ius sacerdotij etiam magis, quam ad Abiathar spectabat, vt pote Abiathar per Heli ex Ithamar filio minore natu Aaronis, oriundus erat; Sadoc verò ex Eleazaro maiore natu filio eiusdem Aaronis per Phinees, cuius semini quoque promissum erat sacerdotium summum vsque in æternum Num. 25. Quare ad implendam eam promissionem, transferendum rursus erat suo tempore sacerdotium de stirpe Heli (quod & Dominus illi comminatus fuerat primi Regum c. 2.) ad stirpem Phinees. Quod quidem Dauid facere cepit, eatenus, vt quodammodo pares honore, ac dignitate haberentur Abiathar & Sadoc, altero quidem dignitatem exercente, quia eam bona fide à patre & auo acceperat, altero vero, id est, Sadoc, potiores partes iuris ad eandem dignitatem habente, cum expectatione eiusdem sibi per opportunitatem restituendæ, quod postea tertij Regum c. 2. per Salomonem factum est. Sane tempore Dauidis Abiathar, & non alius, legitur habuisse Ephod, & tanquam summus sacerdos consuluisse Dominum, primi Regum c. 23. An autem iste Abiathar eo loco, & Achimelech hoc loco, vnus atque idem homo sint, obscurum est. Id constat postea adhuc, Abiathar summum sacerdotem nominari, nempe 3. Regum c. 1. & secundo. Ac rursum illud certum est, ante Abiathar (de quo 1. Regum cap. 23.) patrem eius paulo ante (nempe c. 21.) vocari Achimelech, nempe illum, qui dedit Dauidi panes propositionis. Ac nihilominus Marci 2. dicit Christus; *quomodo introiit (Dauid) in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducauit.*

MENOC.

Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant sacerdotes. Ambo summi Pontifices (si Abulenſi, & Iosepho credimus) sed munus illud per vices tantum, & alternis ministrantes, & fauet quod habemus 1. Paralipomen. 24. numero tertio. Salius tamen ait Sadoc non fuisse

A Pontificem ante initium regni Salomonis, quando abdicatus est Abiathar 3. Regum 2. 26. 35. Sed fuisse tantum hoc tempore, quasi Archipresbyterum, sacris in Gabaone vbi erat tabernaculum, administrandis. Vide 1. Paral. cap. 16. num. 39. & 40.

Achimelech filius Abiathar. Videtur potius dicendum Abiathar filium Achimelech. Respondet Salmeron Tom. 8. tract. 14. Emanuel Sa, & Sanchez in hunc locum tam Achimelech, quam Abiathar binomios fuisse, & vtrumque tam Achimelech, quam Abiathar dictum, quare promiscuè dici potuisse Abiathar filium Achimelech, & Achimelech filium Abiathar. Dionysius, & Salius probabile putant nominari hoc loco duos primarios sacerdotes, quasi Archipresbyteros duobus locis, in quibus Dei cultus exercebatur, præpositos Gabaone scilicet & Sione, quibus tamen præerat Abiathar summus sacerdos.

Scriba. Legis peritus, illiusque in rebus dubijs Interpret. Septuaginta appellant συνέβουλον, id est, *consiliarium.*

Banaias. Id est super sagittarios & balistarios vt dicit translatio Caldaica. Filij autem Dauid sacerdotes erant, id est maiores vel primi ad honores; vnde 1. Paral. 18. habetur: *Filij autem Dauid primi ad manum regis.* Non enim potest dici quod essent sacerdotes proprie in tabernaculo ministrantes, quia non erant de genere Aaron.

Filij autem Dauid sacerdotes erant. Eos non dici proprie sacerdotes etiam hic ipse locus indicat: nam immediate præcedit, *Et Sadoc & Achimelech erant sacerdotes.* Et deinde subiecta quadam aduersatiua, & hæc quoque per aduersatiuam subiiciuntur. Adde quod ex scriptura certum est, post promulgatam legem Moyſi, nullos habitos esse sacerdotes, scilicet ad offerendum sacrificia in lege præscripta, nisi qui essent ex posteris Aaron. Dicuntur itaque filij Dauid hic sacerdotes, id est, principes & primarij in omnibus totius aulæ regię. Hunc sensum confirmat, quod 1. Paral. 18. vbi hæc eadem narrantur sic legitur: *Sadoc autem filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar sacerdotes: & Susa scriba. Banaias quoque filius Ioadæ super legiones Cerethi & Phelethi: porro filij Dauid primi ad manum regis.* Ecce quod hic dicitur, *Filij autem Dauid sacerdotes erant,* ibi in Paral. dicitur; *Porro filij Dauid, primi ad manum regis.* Vnde etiam hoc loco vbi nos habemus (*sacerdotes*) Septuaginta habent, ἀρχαίχες, id est, aulæ principes. Hier. quoque in 61. Isaïæ, ad illud; *Vos autem sacerdotes Domini,* &c. per sacerdotes intelligit viros principes.

Cerethi & Phelethi. Hi erant quasi prætoriani misites, & regij corporis custodes, quare illos Iosephus appellat ἀποπολιτάρχης. Fortasse sic dicti sunt, inquit Emanuel Sa, quod essent Cherethæi, & Philistæi, vt nunc solent Suizzeri, seu Heluetij. D. Hier. putat sic dictos, quasi *interfectores*, id enim significat vox Hebræa כרתי *cheretim*. Phelethiautem dicuntur quasi *mirabiles*, scilicet viribus, vt aliqui interpretantur, deducentes à radice פלה *pala*. Caldæus vertit, *Sagittarios, & fundibularios.*

Sacerdotes. Id est, principes. Caldæus *magnates*. Septuaginta, *principes*. Vide dicta Exodi cap. 2. num. 19.

Filij autem Dauid sacerdotes erant] *Cohen* Hebraicè ferè semper *sacerdotem* proprie dictum significat, vt dixi Gen. 14. v. 18. subinde tamen vsurpatur pro principe seu magnate, qui apud regem tali ferè est familiaritate & ministerio, quali sacerdos apud Deum. Nam & rex est quasi Deus terrestris: vnde per catachresin familiares & primi ministri regis vocantur subinde sacerdotes. Et hoc sensu *filij Dauidis* dicuntur hic fuisse *sacerdotes*, Septuaginta *Aularchæ*, id est, *aulæ principes*, & vt 1. Paral. 18. explicatur, *primi ad manum regis*, ita Forerius.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS.

IN gratam memoriam Ionathæ quondam sibi amicissimi, benefacit David filio eius Miphiboseth, redditis ei omnibus agris Saul, & reliquis bonis hereditariis.

IT dixit David: Putasne est aliquis, qui remanserit de domo Saül, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionathan? 2. Erat autem de domo Saul, seruus nomine Siba: quem cum vocasset rex ad se, dixit ei: Tunc es Siba? & ille respondit: Ego sum seruus tuus. 3. Et ait rex: Numquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Superest filius Ionathæ, debilis pedibus. 4. Vbi, inquit, est? Et dixit Siba ad regem, Ecce, ait, in domo est Machir filij Ammiel in Lodabar. 5. Misit ergo rex David, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodabar. 6. Cum autem venisset Miphiboseth filius Ionathæ filij Saul ad David, corruit in faciem suam, & adorauit. Dixitque David: Miphiboseth? Qui respondit: Adsum seruus tuus. 7. Et ait ei David: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum, & restituum tibi omnes agros Saül patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper. 8. Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? 9. Vocauit itaque rex Sibam puerum Saül, & dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, & vniuersam domum eius, dedi filio domini tui. 10. Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & serui tui: & inferes filio domini tui cibos vt alatur: Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quindecim filij, & viginti serui. 11. Dixitque Siba ad regem: Sicut iussisti, domine mi rex seruo tuo, sic faciet seruus tuus: & Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi vnus de filiis regis. 12. Habebat autem Miphiboseth filium paruulum nomine Micha: omnis verò cognatio domus Sibæ seruebat Miphiboseth. 13. Porrò Miphiboseth habitabat in Ierusalem: quia de mensa regis iugiter vescebatur; & erat claudus vtroque pede.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 1. ad 8.

Vulg. Et dixit David: Putasne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionathan?

Malu. An quia existentia adhuc qui superrelictus fuit, &c. Feci cum eo benignitatem in transitione Iehonathanis.

Arab. Vt clementia vtar in eum.

Vulg. Erat autem de domo Saul, seruus nomine Siba: quem cum vocasset rex ad se, dixit ei: Tunc es Siba? & ille respondit: Ego sum seruus tuus.

Pag. Vocauerunt eum ad David.

Vulg. Et ait rex: Numquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi: superest filius Ionathæ debilis pedibus.

Pag. Claudus pedibus. *Alij vt vers. 4. cap. 4.*

Cald. Benignitatem ante Dominum.

Vulg. Vbi, inquit, est? Et dixit Siba ad Regem, Ecce, ait, in domo est Machir filij Ammiel in Lodabar.

Vulg. Misit ergo rex David, & tulit eum de domo Ma-

chir filij Ammiel de Lodabar.

Vulg. Cum autem venisset Miphiboseth filius Ionathæ filij Saul ad David, corruit in faciem suam, & adorauit. Dixitque David: Miphiboseth? Qui respondit: Adsum seruus tuus.

Pag. Prostravit se super faciem suam, & incuruauit se.

Vulg. Et ait David: ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum, & restituum tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.

Malu. Non timebis, quia faciens facere tecum benignitatem, in transitione Iehonathanis, & reuertere faciam tibi.

Vulg. Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?

Cald. Quod respexisti ad virum idiotam, qualis sum ego?

Arab. Cuius momenti seruus tuus, vt exaltaueris in me?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Faciam cum eo misericordiam Dei. **Cald.** Coram Deo. Id est gratam Deo: Misericordiam Dei dixit, id est maximam. **In Lodabar.** **Alij,** De ipsa Lodabar. **Debilis pedibus.** **Alij,** Claudus. Vide Concord. vers. 4. cap. 4. huius libri. **Respexisti super canem mortuum.** **Cald.** Respexisti ad virum idiotam, Vide Concord. v. 15. c. 24. lib. 1. Reg.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. I.** **E**T dixit David. Hic consequenter ostenditur pietas David ad proximum, faciendo misericordiam erga domum Saul propter Ionathan amicum suum, quæ pietas in tribus ostenditur: primò quia diligenter inquisit, quod notatur cum dicitur,

Putas. Hoc quæsiuit David ab assistentibus sibi, per quos Tom. IV.

rum iudicium vocauit Sibam, qui Sauli seruierat, vt ab eo certius de hoc inquireret, & in particulari, qui interrogatus respondit.

Et dixit. Id est, & subiit David cogitare & quærere. **MENOC.**
Seruus nomine Siba. Hunc Iosephus Saulis libertum appellat, simulque significat eum non fuisse genere Iudæum, **MENOC.**
Y. 2.

sed profelytum ex aliqua circumiectarum nationum oriundum, idque confirmat Abulensis.

LYRAN. *Supereft.* Cuius causa dicta fuit supra 4. cap. 12. ostenditur fidelitas Dauid, & eius pietas, eò quod Miphibofeth quæsitum dulciter recepit: quod notatur, cum dicitur,

ESTIVS. *Et ait Rex, Nunquid supereft aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* Nota quod dicit Hebræa Phrasi (*misericiordiam Dei*) scilicet insignem & memorabilem misericordiam. Hebræi enim hac adiectione eximium aliquid significant. Atque ita intelligendum est quod scriptura sæpè dicit, cedros Dei, montes Dei, &c.

MENOC. *Misericiordiam Dei.* Misericordiam magnam, vel Deo gratam, Cald. *coram Domino.*

Debilis pedibus. Quo casu id acciderit, dicitur supra cap. 4. num. 4. huius libri.

TIRINVS. *Faciam cum eo misericordiam Dei.* Id est, eximiam, excellentem, sicut sunt omnia Dei. Vel misericordiam similem misericordie diuinæ, quæ scilicet etiam completitur indignos & ingratos, imò rebelles: quales se Saül & Isbofeth exhibuerant erga Dauidem. Vel denique misericordiam debitam propter Deum, quem interposito iuramento testem inuocaui cum fædus pangerem cum Ionatha, promitteremque me non *ablaturum misericordiam à domo illius*, 1. Reg. 20. & 23. Hoc enim sensu dicit ibidem Ionathas Dauidi, *Facies mihi misericordiam Domini.*

MENOC. *In domo Machir.* Viri primarij & potentis, ex illustri & antiqua familia Machir filij Manasse Patriarchæ, quem Miphibofeth quasi patronum, & tutorem quæsiuiffe videtur, Dauidem timens.

In Lodobar. Fuit ciuitas in monte Galaad, in tribu Gad trans Iordanem.

LYRAN. *Et ait.* Timebat enim eò quod auus eius, & patruus fuerant inimici Dauid, propter quod eum affecurauit, & sibi bene facere promisit dicens. *Restituam tibi omnes agros, &c.*

A *Restituam tibi omnes agros Saul patris tui.* Qui erant filio addicti, nam qui regno Isbofethi consenserant (inter quos proculdubio censendus est Miphibofeth) rei erant imminutæ maiestatis, & bonis spoliari poterant. Hæc bona cui voluisset reddere poterat Dauid.

Restituam tibi omnes agros Saul patris, seu aui, tui] & omnium filiorum eius, vt vers. 9. indicatur. Nempe quæcumque illi aliquando priuato nomine, tanquam familie suæ propria possederunt, & iam filio regio, propter rebellionem fuerant adscripta, tibi integrè reddi volo.

Qui adorans eum. Adoratione dulciæ.

Dixit. Quis ego, quasi dicat nullius momenti, respectu tanti beneficij.

Super. Id est, super me, vilem & despicabilem, quia erat impotens corpore & genere, eò quod amici sui erant mortui. 3. ostenditur pietas Dauid, eò quod ipsi Miphibofeth diligenter prouidit, assignans ei procuratorem, & seruum pro domo sua, & familia gubernanda, scilicet Sibam, qui auo suo seruierat, Miphibofeth faciendo sibi commensalem, & patet littera paucis exceptis quæ discurrentur.

Qui (scilicet Miphibofeth) adorans dixit; Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? Proverbium canis apud Iudæos eo tempore frequens fuisse, patet ex eo quod supra cap. 3. Abner quoque dixit ad Isbofeth; *Nunquid canis ego sum aduersum Iudahodie?* Significatur autem res contemptibilis. Sicut enim canis semper exiguo in pretio est, ita mortuus ab omnibus proiicitur & contemnitur, imò horrore est. Sic ergo Miphibofeth se comparat hîc cani mortuo, sicut & ibi Abner capiti canis, scilicet resecto.

Super canem mortuum similem mei. Super me qui cani mortuo similis sum. Frequens est hæc Phrasis in scripturis, vt scilicet cum cane mortuo se conferant, qui demissè de se sentiunt, & loquantur, vide supra 1. Regum 24. 15. & 2. Regum. 3. 8.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 9. ad 13.

Vulg. Vocauit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, & vniuersam domum eius, dedi filio domini tui.

Arias. Dedi filio dominorum tuorum.

Malu. Sustentatorum tuorum.

Vulg. Operare igitur ei terram tuam, & filij tui, & serui tui; & inferes filio domini tui cibos vt alatur: Miphibofeth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quindecim filij & viginti serui.

Pag. Coles ei terram, &c. & afferes.

Arias. Et erit filio dominorum tuorum panis.

Malu. Et seruius ei humum.

Sept. Introferes panes.

Cald. Et afferes, vt sit illi victus.

Vulg. Dixitque Siba ad Regem: sicut iussisti, domine mi-

rex seruo tuo, sic faciet seruus tuus: & Miphibofeth comedet super mensam meam, quasi vnus de filiis regis.

Lyran. Comedet super mensam tuam.

Sept. Comedebat super mensam Dauid, sicut vnus filiorum ipsius Regis.

Arab. Factus est è conuiujs Regis.

Vulg. Habebat autem Miphibofeth filium paruulum nomine Micha: omnis verò cognatio domus Sibæ seruiebat Miphibofeth.

Pag. Et omnis habitatio.

Cald. Omnis familia.

Syr. Et omnes vernaculi.

Vulg. Porrò Miphibofeth habitabat in Ierusalem: quia de mensa regis iugiter vescabatur: & erat claudus vtroque pede.

Malu. Et ipse transfaltator duobus pedibus eius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

I Nferes cibos vt alatur. Alij, *Et adduces, vt sit ei panis*, vnde ad illud *Adduces*, subaudiendum in horrea prouentum eius, vt sit quo alatur. *Comedet super mensam meam.* Lyran. *super mensam tuam.* Prima verba fuerunt Dauidis, posteriora Sibæ ad Dauidem, quasi dicat. Ita Domine Rex, comedet Miphibofeth super mensam tuam, vel dixit Siba, Comedet in mensa tua, sicut iussisti, quanquam etiam in mensa mea comederit, sicut vnus è filiis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Di.* Id est, filio Miphibofeth, qui nunc est Dominus tuus, cuius filius vocabatur Micha, vt infra habetur: non enim hoc potest intelligi de cibis administrandis Miphibofeth, quia semper comedebat in mensa Regis

Filio Domini tui. Miphibofeth Saülis nepoti. Phrasi enim scripturæ nepotes, aliique posterij filij dicuntur.

B *Miphibofeth.* Et secundum hoc Siba dixit istud verbum. In Hebr. habetur. *Et Miphibofeth comedet super mensam meam.* Et secundum hoc est verbum ipsius Dauid quod exponunt Hebræi dicentes, quod postquam Siba dixerat Regi. *Sic faciet seruus tuus;* Dauid respondit, *Et Miphibofeth comedet super mensam meam.* Ita quod hîc subintel-

ligitur, respondit Dauid, Et est modus loquendi, qui apud Hebræos vocatur decurtatus, vel recisus, scilicet, quando aliquid omittitur, quod tamen necessariò subintelligitur, ad habendum sententiam perfectam, & talis modus loquendi frequenter inuenitur in Scripturis veter. Test. Cætera patent.

Filio Domini tui. Hoc loco non Miphiboseth intelligitur, sed Michas Miphibosethi filius, vt explicant Lyranus, Dionysius, Caietanus, & Salianus.

Tralatur. Ipse nimirum, & famulitium, & vxor cum illam duxerit, &c.

Filio Domini tui. Scilicet, *Micha* filio Miphiboseth, iam Domini tui, *cibos inferes.*] ex prouentu agrorum Saulis. Id est, tuæ curæ committo, vt paruulo, de rebus omnibus necessariis ex fructibus agrorum prospicias: nam parentem paruuli, putà ipsum Miphiboseth, volo meæ mensæ perpetuum conuiuam adhibere.

Petes, Quid ergo sibi vult, quòd mox respondens regi *Siba* dicat: *Et Miphiboseth comedet super mensam meam?* Respondeo, *Et*, valet idem quòd, *imò etiam*, quasi dicat, Si tibi, rex, placeat, non soli filio, sed & parenti prospiciam abundè de rebus omnibus necessariis, *quasi vni de filiis regis.* Sed rex in sententia perstitit, voluitque secum in sua

mensa habere *Miphiboseth*, *claudum viroque pede*: cuius infortunij causa narratur supra, cap. 4. v. 4. vbi cum quinquennis esse, moriente Saule & Ionatha, & nutrix eum ad locum tutiorem deferre properaret, fallente vestigio corruit cum paruulo, & tibia illius contorsit. Porro ex eodem illo loco colligitur, quindecim iam minimum à nece Saulis annos effluxisse, cum in Dauidis familiam transfertur Miphiboseth. Nam quinquennis erat moriente auo & patre: & iam filium Micham ex vxore nactus erat cum in Dauidis aulam commigrat: ergo vigesimum, agebat ætatis annum: cui numero si quinque priores infantia annos præscideris, supererunt quindecim. Ita Sanctius & alij Doctores.

Et Miphiboseth comedet super mensam meam quasi vnus de filiis Regis. Quasi dicat, non solum Micham alam, sed si iubes apud me esse etiam Miphiboseth splendide illum tractabo, & vt filium Regis. Ita Sanchez explicat hunc locum.

De mensa regis vescatur. Non solum de mensa Regis, sed cibos regios, sed etiam in ipsa mensa, quare Hebræi codices & Græci, & Caldæa Paraphrasis habent, *super mensam Regis.*

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS.

Legatos mittit Dauid ad Hanon regem Ammonitarum, qui super morte patris illum solentur: sed ille Legatos quasi exploratores contumeliosè excipit, & mox contractis quinque regum Syriæ copiis aduersus Dauidem contendit, à quo semel iterumque profugatur.

Actum est autem post hæc, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius pro eo. 2. Dixitque Dauid: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo Dauid, consolans eum per seruos suos super patris interitu. Cum autem venissent serui Dauid in terram filiorum Ammon, 3. dixerunt principes filiorum Ammon, ad Hanon dominum suum: Putas quòd propter honorem patris tui miserit Dauid ad ad te consolatores, & non idè vt inuestigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam, misit Dauid seruos suos ad te? 4. Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos. 5. Quod cum nuntiatum esset Dauid, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valdè, & mandauit eis Dauid: Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, & tunc reuertimini. 6. Videntes autem filij Ammon quòd iniuriam fecissent Dauid, miserunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & à rege Maacha mille viros, & ab Istob duodecim millia virorum. 7. Quod cum audisset Dauid, misit Ioab & omnem exercitum bellatorum. 8. Egressi sunt ergo filij Ammon, & direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Istob, & Maacha, seorsum erant in campo. 9. Videns igitur Ioab quòd præparatum esset aduersum se prælium, & ex aduerso & post tergum, elegit ex omnibus electis Israël, & instruxit aciem contra Syrum: 10. reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem aduersus filios Ammon. 11. Et ait Ioab: Si præualuerint aduersum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filij Ammon præualuerint aduersum te, auxiliabor tibi. 12. Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. 13. Iniit itaque Ioab, & populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui statim fugerunt à facie eius. 14. Filij autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt & ipsi à facie Abisai, & ingressi sunt ciuitatem: reuersusque est Ioab à filiis Ammon, & venit Ierusalem. 15. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israël, congregati sunt pariter. 16. Misitque Adarezer, & eduxit Syros qui erant trans fluuium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum. 17. Quod cum nuntiatum esset Dauid, contraxit omnem Israël, & transiit Iordanem, venitque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex aduerso Dauid, & pugnaverunt contra eum. 18. Fugeruntque Syri à facie Israël, & occidit Dauid de Syris septingentos currus, & quadraginta millia equitum: & Sobach principem militiæ percussit: qui statim mortuus est. 19. Videntes autem vniuersi reges, qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israël, expauerunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Israël. 20. Et fecerunt pacem cum Israël: & seruierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere vltra filiis Ammon;

VARIETAS LECTIONVM à Verf. I. ad 4.

Vulg. Factum est autem post hæc, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnavit Hanon filius eius pro eo.

Malu. Et fuit post sic, & mortuus fuit.

Vulg. Dixitque Dauid: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo Dauid, consolans eum per seruos suos super patris interitu. Cùm autem venissent serui Dauid in terram filiorum Ammon,

Malu. Faciam benignitatem. Misit ad consolari eum in manu, &c. ad patrem suum.

Alij. De patre.

Vulg. Dixerunt principes filiorum Ammon, ad Hanon Dominum suum: Putas quòd propter honorem patris tui miserit Dauid ad te consolatores, & non ideò vt inuestigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam, misit Dauid seruos suos ad te?

Pag. Non honorat patrem tuum in oculis tuis.

Arab. Et ad peragrandum pedibus eius eam.

Malu. An aggrauans, &c. An non in transitione perscrutari urbem, & ad pedare eam, & ad vertere eam.

Sept. Rom. Numquid eò quòd Dauid glorificet patrem tuum, &c. & speculetur eam, & ad considerandum eam?

Cald. Num magnificauit eum?

Arab. Explorare cupit regionem nostram, & scire statum urbis nostræ.

Vulg. Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos.

Malu. Exscidit commensuratas vestes eorum, &c. vsque ad posituras eorum.

Sept. Rom. Rasit barbam eorum, & præcidit mantella eorum.

Cald. Vsque locum domus confusionis eorum.

Syr. Perfodit tunicas eorum sagittis.

Arab. Vsque ad femoralia eorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quod propter honorem patris tui. Alij, An aggrauans. Idem enim verbum כבד *cabad*, honorare, & aggrauare significat. Et non ideo, vt inuestigaret. *Malu.* An non in transitione perscrutari urbem? Potest intelligi, inquit, in transitu, dum pertranseamus regionem & urbem. *Rasit dimidiam partem barbæ.* *Sep.* Rasit barbam eorum, sed *Compl. Medietatem*, posuit. *Præcidit vestes eorum medias vsque ad nates.* *Cald.* Vsque ad locum confusionis eorum. Cùm enim videntur partes, quæ propter pudorem debent velari, maxime confundimur. Aduerte rem interdum denominari, non ab eo quod est, sed à fine, aut ab eo quod futurum est, vt Tob. 22. *Nudos spoliasti vestibus.* Id est, spoliasti vestitos homines, ita vt relinqueres nudos: sic nunc vestes mediæ dicuntur esse præcixæ, quia id ex præcisione consecutum est, vt tandem esset pars media ex vestibus relicta, *Syr. & Arab.* *Sagittis perfodit eorum vestes, vsque ad femoralia eorum.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 1.** **F**actum est. Hic consequenter ponitur gratitudo Dauid erga beneficium. Circa quod primò ponitur ipsius Dauid gratia propter impensum sibi beneficium: secundò illata sibi iniuria per malum consilium, ibi: *Cum autem venissent.* Tertio vindicans iustitia propter illatum opprobrium, ibi. *Quod cum audisset.* Circa primum dicitur.

LYRAN. **Y. 2.** **F**aciam. Ita autem misericordia quam fecit Naas cum Dauid, tacta est supra lib. 1. c. 22. secundum duplicem opinionem. Vna est, quod iste Naas qui dicitur hic mortuus, esset simul rex Ammon, & Moab. Quia ibidem dicitur quod Dauid dimisit patrem, & matrem, & aliquos eius amicos, qui non poterant sequi eum cum rege Moab pro custodia, & sic voluit filio eius recompensare. Alia est quod rex Moab apud quem dimisit prædictos, iratus propter recessum Dauid de terra sua, interfecit eos paucis exceptis, qui fugerunt ad Naas regem Ammon, & ibi saluati fuerunt. Et ista opinio videtur verior: quia supra c. 8. dictum est qualiter Dauid rigide processit contra regem Moab, & populum eius, & hîc dicitur quomodo amabiliter voluit procedere contra regem Ammon. Ex quo manifestè videtur, quòd iste Naas fuerit alius à rege Moab, cui recommendauit patrem, & matrem, cum esset in fuga Saül.

Misit. Nuntians ei quod esset paratus ad eius auxilium si indigeret, propter patris sui receptum beneficium.

Cum. Hic consequenter describitur illata Dauid iniuria per malum consilium, cùm dicitur.

MENOC. *Sicut fecit pater eius mecum misericordiam.* Quænam fuerit hæc misericordia incertum est. D. Hieron. in traditionibus in hunc locum. *Quando fugit, inquit, Dauid à facie Achis regis Geth, &c.*

Misit ergo Dauid consolans eum, &c. Quamuis non deberent Hebræi præuenire beneficiis Ammonitas, aut Moabitas, nec eorum ambire amicitiam, eo quod Deut. 23. 6. scriptum esset, *non facies cum eis pacem, nec queras eis bona cunctis diebus vita tua in sempiternum.* Præuenti ta-

men ab eis beneficiis ex lege naturæ ad gratitudinem tenebantur. Itaque præuentus Dauid beneficiis non peccauit, si paria rependere studuit, & erga regem Ammonitarum se officiosum exhibuit.

Pater eius, nempe Naas, fecit mecum misericordiam.] *TIR.* Inquit Dauid. *Quando enim fugit à facie Achis regis Geth, &c.* Ita ex Hebræis, S. Hieronymus, historia Scholastica, Angelomus, Glossa, & Abulensis.

Putas. Quasi dicant, non, sed vt sub specie amicitix decipiat te explorando per nuntios suos infirma terræ tuæ. *LYRAN.*

Vt explorares, &c. Habes in hac historia specimen ingenij eorum, qui sapientes sunt secundum carnem, qui se oculatissimos, & πολιτικώτατες, existimant, cum sunt maximè suspiciosi, quare frequenter in non absimilia discrimina principes suos trahunt, vt hi consiliarij Hanonem regem suum adduxerunt. *MENOC.*

Tulit. Quia tunc temporis erat maximum vituperium, & adhuc est in terra illa in qua homines sine barba reputantur quasi mulieres. *LYRAN.*

Et dimisit. Ita quod apparebant verenda eorum. *Y. 4.*

Tulit. Quod posteriori loco narratur, fœda imprimis eo tempore erat ignominia. Nam viri non utebantur tunc fœmoralibus, vt hodie. Quo pertinet illud præceptum Exod. c. 20. *Non ascendas per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitude tua.* Occasione vero quod propter dimidiã partē barbæ rasam iussi sunt in Iericho manere, donec barbæ iterum cresceret; quæritur, cur non potius eadem opera mox integram barbam abraferint? Ad quod responderetur, quod æquè ignominiosum fuisset eo tempore integra barbæ rafa comparere in publico, atque cum dimidio barbæ. Nam diuersarum regionum, & temporum diuersæ sunt in his consuetudines, & id indecorum reputatur quod est contra morem receptum. *ESTIV.*

Obiiciunt quidam hunc locum contra sacerdotes radentes barbam, sed ineptè. Nam diuersarum regionum, & temporum, diuersæ, vt diximus, sunt consuetudines. Sic

etiam multi Romanorum Imperatorum, vt ex eorum numismatibus constat, barbas posuerunt, imo omnino raserunt; & tempore abauorum nostrorum, etiam in Belgio principes viri hanc consuetudinem radendi barbam seruabant: vt patet ex imaginibus multorum. Vnde autem originem habeat, quod sacerdotes peculiariter adhuc barbam raserint, cum Laici eam nutrent, non satis constat. Nam imagines Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum, eos barbatos exhibent; & etiam hodie Italia, & Hispania barbatos habet Episcopos, & Sacerdotes. Producere quidam conantur Canonem Concilij Carthag. Sed potius ille habet contrarium, sic enim ibi secundum veram lectionem ex antiquis Codicibus, vt volunt, restitutam, legitur: Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat. Nec tamen propterea prohibitum nunc censeretur sacerdotibus, vel religiosus barbam radere. Nam Canon ille solum obligat eo tempore, quando comam nutrit, & barbam radere erat hominum mollium, & effeminatorum, qui per hoc volebant fœminis placere, tanquam illis similes. Quod au-

tem sacerdotes Belgij, Germaniæ, Angliæ, & magna pars Galliæ vsque ad nostra tempora barbas raserint, in causa esse videtur, quod morem multis annis iis in regionibus, etiam à Laicis seruatum, ipsi facillè mutare noluerunt; tum ne barba quicquam incommodi in tremendo altaris sacrificio peragendo adferret.

Rasit dimidiam partem barbe. In lib. Par. 1. c. 19. habemus. *Pueros David decaluanit, & rasit.* Videntur potissimum hoc genere contumeliæ voluisse Ammonitæ Hebræos afficere, quia Ammonitæ in luctu solebant barbam, & caput radere, à quo ritu abhorrebant Hebræi, quia veritatur illis Deur. 14. 1. Cum ergo tunc defunctum Naas lugerent, voluerunt per contemptum legatos cogere vt etiam ipsi, vt in funere, capita, & barbam rasam gestarent.

Vestes eorum medias vsque ad nates. Vt turpitudine, & nuditas eorum in conspectu omnium aulicorum, & ciuium appareret, & circumcisio derideretur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 8.

Vulg. Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valdè, & mandauit eis David: Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, & tunc reuertimini.
Arias. Quouisque germinat.
Malu. Erant viri magna ignominia affecti.
Sep. Rom. Inhonorati valdè, sedete in Hiericho, donec pullulent barbæ vestra.
Reg. Donec orientur.
Arab. Verecundi enim manserant viri illi, nec poterant urbem ingredi.
Vulg. Videntes autem filij Ammon, quod iniuriam fecissent David, miserunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & à rege Maacha mille viros, & ab Istob duodecim millia virorum.
Arias. Quod fœtebant David, &c. Aram Betharecob.
Caiet. Quod fuerant abominati Dauidem.
Tigur. Animaduertentes inuisos se esse.
Lyrans. Et viri Tob.
Sep. Rom. Quia ignominia affecti sunt populus David, &c. conduxerunt Syriam Bethraam, Syriam Suba, &c. & regem Amalec.

Reg. Quod confusi essent.

Cald. Quod incitati essent.

Syr. Videntes læsum esse David.

Vulg. Quod cum audisset David, misit Ioab, & omnem exercitum bellatorum.

Pag. Exercitum robustorum.

Caiet. Potentium.

Malu. Militiam præualidorum.

Sep. Omnem virtutem, ipsos potentes.

Vulg. Egressi sunt ergo filij Ammon, & direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Istob, & Maacha, seorsum erant in campo.

Pag. Disposuerunt bellum.

Malu. Ordinauerunt castronem.

Sep. Rom. Instruxerunt apud ostium portæ, Syria Suba, &c. & Amalec soli in agro.

Reg. Ante portam ciuitatis.

Arab. Prodeuntes Ammonitæ composuerunt se ad pugnam, in ostiis Edom: filij Rehob, & Edom filij Sobæ; milites autem regis Maaca, & Afitob instruxerunt aciem seorsum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Erant viri confusi turpiter, Alij, Viri magna ignominia affecti. Id est, summo in oculis hominum dedecore affecti. Quod iniuriam fecissent David, Alij, Quod fœtebant David. Vide Concord. v. 1. c. 13. lib. præced. Syrum Roob. Alij, Aram, Botharecob. Id est Syriam domus Recob, id est Dominum Syrorum Rechobæorum. Et ab Istob. Lyrans. Et viros, vel virum Tob. Heb. enim est ויש שרוב *veis rob. Maacha.* Sep. Rom. *Amalec*, sed in alijs est Maacha. Vtrumque in aliquo Codice Græco coniungitur. Ante ipsum introitum portæ. Reg. Ciuitatis, nimirum Medebæ. Arabicus aduersari videtur Vulgatæ dicenti Ammonitas direxisse aciem ante ipsum ciuitatis ostium, conductos vero mercede seorsim in campo stetit, sed Syr. vult cum Ammonitis Rehob, & Soba disposuisse exercitum circa portas ciuitatis, alios autem in campo, sed aliæ lectiones conformes sunt Vulg.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **M**anete. Quæ erat in principio regni David ex illa B parte, vnde veniebant, vt sic non apparerent inter homines, cum turpitudine sibi illata.
MENOC. Manete in Iericho. Erat is locus olim oppidum, tunc vero raro habitatore cultum, in itinere Ammonitico, Hierosolymis distans 150. stadiis, vt ait Iosephus, à Iordane autem sexaginta.
TIRINVS Donec crescat barba vestra, &c.] 1. Paral. 19. dicuntur hi legati etiam decaluati fuisse: nempe vt dimidia tantum barba rasa fuit, sic etiam dimidium quoque caput videtur ad cutem vsque detonsum fuisse, nouo sanè, & ad fannas adornato spectaculo. Cur verò hanc potius quam aliam iniuriam legati Hebræis irrogarint Ammonitæ, causa fuisse videtur in genere, quod sicut casaries apud omnes penè gentes decori erat, etiam Aristotele teste: sic calui-

ties summo probro. Nominatim vero Hebræi, saltem hoc tempore (nam posterioribus sæculis ad Gentilitios ritus pluscum deflexere) à radendo capite, aut barba extra tempora luctus valdè abhorrebant, ne mores Gentilium (qui in honorem falorum deorum suorum id factitabant, vt dixi Leu. 19.) imitari viderentur Hinc voluerunt Ammonitæ illo Hebræos probro afficere, quod scirent ipsis maximè exosum esse. Neque turpitudine hæc tota fuit in dimidiata, seu coma, seu barba (nam potuisset facillè etiam altera pars, quæ intacta supererat, abradì, neque necessariam fuisset in Iericho hætere donec pili rursus excreuissent: quod tamen hic iubet David) sed probro erat Hebræis, vt dixi, caput vel mentum habere nudum à naturali vestitu, nisi fortè in ingenti dolore ac luctu, quando id honestum faciebat familiaris vsus, & populi consuetudo.

- LYRAN. *Videntes*. Quia cognouerunt quod non ex fraudulencia, sed ex vera amicitia nuncios miserat, & tamen non cognouerunt culpam, nec petierunt veniam, sed magis præparauerunt se ad defendendum suam stultitiam, vocando alios in suum auxilium contra Dauid, quod factum eorum notabiliter aggrauauit.
- MENOC. *Syrum Rohob*. Ex ea parte Syriæ, cuius metropolis erat Rohob: sunt qui putent Rohob esse nomen proprium principis eius prouinciæ patris Adarezer, nam vt vidimus cap. 8. num. 3. & 12. Adarezer filius Rohob dicitur; sed huic expositioni aduersatur quod ibi Adarezer filius Rohob dicitur rex Soba, hinc autem Syrus Soba, & Syrus Rohob distinguuntur. In lib. i. Paral. 19. 6. dicitur Hanon conduxisse militem de Mesopotamia, quæ tamen regio ea non est, quæ iacet inter Euphratem, & Tigrim, sed alia, quæ aliis Syriæ fluminibus clauditur, vt notat Salianus.
- Syrum Soba*. Vide dicta cap. 8. n. 3.
- Rege Maacha*. Id est, Syros subiectos regi Maacha.
- Istob*. Id est, Syros incolas terræ Tob, in qua vt sentit Salianus, Vatablus, & Sa, peregrinatus est Iephthe, Iudicum 11. v. 3. Iosephus putat Istob esse nomen proprium regis. Hebræi separant Istob, quasi dicas virum, aut principem

VARIETAS LECTIIONVM à *Vers. 9. ad 14.*

- Vulg.* Vidensigitur Ioab quod præparatum esset aduersum se prælium, & ex aduerso, & post tergum, elegit ex omnibus electis Israël, & instruxit aciem contra Syrum.
- Pag.* Quod esset contra se facies belli, &c. & ordinauit se in occursum Aram.
- Sep. Rom.* Quia ad se erat contraria facies prælij à loco ad faciem, elegit ex omnibus adolescentibus ex aduerso Syriæ.
- Sep. Rom.* Quod inualuerunt super se belligerantes à facie sua.
- Syr.* Prælio se obsessum à fronte, & retro.
- Vulg.* Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem aduersus filios Ammon.
- Arab.* Selegit ex omnibus robustissimis quosdam, & collocauit eos à tergo suo, præcepitque eis vt sese opponerent ex aduerso Edom, reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem aduersus filios Ammon.
- Malu.* Superrelictionem populi, &c. & ordinauit occursum.
- Vulg.* Et ait Ioab: Si præualuerint aduersum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filij Ammon præua-

- luerint aduersum te, auxiliabor tibi.
- Pag.* Si fuerit Aram robustior me, eris mihi in salutem. Si vero, &c. robustiores te fuerint, veniam ad seruandum te.
- Malu.* Si obtinebit Aram de à me.
- Vulg.* Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo.
- Pag.* Robora te, & esto vir robustus, &c. & pro ciuitatibus.
- Caiet.* Roborare, & roboremur.
- Malu.* Obtine, & obtinimus nos.
- Sep. Rom.* Viriliter age, & inualecamus pro populo.
- Syr.* Forti simus animo, & pugnemus.
- Vulg.* Iniit itaque Ioab, & populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui statim fugerunt à facie eius.
- Pag.* Et appropinquauit.
- Sep.* Et aduenit, &c. in prælium.
- Vulg.* Filij autem Ammon videntes, quia fugissent Syri, fugerunt & ipsi à facie Abisai, & ingressi sunt ciuitatem: reuersusque est Ioab à filiis Ammon, & venit Ierusalem.
- Pag.* Quod fugisset Aram.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

ET ciuitate Dei nostri, Alij, Pro ciuitatibus. Agebatur enim non de vna ciuitate, sed de vniuerso statu: vnde *Vulg.* singulare pro plurali posuit. Si præualuerint aduersum me Syri, Alij, Aram, frequenter Syrus ponitur pro Aram.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. *EX aduerso, & post tergum, elegit ex omnibus electis* B *Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo.* Quasi dicat, nos pugnemus strenuè, reliqua Domino, qui est Deus exercituum, cuius sunt bella, atque victoriæ, curæ erunt: in eius nos prouidentia acquiescemus.
- Qui statim fugerunt.* Syri mercenarij primi in fugam se dant, non enim par est animus conductio militi, & ei, cuius proprium est periculum. Mercenarius fugit, quia mercenarius est. Iosue 10. 13.
- Videntes, quia fugissent Syri.* In quorum virtute, ac multitudine spem suam collocauerant.
- Ingressi sunt ciuitatem.* Rabba. Vide dicta num. 8.
- MENOC. *Pugnemus pro populo nostro.* Qui cum rege suo iniuria affectus est ab Ammonitis.
- Et ciuitate Dei nostri.* Ierusalem scilicet noua regni Iudæorum metropoli 1. Par. 19. 13. dicitur in plurali ciuitatibus, sine dubio enim si vicissent Ammonitæ, clades ad plures Hebræorum ciuitates peruenisset.

VARIETAS LECTIO NVM à *Verf.* 15. ad 19.

Vulg. Videntes igitur Syri, quoniam corruissent coram Israël, congregati sunt pariter.

Pag. Vidit Aram quoddam casus esset.

Malu. Quod consternatus fuit faciebus, & collecti fuerunt vnitè.

Sep. Congregati in idipsum.

Vulg. Militique Adarezer, & eduxit Syros qui erant trans fluum, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiae Adarezer, erat princeps eorum.

Pag. Eduxit Aram, &c. & Sobach erat ante eos.

Arias. Ad facies.

Sep. Rom. Congregauit Syriam quæ de trans flumine Chelabac, & adueniunt in Ælam, & Sobach princeps virtutis.

Cald. Qui erant trans Petach.

Vulg. Quod cum nuntiatum esset Dauid, contraxit omnem Israël, & transiit Iordanem, venitque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex aduerso Dauid, & pugnauerunt contra eum.

Pag. Ordinauerunt se Aram.

Malu. Et cæciderunt cum eo.

Vulg. Fugeruntque Syri à facie Israël, & occidit Dauid de Syris septingentos currus, & quadraginta millia equitum: & Sobach principem militiae percussit: qui statim mortuus est.

Sept. Rom. Sustulit 700. &c.

Arab. Occidit ex Edomæis qui erant super vehicula, mille sexcenta vehicula (singulis autem vehiculis quattuor infidebant viri,) & 4000. equitum, & e peditibus occidit turbam plurimam.

Vulg. Videntes autem vniuersi reges, qui erant in presidio Adarezer, se victos esse ab Israël, expauerunt, & fugerunt quinquaginta, & octo millia coram Israël. Et fecerunt pacem cum Israël: & seruiuerunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

Pagn. Quia cæsi essent coram Israël, & fecerunt pacem.

Malu. Quia consternati, & pacificauerunt.

Sep. Rom. Confugerunt ad Israël, &c. & timuit Syria ultra, &c.

Compl. Disposuerunt testamentum.

Reg. Fædus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Adduxit eorum exercitum, Alij, Et venerunt Chelam. Noster appellatiuè sumpsit Chelam, pro exercitus copiis, Alij, nomen proprium esse volunt. *Occidit de Syris 700. currus, & 40000. Equitum*, Paral. c. 19. v. 18. ita scribitur, 7000. currum, & 40000. virorum peditum. Vide Annot. Ne immoretis in numero assignato in Arab. *Expauerunt, & fugerunt 50. & octo millia coram Israël.* In aliis non habetur hic numerus, sed solum *qui cæsi essent coram Israël.* Vnde hic numerus confossus in Bibl. Plantinianis, & non habetur in Bibl. Antwerp. ann. 1534. nec in Paris. 1543. Nec in tribus M. S. meis Latinis, nec in antiquissimo M. S. meo gallico tamen standum Vulg.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 15.

Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israël, congregati sunt pariter. Scilicet suam debellationem, & confusionem, ut possent se vindicare, congregauerunt multitudinem maiorem, propter quod Dauid in propria persona ad prælium venit cum exercitu suo maiori quam prius, & eos debellauit. Et patet litera vsque ibi.

MENOC.

Congregati sunt pariter. Illi ipsi qui antea fugerant, ignauia notam abstergere volentes fortiter pugnando.

MENOC.

Eduxit Syros. Eos euocauit non imperio quasi subditos, sed pretio, ut ait Iosephus, quasi mercenarios.

MENOC.

Venitque in Helam: & direxerunt, &c. Quam urbem Syrorum putat Abulensis. Alij putant esse locum vbi congregati erant Israëlita, qui trans Iordanem habitabant, quos ut vicinos Ammonitis, semper in armis paratos esse oportebat.

MENOC.

Septingentos currus, & quadraginta millia equitum. Videtur hic locus pugnare cum iis, quæ habemus 1. Par. 19. 18. *Interfecit, inquit, de Syris septem millia currum, & quadraginta millia peditum.* Ut hæc duo loca concilientur, dici potest currus tantum fuisse septingentos, in quorum singulis decem milites pugnarent, qui septem millium summam efficiunt, hos autem eos esse, quos facit textus in Paralipomenis expressit cum ait, *septem millia currum*, id est, militum ex curribus pugnantium. Vide dicta c. 8. n. 4. Cum verò dicitur in Paralipomenis occisa *quadraginta millia peditum*, hoc verò loco, *quadraginta millia equitum*, dicendum vtrumque verum esse, ac cæsorum summam fuisse octoginta millium, præter eos, qui pugnabant de

A curribus. Ita Lyranus, Abulensis, Vatablus, Sa, Salianus & Sanchez.

Sobach principem, &c. Non constat ex textu an ipse Dauid manu percussus fuerit, nam etiam multa illa millia equitum Dauid occidisse dicitur, quod tamen de illius exercitu intelligendum est.

Occidit Dauid, &c.] Equitibus nobilioribus graues, & insuper *quadraginta millia vulgarium equitum*, qui partim ex equis, partem è curribus pugnabant. Vnde 1. Par. 19. v. 18. dicuntur hoc bello *interfecti septem millia currum*, metonymicè re continenti posita pro re contenta. Nam etiam ex illis 40. millibus equitum multi curribus inuecti pugnabant.

Nota, in dicto Paralipomenon loco suppleri quod hic deest de *peditibus*, nempe cæsos etiam *quadraginta millia.* Ita ut vniuersim cæsa sint hoc secundo bello ex Syriacis castris octoginta armatorum millia, præter nobiliores illos qui septingentis prioribus curribus inuecti, & cæsi fuerant.

Videntes. Promittentes reddere Dauid pacificè suum tributum, & de cætero non præbere eius aduersariis auxilium. LYRAN.
v. 19.

Qui erant in presidio Adarezer. Id est, qui sub eius auspiciis contra Israël pugnabant. MENO G.

Quinquaginta octo millia. Ex quo apparet totum exercitum fuisse centum quadraginta quinque millium militum, nam octoginta septem millia cæsa fuerant, 1. Par. 19. additur, quod hic erat prætermisum, seruos Adarezer ad Dauidem transfugisse.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS.

Dum Ioab obsidet Rabba ciuitatem regiam Ammonitarum, Dauid domi residens, adulterio Bethsabee polluitur: cuius marito Vria frudulenter occidi iusso, ducit illam uxorem, filiumque procreat.

1.



Actum est autem, verrente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, Misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israël, & vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: Dauid autem remansit in Ierusalem. 2. Dum hæc agerentur, accidit vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambulet in solario domus regie: viditque mulierem se lauante, ex aduerso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valde. 3. Misit ergo rex, & requisit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, vxor Vriæ Hethæi. 4. Missis itaque Dauid nuntiis, tulit eam: quæ cum ingressa esset ad illum, dormiuit cum ea: statimque sanctificata est ab immunditia sua: 5. Et reuersa est in domum suam concepto foetu. Mittensque nuntiauit Dauid, & ait: Concepti. 6. Misit autem Dauid ad Ioab, dicens: Mitte ad me Vriam Hethæum. Misitque Ioab Vriam ad Dauid. 7. Et venit Vrias ad Dauid. Quæsiuitque Dauid quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum. 8. Et dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egressus est Vrias de domo regis, sequutusque est eum cibus regius. 9. Dormiuit autem Vrias ante portam domus regie, cum aliis seruis Domini sui, & non descendit ad domum suam. 10. Nuntiatumque est Dauid à dicentibus: Non iuit Vrias in domum suam. Et ait Dauid ad Vriam: Numquid non de via venisti? Quare non descendisti in domum tuam? 11. Et ait Vrias ad Dauid: Arca Dei, & Israël, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea: per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. 12. Ait ergo Dauid ad Vriam: Mane hic etiam hodie, & cras dimittam te. Mansit Vrias in Ierusalem in die illa & altera: 13. Et vocauit eum Dauid vt comederet coram se & biberet, & inebriauit eum: qui egressus vesperè, dormiuit in strato suo, cum seruis Domini sui, & in domum suam non descendit. 14. Factum est ergo manè, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab: misitque per manum Vriæ, 15. scribens in epistola: Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium: & derelinquite eum, vt percussus intereat. 16. Igitur cum Ioab obsideret urbem, posuit Vriam in loco vbi sciebat viros esse fortissimos. 17. Egressique viri de ciuitate, bellabant aduersum Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias Hethæus. 18. Misit itaque Ioab, & nuntiauit Dauid omnia verba prælij: 19. Præcepitque nuntio, dicens: Cum compleueris vniuersos sermones belli ad regem, 20. si eum videris indignari, & dixerit: Quare accessistis ad murum, vt præliaremini? An ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur? 21. Quis percussit Abimelech filium Ierobaal? Nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes? Quare iuxta murum accessistis? dices: Etiam seruus tuus Vrias Hethæus occubuit. 22. Abiit ergo nuntius, & venit, & narrauit Dauid omnia quæ ei præceperat Ioab. 23. Et dixit nuntius ad Dauid: Præualuerunt aduersum nos viri: & egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persequuti eos sumus vsque ad portam ciuitatis. 24. Et direxerunt iacula sagittarij ad seruos tuos ex muro desuper: mortuique sunt de seruis regis, quin etiam seruus tuus Vrias Hethæus mortuus est. 25. Et dixit Dauid ad nuntium: Hæc dices Ioab: Non te frangat ista res: varius enim euentus est belli; nunc hunc, & nunc illum consumit gladius: conforta bellatores tuos aduersum urbem, vt destruas eam, & exhortare eos. 26. Audiuit autem vxor Vriæ, quod mortuus esset Vrias vir suus, & planxit eum. 27. Transacto autem luctu, misit Dauid, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei vxor, peperitque ei filium: & duplicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid, coram Domino.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 5.

Vulg. Factum est autem, verrente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israël, & vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: Dauid autem remansit in Ierusalem.

Pag. Et fuit in reuersione anni.

Mals. Et coangustauerunt super Rabah.

Sep. Rom. Ad tempus egressionis regum disperdiderunt.

Cald. Dauid sedebat in Ierusalem.

Arab. Quo tempore belligerari potest.

Ioseph. Vere ineunte.

Vulg. Dum hæc agerentur, accidit vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambulet in solario domus regie: viditque mulierem se lauante, ex aduerso

Jo super solarium suum: erat autem mulier pulchra valde.

Pag. Deambulabat super tectum domus regiae.

Arab. Et fuit ad tempus vesperæ, surrexit desuper cubili suo.

Calet. Bona aspectu valde.

Malu. Surrexit desuper cubationem suam, & ambulare se fecit, &c. & vira bonæ visionis valde.

Arab. Surgens è sedili suo conscendit superiora domus, vt deambulet super palatium suum.

Vulg. Misit ergo rex, & requisivit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, vxor Vriæ Hethæi.

Sept. Et dixit. Nonne hæc Bethsabee?

Reg. Et dixerunt.

Vulg. Missis itaque Dauid nuntiis, tulit eam: quæ cum esset ingressa ad eum, dormiuit cum ea, statimque sanctificata est ab immunditia sua.

Pag. Et ipsa purgabat se.

Arias. Cubuit cum ea.

Malu. Sanctificans sese à taminatione sua.

Syr. Postquam à menstruo se lauasset.

Arab. A pollutione sua.

Vulg. Et reuera est in domum suam concepto fœtu. Mitensque nuntiavit Dauid, & ait: Concepi.

Pag. Prægnans sum.

Malu. Grauida ego.

Sept. Rom. Ego quidem in ventre habeo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vertente anno. Ioseph. Vere ineunte. Quod idem est, nam annus vertens dicitur illud tempus, quod nouum annum inchoat: vnde cum anni principium apud Heb. esset Nisan, qui est Martius primus mensis, à quo incipit tempus vernum, hinc est quod vertens annus dicitur ver incipiens, à Iosepho. *Sub Meridiem*, Alij, *Sub tempus vespera*: id est, tempore Meridiano. Et *deambularet in solario*, Alij, *Supra tectum*. Vide Concord. v. 8. cap. 18. Deut. Sanctificata est ab immunditia sua. Alij, *Purgabat se*, secundum aliquos post concubitum cum Dauid, sed & Syr. & Arab. de menstrua purificatione intelligunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. V. 1. **F**actum. Hic consequenter ostenditur qualiter Dauid vixit insolenter propter quod fuit à Deo castigatus: vbi etiam ostenditur eius pœnitentia de peccatis, & patientia in aduersis. Primò igitur ostenditur peccasse per luxuriam. Secundò per negligentiam cap. 21. Tertio per superbiam c. 2. Circa primum ponitur primò culpæ perpetratio, secundò humilis recognitio c. 12. tertio pœnitentiam patientem toleratio c. 13. Circa primum describitur primò ipsius Dauid adulteratio: secundò quæritur facti celatio, ibi: *Misit autem Dauid*. Tertio præcipitur innocentis occisio, ibi: *Factum est*. Circa primum dicitur. *Factum*, scilicet in principio ætatis, quando terræ nascentia sunt in campis ad pabulum equorum.

Misit. Aliis enim procedentibus ad bellum remansit Dauid in Ierusalem quasi otiosus, propter quod fuit lapsus in adulterium: vnde dicit Ouidius poeta.

Otia si tollas periere cupidinis artes. Et Ecclesi. 33. *Multam malitiam docuit otiositas.*

MENOC. Vertente anno. Heb. reuertente, vt etiam Sep. *emr rēp rēp rēp rēp*, cum scilicet, vere nouo sol longiores dies faciens ad nos reuertitur.

Tempore, &c. Mense Martio, cum mitescit cæelum, & solum equitauri, reliquisque iumentis pabulum suppeditat, aliæque commoditates ad educendum ex hybernis militem inuitant.

Vastauerunt filios Ammon. Agris Ammonitarum vastitatem intulerunt.

Rabba. Metropolim Ammonitarum.

Remansit in Ierusalem. Neque enim diu extra regnum manere poterat in diurna ciuitatis illius obsidione.

TIRIVS. Vertente anno. Id est, exacto iam mensium circulo, in se ipsum recurrente anno, & nouum cursum inchoante: quod apud Heb. vti, & Astrologos, fiebat in æquinoctio verno, iuxta illud Exod. 12. *Mensis iste Nisan*. (qui nostro Martio & Aprili respondet) vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Vnde & Iosephus dicit, Iobum ineunte vere missum ad conficiendas illas reliquias Ammonitarum. Et tempus illud anni commodissimum est ad bella ordienda, & obsidiones vrgendas, quæ subinde in multos menses protrahi solent.

LYRAN. V. 2. Viditque mulierem. Ex quo patet quod aspectus impudicus est valde periculosus, quia Dauid tam sanctus, & bonus per hoc fuit tractus in adulterium, & ex consequenti ad homicidium proditoriè procuratum, vt ex sequentibus patebit.

ESTIUS. Accidit vt surgeret Dauid de strato suo post Meridiem, &c. Non temere est, quod scriptura nobis tam exactè, & accuratè, etiam adiectis minutis circumstantiis, ante o-

culos ponat geminum peccatum Dauidis, adulterium & homicidium, de quo ita Gregorius. Ad hoc, inquit, inscriptura Dauid, & Petri peccata sunt indicata, vt ruina maiorum sit cautela minorum, vt nemo suæ iustitiæ confidat, videns illos de tam alto iustitiæ gradu decidisse, sed vicissim eorum pœnitentiam nobis insinuat, vt nemo quantuscumque peccator veniam desperet. Ita ille. Nec sine causa de Dauid ita loquitur. Nam præter adulterium, non solum homicidium, sed etiam plura homicidia commisit, nempe eorum etiam omnium, quos cum Vriæ telis filiorum Ammon obiecit, de quibus ita scriptura. *Et ceciderunt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrius Hethæus.*

Dum hæc agerentur. In castris apud Ammonitas.

MENOC.

Surgeret de strato suo post Meridiem. Vbi se à prandio quieti dederat.

B In solario domus regie. Supra palatii tectum, quod de more regionis planum erat, & peribolo cinctum, vt in eo deambulare liceret.

Mulierem se lauante. Vel ad naturalem corporis, vel legalem immunditiam abstergendam, vel vt se à calore, cum tempus esset æstiuum, refrigeraret.

Viditque ex aduerso super solarium suum. Sententia est, Dauid existens super solarium suum, vidit mulierem se lauante, vidit autem per fenestram domus mulieris, si se abluabat in cubiculo: vel ad fontem, si vt Susanna, se lauabat. Hunc sensum faciunt Heb. in quibus est, *Vidit desuper tecto*, vel *de solario*, vt etiam LXX. habent.

Misit. Ad hoc enim quæsiuit, vt sciret si esset soluta, vt sic eam acciperet in vxorem, & licitè cognosceret eam: inualefcente tamen tentatione, sciens quod esset maritata, nihilominus mandauit pro ea adducenda, & commisit adulterium.

LYRAN.

V. 3.

Bethsabee filia Eliam. Hunc autem Eliam fuisse filium Achitophel, discimus infra ex cap. 23. huius lib. num. 34. idemque affirmat D. Hier. in traditionibus, & alij lib. 1. Par. c. 3. n. 5. Bethsabee dicitur filia Ammiel, sed dicendum est eius parentem binomium fuisse, vel hæc duo nomina poni pro eodem, cum eandem habeant significationem, nam Ammiel significat, *populus meus Deus*, Eliam verbò, *Deus meus populus*.

Hethæi. D. Hier. in traditionibus in 1. Par. cap. 11. Vriæ, inquit, *Hethæus vir Bethsabee à loco qui vocatur Eth, E-thæus vocatus est*. Porro Eth, Adrichomius in tribu Iuda n. 128. ad Hebronem collocat iuxta sepulchrum Abrahæ.

Vxor Vriæ Hethæi. Ex Heth oriundi, sed ad religionem Heb. traducti, atque vt apparet, in numerum Cerechi, & Phelethi, quæ regio satellitio erant, ob eximium robur

TIRIVS

ac fidem, adscripti. Vnde & domum habuit regio palatio vicinam: & iussus à Dauide, cum rediret à castris, captare delicias ex vxorio complexu, maluit officij potius sui, quàm voluptatis memor, ad portam domus regis cum reliquis regij corporis custodibus pernoctare. Porro Eliam patrem Bethsabee vxoris Vriæ, dicit S. Hieronymus ex traditione Hebræorum, fuisse filium Achitophel: & patet ex 2. Reg. 23. v. 34. & ea fortè de causa coniurauit hic postea cum Abfalomo contra Dauid, vt illatam nepti ac nepoti suo iniuriam vlcisceretur.

LYRAN. Statimque. Id est, à fluxu menstruorum: non quia tunc pateretur menstrua, quando Dauid eam cognouit, quia tunc mulieres sunt turpis coloris, & abominabiles ad actum carnalem: & de ipsa dicitur hic, quod erat pulchra valde: dicitur ergo tunc purgata à mensuris futuris vsque ad partum, quia in illo coitu concepit, vt patet in textu post conceptionem autem cessat fluxus menstruorum, quia sanguis ille cedit in formationem fœtus, & eius alimentum.

ESTIVS. Dormiuit cum ea, &c. Variè hæc sanctificatio exponitur. Heb. sic sonant: Ipsa autem sanctificauerat se ab immunditia sua. Et sic videretur hoc intelligi de sanctificatione, seu mundatione (idem enim hæc sunt sæpe apud Heb.) qua se corporaliter exactissimè mundasset, antequam ad regem accederet. Sed hunc sensum versio nostra difficulter admittit. Itaque alij intelligunt de sanctificatio-

ne, seu mundatione legali, quæ describitur Leu. cap. 15. v. 18. Quin etiam in Bibliis Sixtinis hic ipse locus in margine adscribitur.

Statimque sanctificata est ab immunditia sua. Id est, statim menstrua illa fluere desierunt, vt mulieribus accidit post conceptum fœtum, ideoque sublata immunditia legalis, qua menstruatæ laborabant in lege veteri Leu. 15. 19. Sep. habent, Et ea erat sanctificata ab immunditia sua, quasi dicerent, à menstruo purgata, ideoque apta ad conceptum.

Missis nuntiis tulit eam. Non vi aut armata manu, sed suasionem ac prece, qualibus ferè vtuntur quos cæcus stimulat amor. Atque ita, proh pudor! muliebri succumbit formæ, quem neque leo, neque vrsus, neque terror gigantei Goliath, neque mille tela frangere, aut domare poterant. Tantum est, oculos vel semel in fœminam lasciuus coniecisse. Allegorias, & moralia huius loci vide apud S. Ambrosium, Gregorium, Rupertum, Isidorum, Dionysium, & Angelomum.

Statimque, &c. Id est, ex eo tempore non est amplius passus de more menstrua: seu purificata est à sanguine menstruo, qui fœtu iam in vtero concepto cessat infallibiliter: vnde & imprægnationis certum est signum. Ideoque mittit statim ad Dauid, dicens, Concepti, vide consulas, & nomini tuo, & saluti meæ.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 6. ad II.

Vulg. Misit autem Dauid ad Ioab, dicens: Mitte ad me Vriam Hethæum. Misitque Ioab Vriam ad Dauid.

Vulg. Et venit Vriam ad Dauid. Quæsiuitque Dauid quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum.

Arias. Interrogauit Dauid ad pacem Ioab, ad pacem populi, & ad pacem belli.

Sep. Reg. Si valeret Ioab, si valeret populus, si valeret bellum.

Cald. De pace gerentium bellum.

Vulg. Et dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egressus est Vriam de domo regis, sequutusque est eum cibus regius.

Arias. Et egressum post eum regis ferculum

Malu. Exiuit post eum leuanda regis.

Sep. Rom. Demensum regis.

Reg. Portio regis.

Syr. Munus regis.

Vulg. Dormiuit autem Vriam ante portam domus regis, cum aliis seruis Domini sui, & non descendit ad domum suam.

mum suam.

Malu. Cubauit, &c. ad omnes seruos sustentatorum suorum.

Vulg. Nuntiatumque est Dauid à dicentibus: Non iuit Vriam in domum suam. Et ait ad Vriam: Numquid non de via venisti? Quare non descendisti in domum tuam?

Malu. Quid cognitionis, non descendisti? &c.

Vulg. Et ait Vriam ad Dauid: Arca Dei, & Israël, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.

Pag. Manet in tabernaculis, &c. & serui tui manent in superficie agri, & per vitam tuam, & vitam animæ tuæ.

Arias. In operimentis.

Malu. In absconsionibus.

Sep. Rom. Viuit anima tua si faciam verbum hoc.

Cald. In vmbaculis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Sequutus est eum cibus regius, Alij, Regis ferculum, munus, &c. Sed eadem voce Heb. intelligitur ferculum, cibus, munus, quod ad eum, seu fauoris, & benevolentis signum efferebatur. Dormiuit, Alij, Cubauit: quasi excubias acturus. Quare non descendisti? Malu. Quid cognitionis non descendisti? Id est, inquit, Cur causæ? In papilionibus, Alij, Tabernaculis, operimentis, &c. בסוכות bassucoth, proprie operimenta, latibula, absconsoria significat, & subsequenter papiliones, tentoria, tuguria.

ANNOTATIONES.

LYRAN. Misit. Hic consequenter quæritur cælatio facti, cum dicitur.

ψ. 6.

Mitte. Ad hoc enim pro ipso mandabat, vt vxorem suam cognosceret, & sic crederetur puer nasciturus esse suus, & sic peccatum Dauid occultaretur: & mulier à lapidatione quæ secundum legem ei debebatur, præseruaretur.

MENOC. Mitte Excogitatum remedium occultando crimini, nam si reuersus Vriam vxorem cognouisset, natum infantem suum credidisset.

LYRAN. Quæsiuitque. Hoc quæsiuit, vt statum sui exercitij sciret, & Vriam causam sui aduentus non perciperet.

ψ. 7.

LYRAN. Vade. Id est, vt in balneo propter fatigationem laboris præcedentis. Et per lotionem pedum designatur ablutio

ψ. 8.

totius corporis intelligendo à parte totum.

Secutusque. Vt sic per balneum, & cibum delicatum prouocaretur ad coitum. Cætera patent vsque ibi.

Laua pedes tuos. Solebant enim lauare pedes iis, qui exitinere veniebant.

Secutusque. Specie quidem in signum benevolentis, re autem ipsa vt hilarius, & lautius cibo potuque regio exceptus, ad voluptatem alliceretur, vt Abulensis, & Glossa notarunt.

Numquid. Quasi dicat, in exercitu fuisti in labore, & si militer in via veniendo inde: & ideo indiges recreatione.

Nuntiatum est, &c. Id est, respondentibus, id enim sine dubio quæsierat Dauid.

Numquid

Nunquid non de via venisti? Quasi dicat, par est ut tibi aliquid indulgeas, & corpus cures, cum longum iter confeceris. Adrichomius ait, Rabbam, ex qua venerat Vrias, à Ierusalem itinere triginta horarum distare.

Et ait Vrias. Se excusando valde fideliter.

Arca. Quia tunc erat portata ad exercitum, sicut fuerat tempore Saül, prout habetur supra libro 1. cap. 14. ad dandum confidentiam bellatoribus. Cætera patent vsque ibi.

Arca Dei. Ex hoc perspicuum est Arcam Dei de Sion in castra fuisse delatam, ut in aliis quoque bellis factitarum fuisse vidimus supra. Ideoque, & ibi adfuisse Abiathar Pontificem, aut certè sacerdotes, qui illi adessent, eamque pro officio custodirent.

Per salutem, &c. Non est duplex iuramentum, sed repetitio eiusdem rei, idem enim est per salutem animæ tuæ, quod per salutem tuam.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 12. ad 18.

Vulg. Ait ergo Dauid ad Vriam: Manè hinc etiam hodie, & cras dimittam te. Mansit Vrias in Ierusalem in die illa & altera.

Vulg. Et vocauit eum Dauid ut comederet coram se, & biberet, & inebriauit eum: qui egressus vespere, dormiuit in strato suo, cum seruis Domini sui, & in domum suam non descendit.

Arias. Ad iacendum in cubili suo.

Malu. In cubatione sua cum seruis sustentatorum suorum.

Vulg. Factum est ergo manè, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab: misitque per manum Vriæ.

Sep. Rom. Scripsit libellum.

Vulg. Scribens in epistola: Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium: & derelinquite eum, ut percussus intreat.

Pag. E regione prælij fortis, & reuertimini ab eo.

Arias. A posterioribus eius.

Malu. E regione facierum cæisionis obtentæ.

Sep. Rom. Induc ex aduerso prælij validi, &c. à tergo eius Arab. Cumque mixtus fuerit conflictus.

Vulg. Igitur cum Ioab obsideret urbem, posuit Vriam in loco, vbi sciebat viros esse fortissimos.

Pag. Cum obseruaret ciuitatem.

Arias. Viri virtutis ibi.

Caiet. Et fuit custodiende Ioab ciuitatem.

Malu. Cognouit, quia homines strenuitatis.

Arab. Cum castrametatus esset, & posuisset inter viros heroas.

Vulg. Egressique viri de ciuitate, bellabant aduersum Ioab, & ceciderunt de populo seruatorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias Hethæus.

Sep. Ceciderunt de populo de seruis Dauid.

Vulg. Misit itaque Ioab, & nuntiauit Dauid omnia verba prælij.

Sep. Rom. Prælij, ad loquendum ad regem.

Cald. Omnia negotia belli.

Arab. Omnem euentum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

EX aduerso belli, vbi fortissimum est prælium, Alij, E regione prælij fortis. Id est, obiciete eum militibus acerrimè pugnantibus. Cum Ioab obsideret urbem, Alij, Obseruaret, custodiret: Quæ verba, & ad obsidionem referri possunt, ut cum Vulg. referunt Pag. & Cald. & ad tempus quod captabat ad mandatum exequendum de Vria obiciendo periculo, ut alij intelligunt. Et ceciderunt de populo seruatorum Dei, Alij, Ceciderunt de populo, & de seruis Dauid. Mihi videtur velle dicere nedum de vulgo militum, sed & de præcipuis famulis, ac primoribus viris cecidisse non paucos.

ANNO TATIŌNES.

ET vocauit, &c. Faciens sibi propinari latenter potum inebriatiuum, credens quod per hoc daret obliuioni Arcam, & exercitum, & sic vino calefactus cum vxore sua dormiret: per hoc tamen non fuit deceptus. Et sic patet bonitas, & perfectio ipsius, qui pro reuerentia Dei, & afflictione populi existentis in expeditione, etiam à licitis abstinebat, & ex hoc patet grauitas peccati Dauid, qui militem tam fidelem, & probum non horruit occidere proditoriè.

Et inebriauit eum. Ecce & aliud graue peccatum Dauidis. Quantum enim in se fuit, Vriam inebriate conatus est vsque ad rationis deliquium, ut faceret cum dormire cum vxore, quo lateret adulterium. Noranda est etiam sobrietas Vriæ, qui non est passus se ingurgitari, nec ad vxorem accessit honestis illis de causis, quas allegat, etiam si ex vino factus esset hilarior.

Factum ergo est. Hic consequenter describitur innocentis occisio, cum dicitur.

Ponite Vriam. Id est, vbi aduersarij sunt fortes, & audaces.

Et derelinquite eum. Retrahendo vos ab ipso.

Ut percussus, &c. Sciebat enim eum esse constantem, & quod non turpiter recederet, sed magis mori eligeret.

Ponite Vriam, &c. Quasi magnum aliquod in Vria deprehendisset flagitium, quod tali mortis genere expiari deberet, iubet Dauid illum hostibus obici, & à suis perfidiose deseri. En nouam iniuriam: nam non contentus ab-

stulisse vxorem per adulterium, deinde, & mentem per inebriationem: nunc etiam honorem innocenti adimit, quasi in maximo crimine deprehenso. Mox eundem vitam quoque spoliari curat. Et nouo miseræ genere, vult ipsummet suæ sibi necis cooperatorem esse, dum propriis litteris, quas ad Ioabum defert, seipsum in insidias, in laqueos, in enses hostiles inducit. Putat Sanctius, fabulam de litteris Bellerophontis, quibus quasi commendatitiis à rege Præto ad Iobatan acceptis, simili modo in mortem præcipitatus est, ab Vriæ historia principium duxisse. Iobatas enim non procul distidet à Ioab: neque infrequens est, Poëtas in suis fabulis veras, imo canonicas historias includere, ut in diluuiio, in Samsone, & aliis vidimus, & Clemens Alexandrinus pluribus demonstrat.

Igitur cum, &c. Credebat enim, quod regem offenderet, faciens aliquid vnde dignus esset morte, & quod Dauid hunc modum moriendi decreuisset ad celandum culpam Vriæ.

Posuit Vriam vbi sciebat viros esse fortissimos, &c. Paruit Ioab existimans Vriam scelus aliquod contra regem admisisse, ideoque mortem esse commeritum; velle tamen regem in eum ita animaduertere, ut simul eius honori parceret.

Et ceciderunt. Ex quo aggrauatum fuit ipsius peccatum, quia occasione illius quem volebat mori, fuerunt etiam alij interfecti.

Vulg. Præcepitque nuntio, dicens: Cum compleueris vniuersos sermones belli ad regem.
Arias. Secundum consummare te omnia verba.
Vulg. Si eum videris indignari, & dixerit: Quare accessistis ad murum, vt præliaremini? An ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur?
Pag. Si ascenderit furor regis, &c. nonne scitis quod proiciunt è muro?
Malu. Quid cognitionis accessistis ad urbem ad cedere?
Sep. Quia sagittabant de muro.
Vulg. Quis percussit Abimelec filium Terobaal? Nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes? Quare iuxta murum accessistis? Dices: etiam seruus tuus Vrius Hethæus occubuit.
Arias. Fragmen catilli.
Malu. Curtus.
Cald. Partem superioris molæ.
Vulg. Abiit ergo nuntius, & venit, & narrauit Dauid omnia quæ ei præceperat Ioab.
Vulg. Et dixit nuntius ad Dauid: Præualuerunt aduersum nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persequuti eos sumus vsque ad portam ciuitatis.
Pag. Et fuimus contra eos ad ostium portæ.
Cald. Propulsauimus eos.
Vulg. Et direxerunt iacula sagittarij ad seruos tuos, ex muro desuper: mortuique sunt de seruis regis, quin etiam seruus tuus Vrius Hethæus mortuus est.

Pag. Iecerunt iaculatores.
Sep. Sagittauerunt sagittantes.
Vulg. Et dixit Dauid ad nuntium: Hæc dices Ioab: Non te frangat ista res: varius enim euentus est belli; nunc hunc, & nunc illum consumit gladius: conforta bellatores tuos aduersus urbem, vt destruas eam, & exhortare eos.
Pag. Ne displiceat in oculis tuis hoc, &c. robora bellum tuum contra urbem, &c. & conforta eam.
Calet. Vorabit gladius.
Malu. Obtine cætionem tuam ad urbem, & dirue eam, & obtine eam.
Sep. Rom. Quoniam interdum sic quidem, & interdum sic comedet gladius: fac inualefcere prælium in ciuitatem, & conforta eam. *Ita & Cald.*
Reg. Conforta bellum tuum aduersus urbem, &c. & fortifica eam. *Cald.* Eam.
Syr. Eamque captam subuerte.
Vulg. Audiuit autem vxor Vriæ, quod mortuus esset Vrius vir suus, & planxit eum.
Vulg. Transacto autem luctu, misit Dauid, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei vxor, peperitque ei filium: & displicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid, coram Domino.
Pag. Collegit eam in domum suam.
Sep. Conduxit ipsam.
Arab. Displicuit facinus, quod commisit Dauid.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Filius Ierobaal, Alij, *Ierubesh.* Id est, Gedeonis, qui Ierubahal Iud. 6. v. 32. vocatur. *Varius est belli euentus.* In alijs hæc non habentur, sed in subsequentijs exprimuntur. *Nunc hunc, nunc illum consumit gladius.* Exhortare eum, Alij, *Conforta, corrobora eos.* *Eum,* id est, exercitum: *Eos,* id est milites, vt non despondeant animo propter aliquos telis confixos ab aduersarijs. *Sep.* legunt *eum,* *Cald.* *Eam.* Sed illud relatiuum referendum ad ciuitatem, scilicet postquam eam viceperis, firmo eam præsidio robora.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **S**i eum videris. Propter interfectionem populi.
Ÿ. 20. *Et dixerit.* Quia ex illa parte, personæ etiam inualidæ possunt homines fortissimos interficere, quod patet per exemplum.
MENOC. *Quare accessistis, &c.* Ex hoc apparet Vriam iuxta murum Rabba occubuisse.
LYRAN. *Nonne mulier, &c.* Hoc dixit Ioab, ad sui excusationem erga Dauid, vt Dauid cognosceret, quod Ioab non fecerat illum insultum ex ignorantia artis bellicæ, sed vt impleret mandatum regis. Cætera patent vsque ibi.
MENOC. *Quis percussit, &c.* Vide Iud. 9. 50. & ibi dicta.
Etiam seruus tuus Vrius, &c. Iubet Ioab narrare regi irascenti mortem Vriæ, vt commemoratione rei optatæ, eius indignationem leniret.
TIRINVS *Filius Ierobaal.* Id est Gedeonis. Historiam hanc vide Iudic. 9.
LYRAN. *Non te frangat.* Ab obsidione ciuitatis recedendo.
Ÿ. 25. *Varius enim, &c.* Quasi dicat, si fortuna nunc fuit contra te, erit postea pro te.
MENOC. *Non te frangat.* Eminent in his verbis animi malè voti compositis latitia, facilè cladem suorum ferentis, cum etiam Vriam cecidisse cognoscit.
LYRAN. *Audiuit autem, &c.* Fictè tamen, & secundùm apparentiam: quia benè volebat eius mortem, vt per hoc lapidationem euaderet, & vxor regis fieret, & ad istam intentionem procurauerat Dauid mortem suam. Ad cuius

A intellectum pleniorẽ, sciendum, quod hîc dicit Ra. Sa. quod viri procedentes ad bellum dabant vxoribus suis libellum separationis, vt liberè possent contrahere si viri in prælio morerentur: & computabatur tempus à die dationis libelli, & idẽ vxor Vriæ conceperat post recessum mariti sui, ideo ipso mortuo euadebat pœnam lapidationis.
Planxit eum. Quanto tempore, facer textus non exprimit. *Calet.* putat fuisse diuturnum luctum more nobilium matronarum. Abulensis in hoc c. q. 21. septem dies, aut paulo plus luxisse existimat, quod videtur probabilius, quia hoc faciebat ad occultandum adulterium suum. Adde per vnus hebdomadæ spatium Hebræos solitos fuisse lugere mortuos, nam vt habemus in Eccl. c. 22. *Luctus mortui septem dies.*
Transactoque, &c. Hoc est tempore determinato lugendi, quia post mortem virorum vxores eorum per aliquod tempus portabant vestes lugubres: & istud tempus vocabatur tempus luctus.
Displicuit, &c. Non quod vxorem Bethsabeam duxisset, aut in domum suam induxisset, nulla enim lege hoc face-re vetabatur, & alioqui hac ratione famæ illius, quæ lapidationis rea erat, consulebat: sed displicuit Deo adulterium, & Vriæ cædes inde profecta, nisi fortassè dicamus displicuisse Deo venereum Dauidis affectum in Bethsabeam, quo potius ductus est cum eam sibi adiunxit vxorem, quàm amore prolis.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS.

PArabola ouicula correptus à Propheta Nathan rex David, culpam suam agnoscit, & veniam obtinet; pœnis tamen acerbis plectendus. Mortuo mox puero, Salomon ex eadem matre nascitur. Rabba expugnatur, & diruitur, in Ammonitas crudeliter sauitur.

Misit ergo Dominus Nathan ad David: qui cum venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper. 2. Diues habebat oues, & boues plurimos valdè. 3. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnã paruulã, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia. 4. Cum autem peregrinus quidam venisset ad diuitem, parcens ille fumere de ouibus, & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini qui venerat ad se. 5. Iratus autem indignatione David aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus: quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. 6. Ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud, & non pepercerit. 7. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir; Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego vnxi te in regem super Israël, & ego erui te de manu Saül, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum in Israël & Iuda: & si parua sunt ista, adiciam tibi multo maiora. 9. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. 10. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. 11. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius. 12. Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis. 13. Et dixit David ad Nathan: Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad David. Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. 14. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. 15. Et reuersus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus paruulum, quem pepererat vxor Vriæ David, & desperatus est. 16. Deprecatusque est David Dominum pro paruulo: & ieiunauit David ieiunio, & ingressus seorsum, iacuit super terram. 17. Venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum vt surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum. 18. Accidit autem die septima vt moreretur infans: timueruntque serui David nuntiare ei quod mortuus esset paruulus, dixerunt enim: Ecce cum paruulus adhuc viueret, loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram: quanto magis si dixerimus, mortuus est puer, se affliget? 19. Cum ergo David vidisset seruos suos mussitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus: Dixitque ad seruos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est. 20. Surrexit ergo David de terra: & lotus vinctusque est: cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini: & adorauit, & venit in domum suam, petiuitque vt ponerent ei panem, & comedit. 21. Dixerunt autem ei serui sui. Quis est sermo, quem fecisti? Propter infantem, cum adhuc viueret, ieiunasti, & flebas: mortuo autem puero, surrexisti, & comedisti panem. 22. Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viueret, ieiunavi, & fleui, dicebam enim: Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans? 23. Nunc autem, quia mortuus est, quare ieiunem? Numquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille verò non reuertetur ad me. 24. Et consolatus est David Bethsabee vxorem suam, ingressusque ad eam, dormiuit cum ea: quæ genuit filium, & vocauit nomèn eius Salomon, & dominus dilexit eum. 25. Misitque in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus. 26. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam. 27. Misitque Ioab nuntios ad David, dicens: Dimicauit aduersum Rabbath, & capienda est Vrbsaquarum. 28. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne, cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria. 29. Congregauit itaque David omnem populum, & profectus est aduersum Rabbath: cumque dimicasset, cepit eam. 30. Et tulit diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput David. 31. Sed & prædam ciuitatis asportauit multam valdè. 32. Populum quoque eius adducens ferrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta: diuisitque cultris, & traduxit in typo laterum: sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon. 31. Et reuersus est David, & omnis exercitus in Ierusalem.

Vulg. Misit ergo Dominus Nathan ad Dauid: qui cum venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper.
Vulg. Diues habebat oues, & boues plurimos valde.
Arias. Erat pecus, & bos multum.
Sep. Rom. Erant greges, & armenta bouum multa.
Vulg. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnã paruulã, quã emerat, & nutrierat, & quã creuerat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.
Pag. De buccella eius comedeat.
Arias. Et pauperi non omne, quin imò agna vna, & quam viuificauerat, & grandis euaserat.
Malu. De fragmento eius comedet.
Sep. Rom. Et seruauerat, & creuerat cum eo.
Vulg. Cum autem peregrinus quidam venisset ad diuitem, parcens ille sumere de ouibus, & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini qui venerat ad se.
Pag. Venit victor.
Malu. Ambulator, &c. ad facere venienti ei, commise-

ratione motus fuit accipere de oue sua, &c. fecit eam viro venienti ad eum.
Sep. Rom. Ad faciendum hospiti viatori.
Reg. Et immolauit eam.
Vulg. Iratus autem indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc.
Malu. Exarsit nasus Dauidis in viro valde.
Cald. Quod vir obligatus occisioni.
Arab. Dignus est morte.
Vulg. Quem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud, & non pepererit.
Pag. Agnam restituet bis quadruplicatam.
Arias. Quadruplo, mercede.
Caier. Quia non misertus est.
Malu. Agnam pacificabit bis quatuor finaliter, &c. & super quod non commiseratione motus fuit.
Sep. Rom. Agnam reddet in septuplum.
Reg. vt Vulg.
Cald. Reddet super vnã quatuor, eò quòd non abstulit.
Syr. Pro ouicula vna restituet quatuor.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cum peregrinus quidam venisset, Alij, Viator. Ab הלך quod est deambulare. Vt exhiberet conuiuium, Alij, Vt faceret, scilicet ouem, sed facere idem hic quod parare. Ioan. 13. Cœna facta, id est, parata. Ouem reddet in quadruplum, Alij, Restituet bis quadruplicatam. Pacificabit bis quatuor. Hoc est, pro vna reddet octo: quatuor ex præscripto legis, Exod. 22. & alias quatuor ob indignitatem facti maiorem, quia pauperi abstulit quod sibi vnicum, & charissimum, sed vox ארבעה ארבעה *arbaghataim*, non accipienda est pro bis quadruplo, licet sit in duali, sed pro quatuor, vt distincte intellexerunt Syr. & Arab. Sep. Rom. habent, *Septuplum*. Sed Reg. & Compl. sicut Vulg. *Filius mortis est*. Explicat Arab. *Dignus est morte*.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **M**isit ergo Dominus, &c. Hic consequenter describitur humilis recognitio peccati. Et primò ponitur peccati reprehensio, secundò reprehensi humilis confessio, ibi: *Et dixit Dauid ad Nathan*. Prima in duas, quia primò in reprehensione Dauid parabola proponitur, secundò exponitur, ibi: *Dixit autem Nathan*. Circa primum dicitur.
Duo viri erant. Scilicet Dauid, & Vrias.
- ESTIVS.** **M**isit ergo, &c. D. Augustinus duobus locis, nempe lib. 2. de consensu Euang. c. 4. & serm. 63. de diuersis, dicere visus fuerat, hunc Nathan Prophetam, esse filium Dauidis, itidem Nathan vocatum, vt patet supra c. 5. & Luc. 3. Sed exponit seipsum Augustinus retractat. lib. 83. quæst. 9. 61. Cum enim de consensu Euangelistarum dixisset: Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per quem prophetam Deus peccatum illius expiauit. Et similiter ferè serm. 63. de diuersis, exponit hoc postremo loco nempe quæst. illa 61. hoc modo; *per quem*, id est, per cuius nominis prophetam, Deus peccatum illius expiauit.
- MENOC.** **Duo viri erant**, &c. Quatuor hisce primis versiculis parabola narratur, cuius scopus eo dirigitur, vt Dauidi ponatur ob oculos iniuria, quam Vriæ fecit, eius tollendo vxorem vnica quam habebat, cum ille multas haberet. Particulas singulas parabolæ, Dauidis facto accommodare velle, inutile est; multa enim in parabolis adduntur quæ decoro & probabilitati narrationis tantum seruiunt.
- LYRAN.** **Pauper autem**, &c. Id est, vxorem vnica. Dauid autem habebat plures, vt patet ex suprascriptis.
Quam emerat. Dando pro ea dotem.
Et nutrierat. Qui acceperat eam paruulã.
De pane illius. Quia communicabat cum eo in cibo, & lecto.
- LYRAN.** **Cum autem**. Id est, diabolus, qui alienatus est à commu-
- A**nitate ciuium caelestium per obstinationem in peccato, cui Dauid fecit conuiuium per consensum in adulterium, & homicidium in opus deductum: quia diabolus in talibus delectatur. Salem autem parabolam proposuit Nathan ipsi Dauid, vt ignorans seipsum condemnaret, & sic frontem non haberet defendendi peccatum suum. Ideo subditur sententia Dauid.
Peregrinus hospes, cui Dauid comedendam obtulit alienam ouiculam, fuit libido, & pruriens appetitus intemperantis concupiscentiæ. Hunc hospitem diabolus ad Dauidem misit cum mandatis, ne alius quàm furtiuæ veneris, & à lege atque pudore naturali prohibitis ferculis se finiret saturati.
Filius mortis est, &c. Id est, dignus morte propter horrorem.
Filius mortis. Mortis reus, est Heb. Hoc tamen Dauidis dictum hyperbolem continet, vt docet Abulensis, & Caier. neque enim diuina lex Exod. 22. i. furem morte afficit, sed furem ouis multat pœna quadrupli, vt scilicet pro vna quatuor reddat.
Ouem reddet, &c. Hoc sententiauit secundùm legem, quæ habetur Exod. 22. scilicet, quod pro furto ouis reddatur quadruplum, & sic factum ei est, quia pro morte Vriæ mortui sunt quatuor filij eius, scilicet, primus filius Bersabee, Absalon, Ammon, & Adonias, vt habetur ex sequentibus.
Ouem reddet in quadruplum. Hoc passus est Dauid, cui pro vnus Vriæ morte quatuor filij mortui sunt. Primus fuit filius adulterinus hoc c. n. 15. Alter Ammon quem Absalon interfecit; Tertius Absalon, qui à Ioab occisus est; Quartus Adonias, quem frater eius Salomon iussit interfici. Adde pro corrupta vna Bethsabea permisisse Dominum, vt decem eius concubinae à filio ipsius nefarie, publiceque polluerentur.

VARIETAS LECTIONVM à Verf. 7. ad 12.

Vulg. Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego vixi te in regem super Israël, & ego erui te de manu Saül.
Sep. Tu es vir qui fecisti hoc.
Vulg. Et dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israël & Iuda: & si parua sunt ista, adiciam tibi multo maiora.
Pag. Adiciam tibi similia, & similia.
Arias. Sicut illa, & sicut illa.
Malu. Dedi domum sustentatorum tuorum, &c. & addidi tibi secundum eas, & secundum eas.
Sept. Rom. Et si parum est, adiciam tibi secundum hæc.
Reg. Et si pauca tibi sunt.
Syr. Dedique tibi filios Israël & Iuda, quod si pauca erant, dixisses vtinam, & adiecisses tibi plures, pluresque.
Vulg. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon.

Malu. Quid cognitionis spreuisti?
Sep. Rom. Quid quod vilipendisti?
Vulg. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua.
Cald. Non desiciet gladius ab hominibus domus tuæ in sæculum.
Vulg. Itaque hæc ait Dominus: Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius.
Pag. Ecce ego consurgere facio.
Sept. Rom. Suscito super te mala.
Arab. Ac perniciem.
Vulg. Tu enim fecisti absconditè: Ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis.
Arab. At ego remunerabo te publicè coram omnibus Israël.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dedi tibi domum Israël & Iuda. *Syr.* Dedi tibi filias Israël. Sed nomine filiarum Israël intelligitur domus, filij enim domum paternam constituunt. *Et si parua sunt ista, &c.* Alij, *Quod si pauca erant, &c.* *Vulg.* illud pauca refert ad omnia præcedentia: *Syr.* autem ad proximum illud, nempe vxores. *In sempiternum, &c.* Alij, *In sæculum.* Et explicant quamdiu viues. Alij, *In sempiternum* volunt comminatoriè dictum: Nisi egeris penitentiam.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **D**ixit autem Nathan. Hic consequenter hæc parabola prædicta exponitur contra ipsum Dauid. Et patet sententia ex prædictis, paucis exceptis, quæ discurruntur. **LYRAN.** **Y. 10.**
- MENOC.** Tu es ille vir. Contra quem scilicet sententiam protulisti. **MENOC.**
- LYRAN.** Et vxores Domini. Licet non legatur, quod Dauid vxores Saülis acceperit, tamen Dominus tantam potestatem ei dedit, quod poterat accipere, & forsitan, aliquas accepit: quia nobiles erant, non enim omnia scripta sunt. **MENOC.**
- MENOC.** Vxores Domini tui in sinu tuo. Sententia est, dedisse Dominum in potestatem Dauidis omnia, quæ fuerunt Saülis, etiam vxores, vt illas etiam si vellet ducere posset nemine repugnante: quarum tamen nullam, quod sciamus, duxit Dauid. **LYRAN.** **Y. 11.**
- Si parua sunt ista, &c.* In Heb. textu Pag. habet. *Adiciam tibi similia, & similia.* **MENOC.**
- TIRINVS** Dedi tibi vxores, &c. Nempe Michol, Æglam, & Respham, quas Heb. iam viduas dicunt à Dauide acceptas in vxores. Sed hoc merito refutat Abulensis. Neque enim aliud hic significatur, quam, potestati Dauidis traditas illas Saülis viduas, vt quantumcumque vellet numerosum fœminarum gregem, ac quoque vellet sibi vxores deligere posset; vt opus non fuerit, ad misellam Bethabæe miselli Vriæ charissimam coniugem tam indignis modis, tam crudeli via defletere. **TIRINVS**
- Adiciam tibi multo maiora.* Verbi gratia, stabile in domo tua regium sceptrum: nasciturum ex te Messiam, &c. **TIRINVS**
- LYRAN.** Vriam Hethæum, &c. Quia & eius mandato factum fuit, vt patet ex prædictis: & ille facit rem cuius auctoritate fit. **TIRINVS**
- MENOC.** Contempsisti verbum Domini. Diuinam legem violasti. **TIRINVS**
- Percussisti.* Gladio scilicet filiorum Ammon, vt paulò post dicitur. **TIRINVS**
- A** *Quamobrem non recedet.* Quia frater occidit fratrem, sc. Absalon Ammon, vt habetur infra. c. seq. & Salomon Adoniam, vt habetur infra lib. 3. c. 2. Et filius insurrexit contra patrem, scilicet Absalon contra Dauid, vt habetur infra c. 15. Idèò subditur. **LYRAN.** **Y. 10.**
- Non recedet gladius de domo tua.* De cæde aliquot filiorum Dauid, vide dicta num. 6. Ex posteris etiam Dauidis multi, vt deinceps patebit ex sacra historia, gladio perierunt. **MENOC.**
- Et tuleris vxorem Vriæ Hethæi, &c.* Vide dicta superiori c. n. 27. **MENOC.**
- Ecce ego suscitabo.* Scilicet Absalon filium tuum, volentem inuadere regnum. **LYRAN.** **Y. 11.**
- Et dormiet, &c.* Id est, manifestè coram omnibus, prout habetur infra c. 15. **MENOC.**
- Suscitabo.* Suscitari, & existere permittam. **MENOC.**
- De domo tua.* Durum est quæcumque acerbam pati: durum, & supra modum acerbam à suis, sic idemmet Dauid in Psal. 54. 15. lamentabarur. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vsque, &c.* **MENOC.**
- In oculis tuis.* Non clam, sed palam, & nullo tui respectu. **TIRINVS**
- Proximo tuo.* Vinculo consanguinitatis, & eximij cuiusdam amoris. Absalonem enim filium mirum quantum dilexit Dauid. **TIRINVS**
- Tollam vxores tuas.* Nemo Dauidi propinquior, aut sanguine coniunctior fuit, quam genitus ex ipso Absalon, qui vt hic prædicatur, violauit paternum thalamum cum decem patris secundarias vxores, seu concubinas fœdissime constuprauit, infra c. 16. Idque in oculis solis, id est, ita palam, & apertè, vt nemo non aspicere potuerit. Tetendit enim Absalon tabernaculum in solario (eodem crediderim, ex quo lasciuus ante Dauid viderat Bethabæe se domi suæ lauante) ingressusque est in eodem solario Absalon *Ad concubinas patris sui, &c.* **TIRINVS**
- In conspectu solis huius.* Publicam insigam pœnam sceleris quod occultum esse voluisti. **TIRINVS**

Vulg. Et dixit Dauid ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris.

Pag. Transire peccatum tuum.

Malu. Erratum tuum.

Arab. Stultè ac turpiter egi, & peccatum designavi coram Domino, &c. iam tibi remissum, non morieris punitione.

Vulg. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.

Lyrano. Prouocare fecisti.

Pag. Quia contemendo contemnere fecisti.

Arias. Contemendo conuiciari fecisti.

Caiet. Quia irritando irritasti in re ista.

Malu. Incessus, quia incessere facere, incessere fecisti malevolente ihuh.

Sep. Rom. Quia prouocans prouocasti ad iram.

Cald. Quoniam aperiendo aperuisti os odientium populum Domini.

Syr. Quia Domini hostes per hanc actionem magnifica-

sti.

Arab. Quia facinus hoc perpetrasti, & occasionem tibi praeuisti.

Vulg. Et reuersus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus paruulum, quem pepererat vxor Vriae Dauid, & desperatus est.

Arias. Et doluit acerbe.

Caiet. Et aegrotauit.

Tigur. Ita vt de eo actum esset.

Malu. Consternauit natum.

Cald. Et debilitatus est.

Arab. Morbo oppressus est.

Vulg. Deprecatusque est Dauid Dominum pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum, iacuit super terram.

Pag. Et venit, & pernoctauit.

Caiet. Et veniet, & dormiet, & iacebit in terra.

Malu. Et quaesuit Dauid ad Elohim in vsque ad excusum.

Sep. Rom. Et mansit super terram.

Arab. Pernoxtauit ieiunus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti, Alij, Defectus conuiciando conuiciari fecisti, &c. Hebraismus elegans, in hoc etiam defecisti, peccasti, quia blasphemare fecisti, &c. Vide Concord. v. ii. c. 14. lib. Num. Circa notionem verbi נָסַח Nats. Syr. habet. Quia Domini hostes per hanc actionem magnificasti. Hic enim magnificatur, qui ab alio trophæum refert. Et desperatus est, Alij, Doluit acerbe, aegrotauit. Noster Vulg. optime expressit vim verbi נָסַח anasch. Desperatus est filius Bethabee, id est, actum est de eius incolunitate. Deprecatus est, Alij, Quaesuit Dominum, Hebraismus. Opem à Deo quaesuit. Et ingressus seorsum iacuit, Alij, Venit & pernoctauit, nempe ieiunus, & infomis.

ANNOTATIONES.

LYRANO. ET Dixit Dauid, &c. Hic consequenter ponitur ipsius Dauid humilis confessio, & pœnæ temperatio, & secundo humana consolatio, ibi: Et consolatus est. Tertio reaccipitur historiae narratio, ibi: Igitur pugnabat. Circa primùm dicitur. Et dixit Dauid, ore, & corde.

Peccavi Domino, &c. Non defendens peccatum suum, sed humiliter recognoscens, propter quod sequitur pœnæ temperatio, cùm dicitur.

Dominus quoque. Quantum ad culpam, remittendo propter pœnitentiam tuam, & quantum ad pœnam, temperando eam, quia licet sis homicida, & morte dignus tamen.

Non morieris. In propria persona, sed in filio tibi nato, cuius causa subditur.

ESTIVS. Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad Dauid Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris: Verumtamen, &c. Ex his verbis indubitè statuitur dogma illud Catholicum; quod remisso peccato, nihilominus communiter restet luenda pœna temporalis; qualis hic multiplex Dauidi indicitur. Verùm de qua morte illud intelligatur (non morieris) an de temporali, an de æterna, non æquè liquet. Lyranus intelligit de morte temporali, quasi dixerit Nathan: Tu ô Dauid, rectè iudicaueras, dicens: Filius mortis est ille, &c. Sed Dominus pro sua benignitate ignoscit tibi adulterium, & homicidium; ob quod merebaris corporaliter occidi, nequaquam ita occideris. Sed D. Aug. de morte æterna intelligit, & pulchrè explicat lib. 22. contra Faustum c. 67. quomodo remissa pœna æterna, maneat luenda temporalis. Ita quoque hunc locum accipit, & interpretatur Ambrosius in Apologia Dauid; ita tamen vt hic sit sensus: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, id est, Dominus iam certo constituit tibi remittere peccatum tuum, per sacrificia, ad hoc instituta, ita vt non moriaris æterna morte. Non rarum enim est apud Hebræos præteritum poni pro futuro, maximè apud prophetas, qui futura tanquam præsentia, aut præterita intuentur. Sunt tamen qui etiam intelligunt pœnitentiam Dauidis, & contritionem tantam fuisse, vt fuerit cū chari-

tate perfecta, & sic cum reconciliatione coniuncta: ita tamen vt inde non sequatur (quod volunt hæretici) contritione, absque ordine ad sacramentum confessionis remitti peccata.

Peccavi Domino. Idem quod Saül locutus est Dauid, sed diuerso animo, dolenti nimirum ob Deum offensum, cùm Saül non ob culpam doleret, sed ob pœnam.

Transtulit. Sustulit, dimisit, condonauit quoad culpam. In Heb. est. Transire, &c.

Non morieris. Vitæ securus redditur, poterat enim merito timere comminationem illam, Non recedet gladius de domo tua, &c.

Peccavi Domino. Quasi dicat: Peccavi, fateor, in Vriam, cuius & torum violauit, & necem procurauit: peccavi in socios Vriæ quos eadem cum ipso morte perfidiose sustuli: peccavi in Bethsabæe, quam ad fœdum adulterium pellexi, & extremæ infamiæ exposui: peccavi in populum, cui plurimùm exemplo malo nocui. Sed hæc omnia comparatione offensa Dei tam in me munifici, tam à me dilecti, quasi nihil pendo. Plus ergo me torquet, & animum exulcerat offensa Dei, quàm damna omnia, & infamia, & alia mala quæcumque ex meo peccato vel iam consecuta sunt, vel adhuc consecutura timentur. Et hoc est, quod in Psal. 50. (quem hoc tempore composuit, vt sicuti peccatum, ita & pœnitentia eius toti mundo innotesceret) clariùs affirmat, Tibi soli, &c. Quia comparatione offensionis diuinæ, offensiones alię alioqui grauissime, quasi nullæ existimantur.

Dominus quoque transtulit. Heb. Transire fecit à te. Id est, fecit ne subires, peccatum, id est, peccato tuo debitam pœnam, putà mortem corporalem pro expianda per talionem morte Vriæ, & tot aliorum innocentum iussu tuo cum ipso iugulatorum. Sed hanc pœnam, quia ferò te pœnitet, à capite tuo iam tollo: Non morieris, ita Abulensis, Lyranus, Caietanus, & Sanctius.

Quoniam, &c. Quia homines ignorantes, & mali, per hoc blasphemabant iudicia Dei, & occulta, dicentes eum iniuste egisse, reprobando Saül, & eligendo Dauid, qui satis peiora fecerat quàm Saül.

MENOC. *Blasphemare fecisti.* Deum scilicet, qui tam improbum A regem dederit.

TIRINVS *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini,* id est, qui de Deo, diuinaque prouidentia minùs pie sentiunt, minùs religiose loquuntur. Neque enim secretum esse poterat quod & nuntij & administri sceleris Dauidis, & tota familia Bethsabee, & Ioab; & ex hoc fors alij complures iam pridem compertum habebant. Hi ergo cum viderent à Dauide tam multa, tam scæda scelera impunè patrata, cum meminissent Saulis ob leuiora regno excussi, impiè iactabant vel acceptorem personarum esse Deum, vel humana negligere, vel non omnia videre, vel etiam scelera comprobare. His ergo blasphemis vt mature obuiem,

Filius qui natus est tibi ex adulterij complexu, morte morietur, & sic à iugulo tuo gladium depellam, vt tamen toti mundo constet, tua scelera non impunita mansisse, sublato è viuus pignore tibi longe carissimo.

Nota, quæcumque toto hoc capite de Nathan, de pœnitentia Dauidis, de morte infantuli, de ortu Salomonis dicuntur, accidisse multis mensibus post captam *Rabbath* regiam urbem Ammonitarum, quam v. 27. Ioab vocat urbem aquarum, quia vndique cinctæ ac munita erat aquis seu stagnantibus, seu iugiter manantibus. Hanc S. Hieronymus dicit suo tempore appellatam Philadelphiam. Reliqua huius capituli vide i. Paral. 20.

Percussitque Dominus. Infirmirate incurabili simpliciter per naturam, ideo subditur.

Et desperatus est. Scilicet Dauid, de sanatione pueri, per viam naturæ & artis medicinæ, quia tamen Deus poterat sanare, ideo subditur.

Percussit Dominus paruulum. Febri, aut alio languore corporis.

Deprecatusque est. &c. Quia nesciebat si verbum Domini de morte pueri fuisset dictum per sententiam diffinitiuam; quia tunc non orasset pro eius sanitate: aut per comminationem tantum, sicut Ionæ 3. dicitur: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* Quæ tamen non fuit subuersa, eo quod Niniuitæ egerunt pœnitentiam: propter hoc Dauid interrogatus de fletu pro puero quandiu viuebat, & consolatione sua ipso mortuo de quo mirabantur homines sui, vt patet in littera, respondit.

Deprecatus est Dauid Dominum, &c. Orat, ieiunat, humili cubat, &c. vt mortem à filio auertat, si forte prophætica denuntiatio conditionem habeat, & precum, & afflictionis corporis interuentu reuocabilis sit.

Dies septima. Ab ægitudine, septimus enim dies à medicis criticus appellatur, & grauius ægrotantibus periculosus est. Itaque cum septimus hic dies non sit à natiuitate numerandus, sed ab initio morbi, dicendum est infantulum ante mortem circumcissione fuisse consignatum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 23.

Vulg. Venerunt autem seniores domus eius cogentes eum, vt surgeret de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibum.

Malu. Surrexerunt senes, &c. Ad surgere facere eum, & non amauit, & non carpsit ad eos panem.

Arab. Non surrexit eorum precibus.

Vulg. Accidit autem die septima, vt moreretur Infans, timueruntque serui Dauid nuntiare ei, quod mortuus esset paruulus, dixerunt enim; Ecce cum paruulus adhuc viueret, loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram, quanto magis, si dixerimus, mortuus est puer, se affliget?

Pag. Et quomodo dicemus, &c. Vt faciat malum.

Sept. Et faciet mala.

Arab. Veremur, ne malum sibimet inferat.

Vulg. Cum ergo Dauid vidisset seruos suos mussitantes, intellexit, quod mortuus esset Infantulus, dixitque ad seruos suos, num mortuus est puer? qui responderunt ei, Mortuus est.

Lyran. Cum vidisset consulentes.

Cald. Suspiciatus est.

Syr. Cum vidisset susurrantes.

Vulg. Surrexit ergo Dauid de terra, & lotus, vinctusque est, cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini,

& adorauit, & venit in domum suam, petiuitque vt ponerent ei panem, & comedit.

Arias. Incuruauit se.

Malu. Procumbere se fecit.

Vulg. Dixerunt autem ei serui sui, quis est sermo quem fecisti propter Infantem? Cum adhuc viueret ieiunasti, & flebas, mortuo autem puero surrexisti & comedisti panem.

Pag. Quid est hoc quod fecisti?

Malu. In transitione nati viuentis lacrymauisti, &c.

Sept. Rom. Et bibisti.

Vulg. Qui ait, propter infantem, dum viueret, Ieiunasti, & fleui, dicebam enim quis scit si forte donet cum mihi Dominus, & viuat infans?

Pag. Si forte miseretur mihi Deus.

Malu. Gratificabit me Ihu.

Cald. Si forsitan misericordia erit super me.

Vulg. Nunc autem, quia mortuus est, quare ieiunem? nunquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me.

Malu. An potero ad reuertere facere eum adhuc? Ego ambulans ad eum.

Arab. At ipsum ad me redire impossibile est,

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

SE affliget. Alij, *Faciet malum.* Scilicet corpori suo, magis se affligendo. *Cum vidisset mussitantes.* Alij, *Consulentes, susurrantes.* Hebr. מלתחם *mithlachschim*, quod est participium Hithphahel, quod verbum לחם *lachsich* in ista formula tantum hic & Pl. 40. 8. legitur, vbi *Vulg.* susurrate vertit, & significat ad inuicem consulere, causam agitare. *Mussitare* dixit *Vulg.* id est vario murmure differentes, de morte Infantuli. *Si forte donet eum mihi Dominus.* *Pag.* si forte miseretur mihi Deus, restituens sanitati filium.

ANNOTATIONES:

MENOC. **Y. 20.** **I**ngressus est domum Domini. Potuit Dauid adire Domini tabernaculum, neque enim ex lectu erat immundus: contrahebatur enim immunditia non propter lacrymas, sed exeundo ad exequias, aut defuncti cubiculum ingreditendo.

MENOC. **Y. 21.** **Sermo.** Res.

Y. 21. **Dum enim adhuc viueret,** &c. Pro eius sanitate impetranda.

LYRAN. **Y. 22.** **Dicebam enim.** Id est, in corde meo cogitabam.

Tom. IV.

Quis scit si forte donet. Propter pœnitentiam & afflictionem meam.

Nunquid potero reuocare eum amplius? Nec de animo-immortalitate, nec de corporum resurrectione dubitabat Dauid, sed pro certo habebat Deum vitam non restitutum meum, pro quo ne moreretur tam feruenter orauerat. Adde quod nullum adhuc extabat exemplum mortui ad vitam viuientium precibus reuocati.

MENOC.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 24. ad 28.*

Vulg. Et consolatus est Dauid Bethabee vxorem suam, ingressusque ad eam, dormiuit cum ea, quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum.

Pag. Rem habuit cum ea.

Cald. Et Dominus miseratus est illius.

Vulg. Misitque in manu Nathan Prophetae, & vocauit nomen eius Amabilis Domino, eò quod diligeret eum, Dominus.

Pag. Nomen eius Iezediah.

Malu. In transitione Iuh.

Symm. Segregatus ad regnum.

Sept. Rom. Ieddedi, propter Dominum.

Aquila. In Domino.

Syr. Eo quod Dominus esset dilectus eius.

Vulg. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat urbem regiam.

Arias. Cepit urbem regni.

Sept. Et bellauit Ioab.

Vulg. Misitque Ioab nuntios ad Dauid dicens, dimicauit aduersum Rabbath, & capienda est vrbs aquarum.

Pag. Et etiam cepi urbem aquarum.

Cald. Et etiam subegi urbem regiam.

Vulg. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur.

Pag. Et vocetur nomen meum super eam.

Caiet. Ne quando capiam ciuitatem.

Tigur. Voceturque nomine meo.

Malu. Nunc collige superrelictionem populi, & deside super eam.

Cald. Ne fortè subigam ciuitatem.

Syr. Et prædicetur de ea nomen meum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Amabilis Domino. Alij, *Iezediah*, Id est, charus, dilectus, adamat. *Expugnabat urbem regiam*. Alij, *Cepit urbem regni*. Sed illud cepit, intelligendum est quod parum abfuit vt caperetur. *Et capienda est vrbs aquarum*. Alij, *Et cepi, subegi*, non quod ante aduentum Dauid eam ceperit, hoc enim reseruatum fuit Dauid. Ioab autem vastauit totam regionem circum circa, & multos ciuium Rabba occidit, ac tandem aduocato Dauide eam cepit. *Ne nomini meo adscribatur victoria*. Alij, *Et vocabitur nomen meum super eam*. Id est, ne vocer illius victor & triumphator.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **ET** consolatus est, &c. Hic consequenter ponitur ipsius Dauid aliqualis consolatio, eo quod Dominus peccatum suum remisit, quantum ad culpam, & temperauerat quantum ad pœnam, vt prædictum est, & ideo consequenter consolatus est Bethabee vxorem suam de morte pueri.
- Que genuit, &c.* Qui interpretatur pacificus, & hoc fuit ex ordinatione diuina, fuit enim ipsi Dauid reuelatum, quod post eum regnaret, & in tanta pace, quod templum Domini ædificaret sicut promissum fuerat Dauid à Domino supra 7. cap.
- Et Dominus, &c.* Dando sibi gratiam in sua iuuentute, quamuis errauerit in senectute. Vel dicitur quod dominus dilexit eum, eo quod dominus dedit sibi bona naturalia ex parte corporis & animæ.
- MENOC.** *Consolatus est Bethabee vxorem suam.* Non solum suadens vt in placito diuinæ voluntatis acquiesceret, sed etiam vt putant Pineda l. i. de Salomone cap. 6. & Salius, promissione regni in eum filium, qui ex illa nasceretur, transmittendi.
- Salomon, Id est, Pacificum,* ratio nominis habetur i. Paral. c. 22. 9. *Faciam, inquit, eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam Pacificus vocabitur, & pacem, & otium dabo in Israel omnibus diebus eius.*
- LYRAN.** *Misitque eum in manu, &c.* Vt per eum sanctæ nutrire- tur, & benè doceretur, vt sic postea ad regnum aptior effici- ceretur.
- A** *Misitque in manu Nathan propheta.* Dominus scilicet vt nomen infanti imponeret, Amabilis Domino. Hebr. *ידידיא Iedideiah.* Itaque Salomon binomius fuit, licet secundum hoc nomen hoc tantum loco referatur.
- Igitur pugnabat, &c.* Interposito peccato Dauid quantum ad adulterium & homicidium, hic reuertitur scriptura ad complendum historiam supra inchoatam 10. cap. de expugnatione filiorum Ammon, cum dicitur: *Igitur pugnabat*, quæ erat ciuitas principalis & regia, propter quod rex & bellatores sui posuerunt se in ea.
- Expugnabat.* Oppugnabat.
- Et capienda est.* Quia circa eam erant aquæ & paludes in quibus confidebant interiores. Sed his non obstantibus Ioab tantum fecerat, quod erat in proximo capienda.
- Vrbs aquarum.* Rabba, quæ dicta est vrbs aquarum, vel quod plurimis aquis, locisque palustribus cincta esset, indeoque vt munitissima, Ioabi conatus frustraretur, vt tradit Lyranus, & alij: vel quod torrens Iaboc eam circumflueret, vt tradit Serarius, & Adrichomius in Tribu Gad num. 23. & 37.
- Congrega reliquam.* Ex quo patet magna fidelitas ipsius Ioab erga Dauid; quia victoriam suo labore procuratam noluit sibi ascribi.
- Congrega reliquam partem populi.* Vt scilicet tibi cum nouis copiis superuenienti cedat decus vrbs captæ, quasi minori exercitu rege absente capi non potuerit.
- ME NOC.**
- LYRAN.** **ME NOC.**
- LYRAN.** **ME NOC.**
- LYRAN.** **ME NOC.**
- LYRAN.** **ME NOC.**

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 29. ad ultimum.*

Vulg. Congregauit itaque Dauid omnem populum, & profectus est aduersum Rabbath, cumque dimicasset, cepit eam.

Malu. Ambulauit in Rabah, & cæcidit in ea.

Cald. Subegit eam.

Vulg. Et tulit diadema Regis eorum de capite eius, pondus auri talentum habens gemmas præciosissimas, & impositum est super caput Dauid, sed & prædæ ciuitatis asportauit multam valde.

Lyrans. Tulit de capite Melchom.

Pag. Et lapis præciosus erat in eo.

Malu. Et libratio eius orbis auri.

Sept. Rom. non autem, Reg. habent ut est in Lyrano, De capite Melchom.

Cald. Pondus illius chichera auri.

Arab. Erat autem, &c. centum auri librarum.

Vulg. Populum quoque eius adducens ferrauit, & circumegit super eos fibrata carpenta, diuisitque cultris, & traduxit in Typo laterum, sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon, & reuersus est Dauid, & omnis exercitus in Ierusalem.

Pag. Posuit in Serra, & in trahis ferreis & in ferris ferreis,

& transfere fecit eos per fornacem.

Arius. In Malchem.

Caier. Posuit in planula, & in cuspidibus ferri, & in securibus ferri.

Malu. Posuit in tribulis ferri.

Alij. In lanceis ferri.

Cald. Ferravit illos in ferris, &c. Et lacerauit eos in plateis.

Syr. Iniecit in compedes, & in eatenas ferreas, transfere fecit eos per mensuram.

Arab. Transfere fecit eos ante conspectum suum stata quoque mensura.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

De capite Regis eorum. Alij, De capite Melchom, &c. Et est nomen Idoli, inquit Lyran. tamen Interpretatur Rex eorum, & sic Vulg. posuit translationem pro nomine. *Pondus auri talentum.* Arab. Erat 100: auri librarum. Idolo quidem potuit tam ingens pondus accommodari, humano autem capiti, vix, ac ne vix quidem, nisi ceremonia quadam ac ritu sublata ab aliis in caput Regis sustineretur corona. *Adducens ferravit.* Alij, *Posuit in ferram planula.* Plures volunt esse genus supplicij, quo homines fera dissecabantur. *Et circummegit super eos ferrata carpenta.* Alij, *Intrabis ferreis, tribulis, in cuspidibus ferri.* Hebr. est מרצים *charitzim*, quod variè redditur, vt vidimus. Alij vertunt, in rotis, rastris. *Diuisitque cultris.* Alij, *In securibus ferri, lanceis,* securi fuerunt percussi, & lanceis confossi. *Et traduxit in typo laterum.* Alij, *Transfere fecit eos per fornacem, in Malchem.* Gemina hîc lectio, altera in contextu מלכן *Malchen*, cum Caph, altera in margine מלבן *Malben*, cum Beth, quæ litteræ sunt simillimæ. Qui lectionem marginalem amplectuntur exponunt de camino, fornace, Alij potius amplectuntur lectionem textûs in Malchem, vel Molachem, quod erat Idolum ita dictum vbi Ammonitæ filios suos per ignem Molocho Deo suo transmittabant: sic ipsi in huiusmodi ignem proiecti sunt, vbi lateres coquebantur, & sic dixit Vulg. *in typo laterum.* Syr. autem & Cald. quid velint per mensuram, non satis capio.

ANNOTATIONES.

Et tulit diadema Regis, &c. Hoc est idoli ipsorum, qui vocabatur Melchom, & interpretatur rex eorum.

Et impositum. Primò tamen conflavit & purgavit metallum secundum purgationem legis, & postea fecit inde sibi diadema. Sed si hoc dicatur, videtur Dauid fecisse contra legem Deuteronom. 7. vbi dicitur: *Sculptilia eorum igne combures, & non concupisces aurum, & argentum de quibus facta sunt, &c.* Ad quod dicendum, quod istud præceptum intelligitur tantùm de ciuitatibus & populis, qui erant intra terminos terræ promissionis: quia de eis loquitur sicut patet ibidem, populus autem Ammonitarum non erat contentus intra terminos terræ promissionis.

Diadema Regis eorum de capite eius. Regem eorum appellat idolum Moloch, siue Melchom, quæ vox interpretata Regem eorum sonat. Ita hunc locum interpretantur S. Hier & Pineda, ac Villalpandus ex recentioribus, & alij apud Salianum, licet non desint, qui non de idolo, sed de rege intelligant.

Impositum est super caput Dauid. Deuteronom. 7. 25. lex est, *sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam ne offendas, &c.* Aliqui Dauidem excusant à peccato contra legem hanc, quod ea de idolis tantum Chananæorum accipienda esset: alij quod de ipsis idolis, non de eorum ornamentis, coronis, torquibus, &c.

Populum, &c. Quod non est intelligendum de toto populo Ammonitarum, sed de illis solum, qui consilium dederant, quod fieret vituperium nuntiis suis, quia miserat eos bona intentione ad consolationem regis, & reddiderunt malum pro bono: & ideo voluit contra eos exercere rigorem iustitiæ, ne de cætero aliquis at-

tentaret simile facere.

Populum quoque eius adducens ferravit, & circummegit super eos carpenta, diuisitque cultris, & traduxit in typo laterum. Posteriora verba Latini sic ferè interpretantur:

Diuisit eos cultris, & dissecuit in similitudinem laterum, id est, sicut lateres, quando adhuc molles sunt & lutei, priusquam coquantur, diuisi cultris solent in quadram figuram, ita & de his captiuis factum sit. Hebræi hoc modo exponunt: Posuit eos sub ferreas securis, confecitque eos in fornacem calcariam vel regulariam. Sed mirum quomodo ita sanctum sit passim in omnes. Sic enim habet scriptura: *Populum quoque eius adducens ferravit.* Et rursum. *Sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon,* quandoquidem Gedeon Iudicum 8. contentus fuerit solos seniores vrbis Socoth hoc modo punire. Sed dicendum est, vel hæc facta esse in scio Dauid à Ioab victore, cui Dauid resistere difficile poterat, vel Ammonitas hoc meruisse, quia velut omnes publicè applaufferent violationi iuris gentium, qua rex eorum Hanon, vt est supra capite 10. legatos Dauid violauerat.

Serravit. Serris secuit. Videntur quæ hîc narrantur facta crudelitatem, sed fœdissimè violatum ab Ammonitis ius gentium, & concitati alij Reges aduersus Israëllem, & creata molestia diuturni belli grauem pœnam exigebant, si verò aliquid crudelius designatum est, Ioab auctori cum Saliano ascribi fortasse potest.

Circummegit super eos, &c. Sensus est, aliquos fuisse ferrata dissectos, alios suppositos ferratis carpentis contritos, alios gladiis trucidatos, alios traductos per fornacem lateritiã vt igni comburerentur: hoc enim est traduci in typo laterum, id est, per eum locum, in quo lateres formantur, & igni durantur: locum hunc fufius explicauit in Hieropoliticis l. 2. c. 3. num. 1.



CAPVT DECIMVM TERTIVM,
SYNOPSIS.

AMnon primogenitus Davidis, ob incestum cum sorore sua Thamar, ab Absalomo inter epulas iugulatur: Absalom autem profugit ad regem Gessur, auum suum maternum, apud quem triennio exulat.

1.



Actum est autem post hæc, vt Absalom filij David sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David, 2. & deperiret eam valdè, ita vt propter amorem eius ægrotaret: quia cum esset virgo, difficile ei videbatur vt quippiam inhonestè ageret eum ea. 3. Erat autem Amnon amicus, nomine Ionadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valdè. 4. Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo. 5. Cui respondit Ionadab: Cuba super lectum tuum, & languorem simula: cumque venerit pater tuus vt visitet te, dic ei: veniat, oro, Thamar soror mea, vt det mihi cibum, & faciat pulmentum vt comedam de manu eius. 6. Accubuit itaque Amnon, & quasi ægrotare cœpit: cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, vt faciat in oculis meis duas forbitiunculas, & cibum capiam de manu eius. 7. Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum. 8. Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem iacebat: quæ tollens farinam commiscuit: & liquefaciens, in oculis eius coxit forbitiunculas. 9. Tollensque quod coxerat, effudit, & posuit coram eo, & noluit comedere: dixitque Amnon: Eiicite vniuersos à me. Cumque eiecissent omnes, 10. dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclauē, vt vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar forbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fratrem suum in conclauē. 11. Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum soror mea. 12. Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israël: noli facere stultitiam hanc. 13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quasi vnus de insipientibus in Israël: quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi. 14. Noluit autem acquiescere precibus eius, sed præualens viribus oppressit eam, & cubauit cum ea. 15. Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita vt maius esset odium quo oderat eam, amore quo antè dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, & vade. 16. Quæ respondit ei: Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me, quàm quod antè fecisti, expellens me. Et noluit audire eam: 17. sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit: Eiice hanc à me foras, & claude ostium post eam. 18. Quæ induta erat talari tunica: huiuscemodi enim filiarum regis virgines vestibibus utebantur. Eiecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam. 19. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica; impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, & clamans. 20. Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror tace: frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui. 21. Cum autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valdè, & noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. 22. Porrò non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eò quòd violasset Thamar sororem suam. 23. Factum est autem post tempus biennij, vt tonderentur oves Absalom in Baalhamor, quæ est iuxta Ephraim: & vocauit Absalom omnes filios regis, 24. venitque ad regem, & ait ad eum: Ecce tondentur oves serui tui: veniat, oro, rex cum seruis suis ad seruum suum. 25. Dixitque rex ad Absalom: Noli fili mi, noli rogare vt veniamus omnes, & grauemus te. Cum autem cogeret eum, & nolisset ire, benedixit ei. 26. Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse vt vadat tecum. 27. Coegit itaque Absalom eum, & dimisit cum eo Amnon & vniuersos filios regis. Feceratque Absalom conuiuium quasi conuiuium regis. 28. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Obseruate cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum & interficite: nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, & estote viri fortes. 29. Fecerunt ergo pueri Absalom aduersum Amnon, sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filij regis ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt. 30. Cumque adhuc pergerent in itinere, fama peruenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem vnus. 31. Surrexit itaque rex, & scidit vestimenta sua: & cecidit super terram, & omnes serui illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. 32. Respondens autem Ionadab filius Semmaa fratris David, dixit: Ne æstimet dominus meus rex, quòd omnes pueri filij regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die qua oppressit Thamar So-

rorem eius. 33. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filij regis occisi sunt: quoniam Amnon solus mortuus est. 34. Fugit autem Absalom: & eleuauit puer speculator oculos suos, & aspexit: & ecce populus multus veniebat per iter deuium ex latere montis. 35. Dixit autem Ionadab ad regem: Ecce filij regis adsunt: iuxta verbum serui tui sic factum est. 36. Cumque cessasset loqui, apparuerunt & filij regis: & intrantes leuarunt vocem suam, & fleuerunt: sed & rex & omnes serui eius fleuerunt ploratu magno nimis. 37. Porrò Absalom fugiens, abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus. 38. Absalom autem cum fugisset, & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis. 39. Cessauitque rex David persequi Absalom, eò quòd consolatus esset super Amnon intellectu.

VARIETAS LECTIÒNVM à Vers. I. ad 5.

V*Vulg.* Factum est autem post hæc, vt Absalom filij David sororem speciosissimam, (vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David.

Vulg. Et deperiret eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret: quia cum esset virgo, difficile ei videbatur vt quippiam inhonestè ageret cum ea.

Pag. Et angustiis affectus est.

Arias. Et angustia fuit Amnon ad ægrotandum.

Caiet. Et fuit celatum in oculis Amnon ad faciendum ei quidquam.

Tigur. Quæ res ita cruciabat Amnonem.

Malu. Et coangustus fuit.

Sep. Rom. Et tribulabatur, & difficile erat in oculis Amnon facere quicquam ei.

Syr. Cruciabatur.

Vulg. Erat autem Amnon amicus, nomine Ionadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde.

Pag. Erat vir sapiens valde.

Tigur. Vir valde vaser.

Arab. Cautus.

Vulg. Qui dixit ad eum: Quare sic attentaris macie, filij regis per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque

ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo.

Pag. Quare es sic infirmus singulo mane?

Arias. Sic tenuis in mane in mane.

Malu. Quid cognitionis tu sic exhaustus?

Sep. Reg. Quid tibi, qui sic contabuisti?

Cald. Vt quid es sic caliginosus?

Syr. Quid rei est, quod sic attenuaris?

Arab. Vnde fit, vt videam te singulis dierum matutinis stare pro foribus fororis tuæ?

Vulg. Cui respondit Ionadab: Cuba super lectum tuum, & languorem simula: cumque venerit pater tuus vt visiter te, dic ei: veniat, oro, Thamar soror mea, vt det mihi cibum, & faciat pulmentum vt comedam de manu eius.

Arias. Faciat cibum in oculis meis, propter quod videam.

Malu. Faciet carpellum correspondentiæ quod videbo.

Sept. Rom. Et languesce, &c. faciat ante oculos meos cibum.

Arab. Ponatque mihi lagana.

Arab. Pinflatque mihi ortocreata.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

D*Eperiret eam valde.* Alij, *Angustiis affectus*, ex nimio amore erga Thamar. *Difficile ei videbatur, vt quippiam inhonestè ageret cum ea.* Alij, *Et celatum fuit in oculis Amnon, &c.* Nullum modum inueniebat ea potuendi. *Vir prudens valde.* Alij, *Vaser, cautus valde.* Vide Concord. vers. 1. cap. 3. Genes. *Quare sic attentaris macie?* Alij, *Quid cognitionis tu? sic exhaustus, tenuis? Faciat pulmentum.* Alij, *Cibum, carpellum.* Est בִּירְיַח *biriach*, id est, edulium, de quo recreationis & refocillationis causa decerpitur cibus delicatus, & recreans.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *Factum est, &c.* Postquam descripta est transgressio David, & eius puniitio occulta per pueri mortem, hic consequenter describitur eius puniitio manifesta, & quia peccauerat per homicidium & adulterium, idè primò describitur primogeniti sui interfectio, secundò vxorum suarum cognitio, cap. 14. tertio contra eum populi rebellatio, cap. 20. Circa primum considerandum, quod primogenitus David occisus est eo quod sororem suam Thamar violenter deflorauit, & ideo primo describitur stupratiõ fororis ab Amnon, secundò conceptio rancoris in corde Absalon, ibi: *Porro non est locutus Absalon, &c.* Tertio vindicatio pudoris ibi: *Factum est autem post tempus, &c.* Circa primum dicitur,
- Factum est autem, &c.* Quia in vindictam peccatorum David, Amnon primogenitus eius amore illicito exarsit in sororem suam, ita quod infirmabatur propter eam, quia passiones excessiuae amoris, odij, vel timoris huiusmodi, mirabiliter immutant corpus.
- Abalonis sororem.* Soror dicitur Abalonis, quia eadem cum illo matre genita.
- MENOC.**
- LYRAN.** *Difficile erat.* Non quia formidaret inhonestatem, sed quia filia regis virgines iuxta domum custodiebantur, ita quod sibi impossibile videbatur, quod posset eius habere presentiam, ad exercendum suam luxuriam.
- MENOC.** *Cum esset virgo* Quæ propterea diligenter custodiebatur.
- LYRAN.** *Erat autem, &c.* Id est, astutus, quia ad finem malum sciebat inuenire media opportuna, sicut patet per ma-
- A lam consilium quod dedit ipsi Amnon. Et patet litera vsque ibi:
- Erat Amnon amicus, nomine Ionadab, filius Semmaa, fratris David, vir prudens valde.* Prudens vocatur, non ea prudentia, quæ hominem laudabilem facit, & inter quatuor principales virtutes numeratur; Ea enim est virtus, qua quis media oportuna & conuenientia dirigit in bonum finem; Sed prudens dicitur ea prudentia, quæ non est nisi naturalis quædam sagacitas, id est, facilitas prompta inueniendi apta & idonea media ad finem qualemcumque. Falluntur autem quidam Hebraizantes, qui dicunt hunc Ionadab fuisse prophetam Nathan, ipsumque fuisse binomium. Quia, inquit, cum rumor ad Dauidem peruenisset, omnes filios Regis esse occisos, iste Ionadab, quasi spiritu prophetico prædixit regi solum Amnon esse mortuum: falluntur, inquam. Nam iste Ionadab dedit Amnon pessimum consilium, vt incestum committeret cum sorore sua, quod & ipsa natura horrebat & lex imprimis prohibebat. Non ergo is fuit propheta Dei, qualis semper Nathan inducitur. Quod autem Ionadab ait ad Regem, Amnon solum mortuum esse, non prophetico spiritu dixit, sed ex humana & verisimili coniectura, quia sciebat Absalonem diu in illum occulto odio flagrasse, propter scædum stuprum fororis suæ Thamar.
- Filius Semmaa, &c.* Patruelis ipsius Amnonis. **MENOC.**
- Prudens valde.* Prudentia carnis, quæ astutia est.
- Fili Regis.* Emphasim habet, quasi inertia cuiusdam **MENOC.**
- †. 4.

fit filium Regis, qui voti cuiuscunque compos esse possit, A lecto affigat, nam prius etiam, sed leuiter, agrotabat.
tabescere rei alicuius desiderio, nec conari illam consequi.
Thamar soror mea. Vocare iubet sororem ad amolien-
MENO C. *Languorem simula.* Ægritudinem paulò grauiorem qua- dam suspicionem meditati facinoris.
V. 5.

VARIETAS LECTIONVM. à *Vers.* 6. ad 9.

V *Vulg.* Accubuit itaque Amnon, & quasi agrotare cœ-
pit: cumque venisset rex ad visitandum eum, ait
Amnon ad Regem: Veniat, obsecro, Thamar soror
mea, vt faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, & ci-
bum capiam de manu eius.

Pag. Agrotare simulauit, faciat lagana in oculis meis, duo
lagana.

Arias. Et se ostendit agrotum.

Caiet. Duo cordialia.

Vatab. Duas placentas.

Tigur. Duo liba.

Malu. Cordificabit.

Sept. Rom. Et collyrisset duas collyridas.

Cald. Et coquet duas placentas.

Arab. Ortocreata.

Vulg. Misit ergo David ad Thamar domum dicens: Veni
in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum.

Pag. Fac ei cibum.

Malu. Carpsellum. *Alij.* vt *vers.* 5.

Vulg. Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: il-
le autem iacebat: quæ tollens farinam commiscuit: &
liquefaciens in oculis eius coxit sorbitiunculas.

Pag. Fecit lagana, & coxit lagana.

Arias. Cepit consersionem.

Malu. Accepit maceratam, & dempsit, & cordificauit ocu-
lis eius, & coxit cordialia.

Sept. Rom. Sumpsit pastam, & consperfit, & fecit collyridas.

Cald. Accepit mixtionem, & miscuit, & pinsuit.

Vulg. Tollensque quod coxerat, effudit, & posuit coram
eo: & noluit comedere: dixitque Amnon: Eiecite vni-
uersos à me. Cumque eiecissent omnes,

Pag. Et tulit sartagine, & renuit.

Cald. Et accepit patellam.

Syr. Tunc accipiens lagana apposuit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

F *Acia* duas sorbitiunculas. *Alij,* *Cordificauit* duo cordialia, placentas, collyridas, &c. Hebr. ותלכב שתי לכבות *utla-*
bebseti leniboth, Verbum libbeb, quod hic in pihel ponitur significat cordificare cordialia, & nomen leuiboth, cor-
dialia. Vtrumque deriuatur à Libab, corde: Nonnulli volunt significare laganare, placentas facere, quas sorbi-
tiunculas vocat interpres. *Et liquefaciens.* *Alij,* *Et faciens lagana,* id dicit immediate telabeb. *Effudit.* *Alij,* *Tulit sarta-*
ginem, de qua in discum aut scutellam, aut aliud vas intulit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. V. 6. *VT* faciat in oculis meis, &c. Id est, duo pulmenti ge-^Bnera ad sorbendum apta. *Cetera patent vsque ibi.* Sorbitiunculas. LXX. placentas, alij, lagana.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 10. ad 14.

V *Vulg.* Dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in con-
clauē, vt vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar
sorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fra-
trem suum in conclauē.

Pag. Affer pulmentum in cubiculum, tulitque lagana, quæ
parauerat.

Caiet. Tulit cordialia.

Malu. Venire fecit in penetrāle.

Sept. Et sumpsit collyridas.

Vulg. Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, &
ait: Veni, cuba mecum soror mea.

Malu. Et obtinuit in ea, & dixit.

Cald. Inualuit contra eam.

Vulg. Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere
me, neque enim hoc fas est in Israël: noli facere stulti-
tiam hanc.

Pag. Non enim sic fit.

Arias. Ne affligas me.

Caiet. Non facias ignominiam hanc.

Malu. Non facies fatuitatem istam.

Sept. Rom. Nequaquam humilies me.

Syr. Noli me stuprare.

Vulg. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, &
tu eris quasi vnus de insipientibus in Israël: quin potius
loquere ad regem, & non negabit me tibi.

Pag. Et ego quo pergere faciam opprobrium meum?

Arias. Quia non prohibebit me à te.

Malu. Tu eris sicut vnus defluentium in Israël, &c. Quia
non minuet me de à te.

Sept. Rom. Et ego quo auferam?

Cald. Quo deferam?

Arab. Et vbicelarem infamiam & miseriam meam?

Vulg. Noluit autem acquiescere precibus eius, sed præua-
lens viribus oppressit eam, & cubauit cum ea.

Pag. Noluit audire vocem eius, &c. Et rem habuit cum ea.

Malu. Et non amauit audire in voce eius, & obtinuit de
cum ea, & afflixit eam.

Syr. Et stuprauit eam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

T *Ulit* sorbitiunculas. *Alij,* *Lagana.* Vide Concord. superiore. *Noli opprimere.* *Alij,* *Ne affligas:* nulla enim ma-
ior afflictio virginum, quam vi opprimi. *Noli facere stultitiam hanc.* *Alij,* *Non facias ignominiam hanc,* quæ ex
stupro, quod inferes, eueniet. *Ego enim ferre non potero opprobrium meum.* *Alij,* *Ego quò pergere faciam probrum*
meum? &c. Id est, quomodo me probro liberabis, si mecum rem habueris hanc turpissimam?

ANNOTATIONES.

LYRAN. V. 10. *I* *nfer cibum,* &c. Id est, in loco secreto & remoto, quod C rem nostram propius: *Tupitudinem sororis tuæ ex patre,*
dicebat, vt posset ea abuti, vt patet ex sequentibus: *Se-* *sue ex matre, quæ domi, vel foris genita est, non reuelabis.*
quitur.

MENOC. *Neque enim hoc fas est in Israël,* quia in Leuit. cap. 18. 6. *Loquere ad regem,* &c. Hoc videtur esse contra legem LYR
dicitur: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non acce-* *Leuit. 10. vbi prohibetur matrimonium fratris cum sorore* V.
det, vt reuelet turpitudinem eius, *Ego Dominus,* & n. 9. ad *de, siue sit de patre tantum, siue de matre, & mulò fortius*
matrem

matrem Thamar in bello, & circumcisus vnguibus & per-
fectis aliis, quæ ad hoc requiruntur, vt habetur Deuter. 21.
cap. & accepit eam vxorem, veruntamen tunc erat impræ-
gnata de viro quem prius habuerat habens in utero istam
Thamar, & ideo non erat filia naturalis ipsius Dauid, pro-
pter quod filius eius poterat eam habere vxorem secun-
dum legem.

ESTIVS. *Loquere ad regem, & non negabit me tibi.* Quæritur quo-
modo Thamar dicat, *Non negabit me tibi*, cum id expre-
se sit contra legem Leuit. 20. vbi prohibetur coniugium
fratris cum sorore? siue ex patre etiam tantum vel ex ma-
tre tantum? Thamar autem erat soror Amnon ex patre.
Respondent Hebræi, Thamar non fuisse naturalem filiam
Dauid, sed adoptiuam ex matre, quam Dauid acceperat
in prælio grauidam. Sed istud videtur esse Hebræorum
commentum. Scriptura enim omnino ita sonat, vt fuerit
soror Absalon ex utroque parente. Nam & hic vocatur so-
ror Amnon à Ionadab, & ipsa respondit ad Amnon; *Noli
frater mi.* Et Absalon ad eam: *Nunquid Amnon frater
tuus, &c.* Idemque significatur 1. Paralip. 3. cum dicitur,

A quod filij Dauid habuerint sororem Thamar. Itaque re-
ctius respondendum, quod hæc verba protulerit Thamar
ad Amnon: *Loquere ad regem, & non negabit me tibi*: vel
quia nesciret prohibitionem legis; vel vt hoc prætextu
saltem effugeret præsentem vim, quam patiebatur à fra-
tre.

Quasi vnus de insipientibus. Sceleratis, diuinæ legis vio-
latoribus. **MENO C.**
V. 13.

Non negabit me tibi. Id fortasse licitum putauit Thamar
ignoratione legis: qualemcunque spem Amnoni obliuic-
dam putauit, vt si fieri posset, desisteret ab iniuria.

Loquere ad regem, & non negabit me tibi vxorem dare. **TIRINVS.**
Nam fuerat Thamar matre Gentili, nempe filia regis Ges-
sur: vbi eiusmodi connubia inter fratrem & sororem ex
diuersa matre, non putabantur illegitima, hinc ignara
legis Iudaicæ, putabat simplex puella etiam Hebr. idem
licere, ita Abulens. & Caiet. Posset etiam dici, cautam
puellam id effugij quæsiuisse, & promissione nuptiarum e-
ludere voluisse, aut saltem retardare prurientis fratris in-
faniam, ita Sanctius.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 15. ad 19.

Vulg. Et exosam eam habuit Amnon odio magno ni-
mis: ita vt maius esset odium quo oderat eam, amore
quo antè dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, & vade.
Sept. Rom. Quoniam maius malum vltimum quam pri-
mum.
Arab. Abscede à me.
Vulg. Quæ respondit ei: Maius est hoc malum, quod nunc
agis aduersum me, quàm quod antè fecisti, expellens
me. Et noluit audire eam:
Malu. Non occasiones mali grandis istius de alio quod
misisti mecum ad mittere me, & non amavit ad audire.
Syr. Iam cum atrocem iniuriam intulisti mihi, amandas
me.
Vulg. Sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit: Eiice
hanc à me foras, & claude ostium post eam.
Malu. Vocavit excussum suum, &c. Obsera.
Sept. Præfectum domus.

Vulg. Quæ induta erat talari tunica: huiusmodi enim
filia regis virgines vestibus utebantur. Eiecit itaque eam
minister illius foras: clausitque fores post eam.

Pag. Et super eam erat tunica polymita.

Arias. Tunica multorum colorum.

Malu. Tunica diminutorum, quia sic vestient filia, &c.
pallia.

Sept. Rom. Erat tunica intexta fructibus.

Cald. Tunica florum.

Vulg. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tuni-
ca, impositisque manibus super caput suum, ibat ingre-
diens, & clamans.

Malu. Tunicam diminutorum disrupit. *Alij, vt supe-
riori versa.*

Syr. Tunicam figuratam.

Arab. Acupictam laceravit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Induta erat talari tunica. *Alij, Polymita, figurata, &c.* Hebr. est ספסוף *passim*, quæ vt aliis locis vertit interpres, ali-
quid significat polymitum, varium, opere pictum phrygio, atque plumario, qualis dicitur fuisse tunica Io-
seph quæ Hebr. dicitur, ספסוף *passim*, & Vulg. reddidit tunicam polymitam. Vtrumque fuisse existimo in puella re-
gia vestem namque fuisse polymitam, ad talos vsque demissam eandemque versicolore, & variis intexam floribus,
atque arborum fructibus. Sane hanc vocem Sept. Compl. & Reg. vertunt $\alpha\sigma\epsilon\gamma\alpha\lambda\omega\tau\omega\nu$ quæ vox aliquid attingit, quod
ad talos vsque descendit: sed Sept. Rom. cum Aquila habent $\alpha\sigma\pi\tau\omega\tau\omega$ quæ vox versicolorem esse vestem indicat, & plu-
mario opere variam, vt exponit ipse Theodor. quasi in eo varij arborum flores, & fructus sint intertexti.

ANNOTATIONES.

L. YRAN. **V. 15.** **E**t exosam eam, &c. Quia sicut dicunt Hebræi in eius B
defloratione læsus fuit intantum, quod dolor sequens
maior fuit delectatione præcedenti.

MENO C. *Exosam eam habuit Amnon.* Quæ odij causa? an ex con-
scientiæ stimulo, & synderesi, & pudore infamiæ securi-
tæ? quæ videtur mens Aristotelis in problematis sect. 4.
probl. ii. an potius id egit Damon vt expulsa virgine, &
propalato crimine, turbæ domi, odia, cædesque nascerentur;
quod etiam consecutus est.

TIRINVS. *Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis.* Et qui-
dem statim ab ipso complexo. Sed quæ causa tam subiti,
tam intensi odij? An quia fratrem stultitiæ accusarat & in-
fania? vers. 12. & 13. An iusta Dei vindicta, qui breuem &
momentaneam voluptatem æterno dolore & implacabili
inimicitia non raro punit? Experientia sanè constat, ex ni-
mis læsciuo amore & turpi consuetudine plerumque nasci
horrenda odia & simultates. Exemplum fuit (vt alios iam si-
leam) Semiramis, quæ plerosque amafios suos & in iis et-
iam proprium filium, crudeliter interfecit. Docetque Ar-
istoteles, hoc odium ex impuro amore esse naturale & fre-
quentissimum, rationes ipse profert non paucas, & ex ip-
Tom. IV.

B so Abulensis.

Maius est hoc malum, &c. Scilicet, me expellendo con-
fussibiliter sicut meretricem, quam quod me violenter de-
florasti, quia poterat eam accipere in vxorem. **L. YRAN.**
V. 16.

Maius est hoc malum. Id est, perpetratum malum ma-
ius fit expulsiōne, quia infamiam affert expulsio, & spem
excludit patrati criminis tegendi, & aliquod remedium ad-
hibendi. **MENO C.**

Maius est hoc malum. Id est, hæc publica & probrosa ex-
pulsio. Violatio enim, licet in se turpior esset & scedior,
quia tamen occulta, censerj poterat minus noxia. At vio-
lenta & turpis expulsio, quia palam fiebat & in oculis to-
tius aula, reddebatque illam apud omnes infamem, ex-
tremè contumeliosa illi erat. **TIRINVS**

Que induta erat talari tunica, &c. In Heb. habetur: **L. YRAN;**
Serica tunica. V. 18.

Talari. Sic LXX. at Hebr. ספסוף *passim* id est, vt ali-
bi noster vertit interpres, *polymita*, vide dicta Genesis.
37. 3. **MENO C.**

Que induta erat talari tunica. Hebraicum *passim* signi-
ficat polymitam vestem, seu opere pictam Phrygio atque
S f **TIRINVS**

plumario: qualis fuisse dicitur tunica Iosephi Genes. 37. **A** extremo dicitur: *Ab ista egredieris, & manus tue erunt super caput tuum, quoniam obtriuuit Dominus, &c.*

Ingressus, & clamans. Ne si re iam manifesta leuiter iniuriam ferte videretur, non vim passa, sed volens corrupta crederetur.

Impositis manibus super caput suum. Quod naturale signum est seu pudoris seu doloris, vt patet in ætate tenella & rudi, qua pueri, cum aliquid accidit cuius ipsos pudet & dolet, nec celare possunt, solent faciem vel etiam caput totum manibus operire. Sic Ieremiae 2. Iudææ dicitur, *Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur, & manus tue erunt super caput tuum, & cap. 14. Confusi sunt, operuerunt capita sua.*

LYRAN.
v.19.

Quæ aspergens cinerem, &c. Hoc non fecit Thamar statim cum eiecta fuit ab Amnon, quia seipsam scandalizasset, sed postquam venit ad domum fratris sui, idèò subditur: *Ibat ingrediens & clamans, &c.*

MENOC.

Impositis manibus super caput suum. Manuum impositio capiti signum erat dolentis animi. Sic Ieremiae cap. 2.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 20. ad 27.

Vulg. Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror tace: frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re: Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui.

Pag. Ne ponas cor tuum ad hoc.

Arias. Mansit & desolata.

Malu. Nunquid Amnon? afflata.

Sept. Rom. Ne posueris cor tuum ad loquendum verbum hoc.

Syr. Ne tibi subeat in mentem opus istud, &c. stupore capta.

Vulg. Cum autem audisset rex Dauid verba hæc, contristatus est valde, & noluit contristare spiritum Amnon, filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.

Arias. Et fuit ei ira valde.

Malu. Et exarsit.

Sept. Et non contristauit. *Cætera vt in vulg.*

Syr. Egredè admodum tulit.

Vulg. Porro non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eò quòd violasset Thamar sororem suam.

Pag. A malo vsque ad bonum, quia oppresserat.

Arias. Super verbum quod afflixerat.

Sept. Humiliauerat.

Syr. Stuprauerat.

Vulg. Factum est autem post tempus biennij, vt tonderentur oues Absalom in Baalhasor, quæ est iuxta Ephraim: & vocauit Absalom omnes filios regis.

Malu. Et fuit à duobus annis dierum, & fuerunt vellentes Absalomo.

Cald. Fuerunt tonsores in Hhazzar.

Vulg. Venitque ad regem, & ait ad eum: Ecce tondentur oues serui tui: veniat, oro, rex cum seruis suis ad seruuum suum.

Sept. Ecce nunc tondent seruo tuo.

Vulg. Dixitque rex ad Absalom: Noli fili mi, noli rogare vt veniamus omnes, & grauemus te. Cum autem cogeret eum, & nolisset ire, benedixit ei.

Malu. Non quæso ambulabimus omne nostrum, & non aggrauabimus super te, & rupit in eo, & non amauit ad ambulare.

Sept. Rom. Non ingrauescamus super te.

Vulg. Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse vt vadat tecum.

Malu. Ad quid ambulabit tecum?

Vulg. Coegit itaque Absalom eum, & dimisit cum eo Amnon & vniuersos filios regis. Feceratque Absalom conuiuium regis.

Cald. Et inualuit in eum Absalom.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Numquid Amnon. Alij ex Hebr. *Aminon*, scribitur enim cum inserto Iod אֲמִינֹן *Aminon*, quod quidam putant esse diminutiuum, & per indignationem & contemptum, nonnihil immutato nomine, vocasse cum diminutè *Aminon*. *Mansit contabescens.* Alij, *Desolata.* Vnde aliquid in Hebr. subintelligendum est ex illa coniunctione & nempe dolens & desolata. *Contristatus est valde.* Alij, *Exarsit ei ira valde.* Vide Concord. vers. 5. Genes. 4. *Et noluit contristare spiritum.* Hæc verba reliqui versus, in nullis exempl. habentur, nec in Latin. Reg. sed solum in Sixt. at in alijs confodiuntur. In *Baalhasor.* Alij, *In planitie,* Bahal enim planicies interpretatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v.20.

Mansit itaque Thamar. Magis volens inuupta manere quam virò sibi dato violata inueniri. Et ex hoc patet continentia & puritas illius, temporis in virginibus desponsandis.

MENOC.

Frater tuus est. Non significat id Absalon fratri licuisse, aut impunè esse debere, sed premendam rem silentio, ne maior fiat infamia, quæ tam in eos redundet qui intulerunt, quam in eos, qui passi sunt. Vel etiam eam consolatur, quod cum Amnon frater illius esset, nemo iure suspicari posset eam in stuprum consensisse.

Contabescens. Hebr. & Cald. *Desolata,* scilicet mœsta. *LXX.* *animo deficiens.*

LYRAN.
v.21.

Cum autem audisset, &c. Tum quia filius suus Deum offenderat, faciendo opus nefarium: tum quia filia sua adoptiua, erat vituperata in perpetuum.

Et noluit contristare. Videtur, quòd Dauid in hoc grauius peccauerit: quia non solum tenebatur filium increpare, sed etiam interficere, vt videtur pro virginis violenta defloratione. Dicendum, quòd non habebat sibi infligere pœnam mortis, nec ratione deflorationis, nec

ratione violentiæ. Primum patet: quia Amnon & Thamar erant personæ liberæ nullo vinculo matrimoniali alligatæ: non solum per matrimonij consummationem, sed nec etiam per affidationem. Lex autem non imponit pœnam mortis talibus. Vnde Deut. 22. c. vbi pœna mortis infligitur virgini defloratæ in domo paterna, lex illa loquitur de virgine alteri affidata, sicut ibidem diffusus fuit declaratum. Similiter secundum patet, quia illa violentia & totum factum erat occultum, nec poterat defloratio & violentia probari, nisi per querimoniam ipsius Thamar & sui corporis ostensionem, quod ipsa non fecit: imò simpliciter tacuit & de consilio fratris sui Absalon, vt patet in litera, & idèò Dauid non habebat viam interficiendi Amnon iustè. Tenendum est tamen, quòd aliter corripuit eum secretè, licet non sit scriptum, in tali autem correctione debet expectari opportunum tempus, & aliæ circumstantiæ: & sic intelligitur quod hic dicitur: *Noluit,* scilicet, pro tunc, quia erat debilis & infirmus, & dolens de facto: quod patet ex hoc, quod habebat Thamar odio, quia etsi non dolebat ratione culpæ: dolebat tamen ratione lesionis iuriscæ, vt predictum est. Si autem quæretur quare Dauid non coegit

Amnon ad accipiendum Thamar uxorem, patet respon-
sio, quia propter odium contra eam conceptum probabi-
le erat, quòd interfecisset eam.

MENOC. *Noluit contristare spiritum Amnon, &c.* Nimia remissionis Davidem accusat Abulensis, quod peccantem adeo gra-
uiter filium, ne asperius quidem appellauerit. Alij plures
existimant tempore opportuno non fuisse neglectam à Da-
uide correptionem, licet id facer textus non expresse-
rit. Ita sentit Lyranus, Dionysius, Salius & alij.

LYRAN. *Porrò non est, &c.* Hic consequenter describitur conce-
ptio rancoris, qua Absalon istam iniuriam sibi & sorori
factam tenuit in corde suo clausam, & idèd fuit magis ran-
cor odij augmentatus, quàm si per aliqua facta vel signa
exteriora fuisset extra propalatus: quia virtus vnita fortior
est semetipsa dispersa.

MENOC. *Non est locutus nec malum nec bonum.* De hoc scilicet
violata sororis facinore, si enim plane ab omni eius collo-
quio abstinuerit, su spectum eum habuisset Amnon, & ab
eo sibi cauisset.

LYRAN. *Factum est autem.* Hic consequenter ponitur prædictæ
iniuriæ vindicatio, modo tamen proditorio: quia Absalon
vocaui Amnon ad prandium quasi factum esset totaliter
oblitum, & tunc interfecit eum. Et patet litera, paucis ex-
ceptis quæ discurruntur.

Vt tonderentur oues. Tunc enim faciebant antiquitus ma-
gna conuiuia in memoriam patriarcharum, qui fuerunt
pastores ouium, vt habetur Genes. 47.

A *In Baalhasor quæ est iuxta Ephraim.* Non tribum Ephra-
him, sed ciuitatem huius nominis in tribu Iuda, quæ etiam
dicitur Ephrem, & Ephraem cum diphongo, cuius men-
tio est Io. 11. 54. MENOC.

Ecce tonderentur oues. Quod tempus celebre, & lætum e-
rat illo æuo, Iudæis rei pecuariae intentis, quare conuiuia
tunc agitabant, vt vidimus supra in Nabal Carmeli 1.
Reg. 25. MENOC. v. 24.

Veniat rex cum seruis suis. Cum tota familia. Cum re-
gem ipsum inuitat Absalom, hoc agit vt suspicionem
meditati criminis amoliat.

Cum autem, &c. Id est, obnixè rogaret patrem suum. LYRAN.

Et nolisset ire. Imprecando bona sibi Absalon, & ami-
cabiliter se excusando. v. 25.

Gratiemus te. Apparere Absalonem sua sibi bona ha-
buisse separata, & coniugio fuisse deuinctum, præsertim
cum capite sequenti tres eius filij & vna filia memoren-
tur. MENOC.

Benedixit. Id est, bene precatus est, scilicet valedicens.

Si non vis. In persona propria. LYRAN.

Veniat obsecro. Qui repræsentat personam tuam tan-
quam primogenitus. v. 26.

Coegit itaque Absalom eum. Precibus importunis. Tam
morosus David in danda venia videtur mali aliquid ti-
muisset. MENOC.

Quasi conuiuium regis. Quippe qui regem, & regios filios
omnes conuiuio excipere volebat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 28. ad 32.

Vulg. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens:
Oseruate cum temulentus fuerit Amnon vino, &
dixero vobis: Percutite eum & interficite: nolite timere:
ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, & esto-
te viri fortes.

Pag. Cum iocundum fuerit cor.

Arias. Circa bonum cor.

Caiet. Cum lætificabitur cor eius.

Vatab. Estote filij fortitudinis.

Malu. Obtinetè, & critis filij strenuitatis.

Sept. Rom. Cum bonum fuerit cor.

Cald. Estote in viros robustos.

Vulg. Fecerunt ergo pueri Absalom aduersum Amnon,
sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filij
regis ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt.

Malu. Et veçti fuerunt vir super mulum suum.

Sept. Infederunt.

Cald. Equitarunt.

Vulg. Cumque adhuc pergerent in itinere, fama peruenit
ad Dauid, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis,

& non remansit ex eis saltem vnus.

Arias. Auditus venit.

Cald. Rumor.

Vulg. Surrexit itaque rex, & scidit vestimenta sua: & ce-
cidit super terram, & omnes serui illius, qui assistebant
ei, sciderunt vestimenta sua.

Malu. Stantes disrupti vestimentorum.

Vulg. Respondens autem Ionadab filius Semmaa fratris
Dauid, dixit: Ne æstimet dominus meus rex, quòd om-
nes pueri filij regis occisi sint: Amnon solus mortuus
est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die qua
oppressit Thamar sororem eius.

Lyran. In ratione Absalom erat exploratus.

Caiet. In odio, &c. Erat positus.

Arias. Super os erat positus.

Sept. Reg. Quia in ira erat ei Absalom.

Cald. Quia in corde Absalom fuit insidiatio.

Syr. Hoc erat in animo Absalomis, à die, quâ stupraue-
rat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cum remulentus fuerit. Alij, Cum iocundum fuerit cor eius. Scilicet ex nimio vino. Quoniam in ore Absalom erat
positus. Alij, Irratione erat exploratus, &c. Verum est Hebr. esse *in phi*, os eius, sed per os rectè etiam intelli-
gitur ratio, animus, id est, secum decreuerat ultionem sumere: Imò inter amicos iactabat se interfectorum illum,
& idèd insidiabatur ei, vt habet Cald. & Sept. Quia in ira erat ei: infensissimus enim erat ei à die sororis suæ oppressæ.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Oseruate cum, &c.* Quia tunc non poterit sibi præ-
cauere. v. 28.

Nolite timere. Quasi dicat, factum super me accipio, &
vos defendam. Vnde credendum est, quòd Absalom fugiens
duxit eos secum.

MENOC. *Ego enim sum qui præcipio vobis.* Quasi dicat, ego peri-
culum vestrum in me recipio, ego damnum omne præ-
stabo.

LYRAN. *Ascenderunt singuli.* Licet enim esset prohibitum filiis
Israël, ne facerent commisceri animalia diuersæ speciei, vt
habetur Leuitic. 19. tamen poterant vti animalibus ex tali
commistione generatis, cuiusmodi sunt mula.

MENOC. *Pueri Absalom.* Est probabile vt Lyranus, Abulensis, &
Dionysius volunt, fuisse istos alienigenas ex regno Thol-
mai Regis Gessur aui sui materni oriundos, vt patet cæ-
Tom. IV.

B de cum Absalone aufugerent, nec filios, aut familias suas
in certo vitæ, ac fortunarum discrimine relinquerent,

*Fecerunt pueri Absalom aduersum Amnon, sicut præcepe-
ratis,* Nempe temulentum seu vino profus exhilaratum
sicis & gladijs confoderunt. TIRINVS

Notat Dionysius seruos illos fuisse Gentiles ex Gessur,
subditos Tholmai aui materni Absalomi, quibuscum etiam
mox ad eundem auum suum profugit.

Fama peruenit, &c. Quia de tali facto fama citò vo-
lat. LYRAN. v. 30.

Percussit Absalom. Quia in talibus plus communiter dici-
tur in principio, quàm sit in veritate. Sequitur.

Fama peruenit ad Dauid. Fama, vt sæpe solet, mendax; quæ
tamen diuino consilio atque iudicio ad maius Dau-
dis supplicium pertineret, dum mortis omnium filiorum

falſa opinione cruciatur.
M E N O C. *In ore.* In decreto, & voluntate Abſalonis poſitus erat,
& deſtinatus ad cædem, quia decreuerat, & fortaſſe iure
iurando confirmauerat ſe illum interfectorum. Caldæus

vertit, *in corde.* In ore propriè hîc accipi non poteſt,
quia conſilium ſuum Abſalom mira diſſimulacione te-
xerat.

VARIETAS LECTIONVM à Verſ. 33. ad ultimum.

Vulg. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex ſuper
cor ſuum verbum iſtud, dicens: Omnes filij regis oc-
cisi ſunt: quoniam Amnon ſolus mortuus eſt.
Vulg. Fugit autem Abſalom: & eleuauit puer ſpeculatoꝝ
oculos ſuos, & aſpexit: & ecce populus multus venie-
bat per iter deuim ex latere montis.
Pag. Poſt montem ex latere montis.
Arias. Euntē de via poſt eum.
Sept. Rom. A latere montis in deſcenſu, & aduenit ſpecula-
tor, & annuntiauit Regi, & dixit, viros vidi de via O-
ronim è parte montis.
Cald. Leuauit circumſpector oculos.
Vulg. Dixit autem Ionadab ad regem: Ecce filij regis ad-
ſunt: iuxta verbum ſerui tui ſic factum eſt.
Vulg. Cumque ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filij regis: &
intraſtes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt: ſed rex
& omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.
Malu. Et fuit ſecundùm conſummare eum ad loqui.
Sept. Plorauerunt plorationem magnam valde.
Vulg. Porro Abſalom fugiens abiit ad Tholomai filium

Amniud regem Geſſur. Luxit ergo Dauid filium ſuum
cunctis diebus.
Malu. Lugere ſe fecit.
Sept. Rom. Geſſur, in terram Chammachim.
Vulg. Abſalom autem cum fugiſſet, & veniſſet in Geſſur,
fuit ibi tribus annis.
Arab. Cumque maſiſſet, &c. commotum eſt clementia
cor Regis erga Abſalom.
Vulg. Ceſſauitque Rex Dauid perſequi Abſalom, eo quòd
conſolatus eſſet ſuper Amnon interitu.
Pag. Et deſiderauit anima Dauid egredi poſt Abſalom.
Arias. Egredi ad Abſalom.
Cald. Quia conſolatus ſuper Amnon, quod mortuus.
Tigur. Ceſſauit (ira) Dauid ne vltra educeret exercitum.
Lyran. Deſiderauit Dauid poſt Abſalom.
Malu. Conſummauit ad exire ad Abſalom.
Sept. Reg. Ceſſauit ſpiritus Regis, vt egrederetur contra.
Syr. Abſtinuit ab exeundo.
Arab. Voluit egredi quaſitum eum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Per iter deuim à latere montis. Alij, *De via poſt eum.* Sed Vulg. optimè expreſſit Hebræa, vnde de via à late-
re montis, id eſt, quæ via ducebat per latus montis. Plura habent Sept. Rom. maioris explicationis gratia. Ad
Tholomai. Sept. Rom. addunt *In terram Chammaachad,* ſed abſunt à Compl. & Reg. *Ceſſauitque Dauid perſequi*
Abſalom. Alij, *Deſiderauit anima Dauid egredi poſt Abſalom.* Eſt tertia perſona generis fæminini *נפול ופול*, vnde ſubau-
diunt Hebræi anima, deſiderauit, ſcilicet Anima. Alij, *Ira,* nempe ceſſauit. Sanè noſter eruditè reddidit Hebræa, nem-
pe depoſuit animum, Abſalonem amplius infeſtandi, ſed potius deſiderio tenebatur eum reuocandi, & videndi, vt ha-
bet Arab. *Voluit egredi quaſitum eum,* non puniendi, ſed videndi eum gratiâ, dixerat enim ſuperius, commotum
erat cor Dauid clementia erga Abſalom.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 33.

Amnon. Ex hoc dicunt aliqui, quod iſte Ionadab erat B
Nathan propheta, & quòd erat binomius, dicentes
quòd ſpiritu prophético ſciuit ſolum Amnon mortuum,
quia cum eſſet abſens, via humana ſcire non potuit. Sed
iſtud dictum patet falſum, per illud quòd iſte Ionadab de-
derat Amnon peſſimum conſilium de ſore ſua deſloran-
da, vt patet per prædicta, quod nullo modo feciſſet pro-
pheta domini, quòd ergo dixit, *Amnon ſolus mortuus eſt;*
hoc non dixit certitudinaliter, ſed coniecturaliter tantum:
eò quòd nouerat odium Abſalon contra Amnon, & cau-
ſam odij: vt patet ex prædictis. Cætera patent uſque ibi:

M E N O C.

Fugit autem Abſalom. Ad Tholomai regem Aſſur auum
ſuum maternum, vt habetur num. 37. ſequenti.
Per iter deuim ex latere montis. Putat Abulentiſis filios
regis metu Abſalonis compendia viarum fuiſſe ſectatos,
non via regia progreſſos.

LYRAN.
v. 37.

Porro Abſalom. Quia attinebat ei ex parte matris. Erat
enim pater Maacha matris Abſalon, vt habetur ex ſupra-
dictis 3. cap.

Luxit. Magis pro morte ſpiritali quàm corporali, eò
quòd fuerat occiſus actù ebrius.

Ceſſauitque rex. Eo quòd reuoluerat in animo Amnon LYRAN.
ſlagitium, & ſic iuſto Dei iudicio eum fuiſſe occiſum, & V. 33.
hoc eſt quòd ſubditur: *Eò quòd conſolatus eſſet ſuper, &c.*

Eò quòd conſolatus eſſet ſuper Amnon interitu. Quod ſci- M E N O C.
licet ira deferuiſſet qua exarſerat in Abſalonem propter
Amnonis mortem.

Ceſſauitque rex Dauid perſequi Abſalom. Satis eſſe ra- TIRAN.
tus, animum erga eum exhibuiſſe indignationis, & ira
plenum: malebatque filium in longo exilio reſpicere,
quam recenti adhuc delicto impœnitentem armis obrui.

Conſolatus ſuper Amnon interitu. Tempore dolorem mi-
tigante, & furorem ſedante, maxime cum expenderet,
Amnonem iuſtas ſuæ necis cauſas dediſſe, neque toto
biennio vel ſemel verbis à ſe reprehenum. verſ. vigeſimo
primo, multo minùs condignâ poenâ caſtigatum fuiſ-
ſe.



CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS.

Ioab Thecuia mulieris solertia impetrat à Davide reditum Absalomo in Ierusalem: sed redux biennio toto non admittitur in conspectum patris, donec incensa messe, Ioab, illius interuentu osculum impetrauit à parente.



1. **I**ntelligens autem Ioab filius Saruix, quòd cor regis versum esset ad Absalom, 2. misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam: Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, vt sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum: 3. & ingredieris ad regem, & loqueris ad eum sermones huiuscemodi: Posuit autem Ioab verba in ore eius. 4. Itaque cùm ingressa fuisset mulier Thecuis ad regem, cecidit coram eo super terram, & adorauit, & dixit: Serua me rex. 5. Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus. 6. Et ancillæ tuæ erant duo filij: qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum. 7. Et ecce confurgens vniuersa cognatio aduersum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, & deleamus heredem: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquæ super terram. 8. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te. 9. Dixitque mulier Thecuis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem, & thronus eius sit innocens. 10. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltra non addet vt tangat te. 11. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram. 12. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere. 13. Dixitque mulier: Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, & locutus est rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum? 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est. 15. Nunc igitur veni, vt loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præfente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quomodo faciat rex verbum ancillæ suæ. 16. Et audiuit rex, vt liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hæreditate Dei delere me, & filium meum simul. 17. Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus est tecum. 18. Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas à me verbum, quod te interrogo: Dixitque ei mulier: Loquere domine mi rex. 19. Et ait rex: Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, & ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex: seruus enim tuus Ioab, ipse præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. 20. Vt verterem figuram sermonis huius, seruus tuus Ioab præcepit istud: tu autem domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia super terram. 21. Et ait rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuoca puerum Absalom. 22. Cadensque Ioab super faciem suam in terram, adorauit & benedixit regi: & dixit Ioab: Hodie intellexit seruus tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, domine mi rex: fecisti enim sermonem serui tui. 23. Surrexit ergo Ioab & abiit in Gessur, & adduxit Absalom in Ierusalem. 24. Dixit autem rex: Reuertatur in domum suam, & faciem regis non videat. Reuersus est itaque Absalom in domum suam, & faciem regis non vidit. 25. Porrò sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. 26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. 27. Nati sunt autem Absalom filij tres: & filia vna nomine Thamar, elegantis formæ: 28. Mansitque Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem regis non vidit. 29. Misit itaque ad Ioab, vt mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cùmque secundò misisset, & ille nolisset venire ad eum, 30. dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni. Et venientes serui Ioab, scissis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt serui Absalom partem agri igni. 31. Surrexitque Ioab, & venit ad Absalom in domum eius, & dixit: Quare succenderunt serui tui segetem meam igni? 32. Et respondit Absalom ad Ioab: misi ad te obsecrans vt venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo vt videam faciem regis: quòd si memor est iniquitatis meæ, interficiat me. 33. Ingressus itaque Ioab ad regem, nuntiauit ei omnia: vocatusque est Absalom, & intrauit ad regem, & adorauit super faciem terræ coram eo; osculatusque est rex Absalom.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 1. ad 7.*

Vulg. *Intelligens autem Ioab filius Saruiæ, quod cor regis versum esset ad Absalom.*
Arias. Quia cor Regis super Absalom.
Sept. Reg. Quod cor Regis consolatum est.
Cald. Quod esset in corde Regis exire ad, &c.
Syr. Cognouit placatum esse animum.
Vulg. Misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem : dixitque ad eam : Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, vt sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.
Pag. Præ te fer luctum obsecro.
Malu. Lugere te fac.
Arab. Esto sicut mæsta.
Vulg. Et ingredieris ad regem, & loqueris ad eum sermones huiusmodi. Posuit autem Ioab verba in ore eius.
Vulg. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, & adorauit, & dixit : Serua me rex.
Arias. Et incuruauit se.
Malu. Cecidit super vires suas, & procumbere se fecit.
Cald. Libera Rex.
Vulg. Et ait ad eam rex : Quid causæ habes? Quæ respon-

dit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus.
Arias. Profectò mulier.
Vulg. Et ancillæ tuæ erant duo filij: qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum.
Pag. Et non erat qui erueret inter eos.
Sept. Qui eximeret, & percussit vnus vnum fratrem suum.
Vulg. Et ecce confurgens vniuersa cognatio aduersum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit & deleamus heredem: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquæ super terram.
Pag. Propter animam fratris quem occidit, &c. Et extinguunt prunam meam, &c. & non ponam viro meo nomen.
Malu. Et mori fecimus eum in anima, &c. & extinguunt carbonem meum.
Cald. Propter culpam animæ fratris sui, quærunt occidere etiam vnicum, qui relictus est.
Syr. Ita vt non relinquam fratri eius nomen, vel profaniam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cor Regis versum esset ad Absalom. Alij, *Cor Regis super Absalom*, sed subintelligendum pronum, nempe quod desiderio habendi Absalonis teneretur, vt ex eo consolationem haberet. Vnde Sept. *Cor regis consolatum est. Heu mulier:* Alij, *profecto.* Est vox אכל quam eruditè *Vulg.* vertit heu, quasi dicat, luctus mihi, quæ mulier vidua sum, à verbo אכל *abal*, lugere. Alij pro particula affirmatiua accipiunt, nempe, *profecto*, certè. *Quærunt extinguere scintillam.* Alij, *prunam.* Sed quanam sit illa scintilla, optimè explicat *Cald.* dicens: *Quærunt occidere eum qui relictus est:* Sicut enim filij potentum lucernæ dicebantur, sic filij tenuiorum, scintillæ aut prunæ.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Y. 1.** **I**ntelligens autem. Descripta pœna Dauid ratione homicidij, hinc consequenter describitur eius pœna ratione adulterij, per hoc quod Absalon filius eius ipsum fugauit & vxores eius carnaliter cognouit, & hoc factum enorme omnibus manifestauit. Igitur circa hoc sic proceditur, quia primò describitur ipsius Absalon reuocatio, secundo contrapattrem conspiratio cap. 15. Circa primum præmittitur mulieris informatio, secundo informatæ petitio, ibi: *Itaque cum ingressa fuisset:* tertio petitionis interpretatio, ibi: *Dixit ergo mulier:* quarto regis concessio, ibi: *Et ait rex ad Ionadab.* Circa primum dicitur.
Intelligens. Quia videbat eum consolatum de morte Amnon & suspirantem post Absalon.
- MENOC.** *Cor regis versum esset ad Absalom.* Quod scilicet illi placator esset factus.
- LYRAN.** **Y. 2.** *Misit Thecuam* Nomen est villæ, de qua fuit Amos propheta, & in terminis illius sunt pasca bona.
Et tulit inde mulier, &c. Id est, prudenter & efficaciter loquentem.
Lugere. Ex hoc videtur esse falsum, quod aliqui dicunt hanc mulierem ad literam duos filios habuisse, quorum vnus interfecerat alium: quia tunc non fuisset simulatio luctus, sed veritas, nec esset locutio figuralis; sed magis rei gestæ: cuius contrarium dicitur infra: *Posuit in os ancille tuæ omnia verba hæc, vt verterem figuram sermonis huius.*
- ESTIYS.** *Misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem.* Sapientem, id est, quæ prudenter & gratiose sciret verba sua disponere, & loqui cum Rege; sicut fecerat Abigail vxor Nabal Carmeli. Sed quare Thecuam Ioab misit? An non in Ierusalem erat mulier aliqua sapiens? Fortè illa Thecuitis præ aliis singularem habebat gratiam. Vel potius idcirco externam Ioab adhibuit, quia narrare debebat aliquid obscurum & incognitum regi. Si autem fuisset Ierosolymitana, quæ tale quid narrasset, potuisset statim refelli à Rege dicente: Ego Ierosolymis habito, & tamen nihil tale, quale tu narras, ad aures meas peruenit.
- A** *Misit Thecuam.* Ea fuit olim vrbs tribus Iuda à Bethlehæm distans duobus milliaribus.
Plurimo tempore lugens mortuum. Non funeris exequias celebrans, quæ paucis diebus finiebantur, sed mærens pro sua in defunctum beneuolentia, & damno accepto. Hæc omnia adornantur ad ciendam in Dauide misericordiam.
Posuit verba in ore eius. Quasi mulieris ore ipse loqueretur, & parabolam, qua vteretur docens, & illius apodosis, & usum.
Itaque. Hinc consequenter ponitur mulieris informatæ à Ioab petitio, cum dicitur.
Serua me. Quasi dicat, reputo me mortuam nisi iuues me.
Serua me rex. Familiaris supplicum, & quasi legitima hæc erat formula. Hinc etiam monet Dauid 1. Paralip. 16. v. 35. vt omnes Deo supplices eadem vtantur formula, *Salua nos Deus.* Et frequenissimum erat in Hebræorum orationibus Osanna, id est, salua obsecro.
Heu mulier vidua ego sum. Istud erat verum ad literam.
Quid causa habes. A quonam periculo, aut malo eripi cupis?
Et ancilla tua erant duo filij. Totum quod sequitur est parabola conficta, propter illud quod explicatur postea.
Nullusque erat. De insurrectione vnus contra alterum, & per consequens nullus erat qui posset ferre testimonium contra interfectorem.
Et percussit alter. Hoc non dixit mulier confitendo quod ita esset, sed repetendo quod dicebant persecutores filij, non habentes tamen legitimam probationem contra eum, ideo sequitur. *Et ecce.* Sequitur.
Interfecit eum. Non fatetur crimen vidua, cum id testibus conuinci non posset, neque id reus fateretur, sed accusatorum orationem referebat, vt placet Abulensi.
- MENOC.**
- LYRAN.**
- Y. 6.**

LYRAN. *Et deleamus.* Quasi dicat, non quærunt hoc amore iustitiæ, sed ducti hæreditatis cupiditate, vt deoluatur ad eos quia sunt propinqui.
Et quærunt. Id est, nomen meum, & nomen viri mei defuncti, vt non sit ex parte eius, qui nominetur in hæreditate nostra. Sequitur regis responsio.
MENOC. *Trade eum qui percussit, &c.* Erant hi cognati ex parte patris, qui occiso filio superstite hæredes futuri erant, itaque non zelo iustitiæ, sed hæreditatis amore in viduam infurgebant.

A *Deleamus heredem.* Notat illorum intentionem, non enim hoc verbis dicebant, sed factis.

Extinguere scintillam meam, &c. In qua extinctus iam pridem pater reuiuiscat, & ego propediem moritura demceps viuam.

Non superstit. &c. Viri sui nomen memorat, tacet suum, quia filij patribus succedunt, non matribus, quæ nisi hæredes essent, quod fratribus carerent, nihil habebant. Filij etiam à patre denominabantur, vt cum dicitur Saül filius Cis, Salomon filius Dauid.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad II.

Vulg. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te.
Malu. Præcipiam super te.
Vulg. Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem, & thronus eius sit innocens.
Pag. Super me sit pœnæ iniquitas.
Malu. Prauitas, &c. & folium eius vacuum.
Cald. Super me sit culpa.
Syr. Crimen hoc mihi, & familiæ meæ imminet.
Vulg. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & ultra non addet vt tangat te.
Sepr. Rom. Quisquis est qui loquetur ad te, & duces eum, &c.
Vulg. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vliscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait. Viuit

Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram

Pag. Ne multiplicari faciat propinquos ad perdendum.

Arias. Redemptorem sanguinis ad corrupendum me.

Caier. Ad destruendum.

Malu. Ad funditus perdere, & non abolebunt filium meum.

Alij. Ne multiplicentur vindices.

Cald. Recordetur quid sit scriptum in libro legis Domini, vt multiplicetur via ante redemptorem legis.

Syr. Recordetur quod Dominus ob frequentiam renunciationis sanguinis haud interficit.

Arab. Memineris ô rex, quod Dominus tuus nequaquam puniat omnem homicidam, nec illico perimat eum, sed miserecat: ne permittas ergo, ô rex interfici filium meum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In me sit iniquitas, Alij, Pœna iniquitas. Non solum in me, sed & in familiam meam. Rex autem sit ab omni pœna liber. *Qui contradixerit tibi:* Alij, *Quisquis est qui loquetur ad te verbum,* volens tibi nocere. *Recordetur rex.* Cald. *Quod sit scriptum in libro legis Domini,* scilicet Num. 35. vbi occisoribus imprudentibus, & inuitis cauetur. *Non multiplicentur proximi sanguinis ad vliscendum,* Alij, *Ne multiplices redemptorem vindicem sanguinis* Vocant Heb. redemptorem sanguinis eum, ad quem spectat quærere vindictam, tanquam hoc sit redimere occisi sanguinem. Vide alibi.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 8.** **E**t ego iubebo. Scilicet, quod filius tuus non moriatur, supposito, quod tu dicas verum: & hoc erat iustum, quia filius eius non erat conuictus de homicidio per euentiam facti: nec per testes, cum essent soli in agro: nec per recognitionem propriam: & ideo istud debebat derelinqui iudicio diuino, dato quod sic esset in veritate.

MENOC. *Iubebo pro te.* Quod opportunum fuerit, ac necessarium fieri iubebo, ne premaris iniuste.

LYRAN. **Y. 9.** *Dixitque.* Non contenta ista responsione.

LYRAN. **Y. 9.** *In me, &c.* Quod sic exponunt Hebræi, & benè vt videtur. Domine mi rex propter multa negotia magna, & ardua poterit esse quod tu des obliuioni istud negotium, & tunc in me, & in domo mea erit hæc iniquitas, id est, filius meus interficietur à quærentibus eius sanguinem, & tu eris innocens, quia præter intentionem tuam istud fiet: quasi diceret, placeat tibi istud magis firmare, & me, & filium meum assurare.

MENOC. *In me Domine mi rex, &c.* Quasi dicat, si tu rex tibi à Deo times, quasi occisi fratris reum impunitum dimittere peccatum sit, in caput meum pœna iniquitatis huius deferatur, tu vero sis innoxius, nec tibi, aut regno tuo commodum vllum inde proueniat. Quamuis principes pro arbitrio nocentes impunitos dimittere non possint, poterat tamen Dauid in casu proposito, nam nec reus crimen fatebatur, nec aderant testes quibus reuinceretur. Itaque cum delictum non probaretur, nec pœna poterat infligi.

TIRINVS *In me sit iniquitas.* Quasi dicat. Si quis fortè scrupulus peccati, ô rex, te retardet, quo minùs filium meum fratricidam à debito legibus supplicio liberares, illud omne in caput meum deriuari volo. Sic & Abigail I. Reg. 25. v. 24. mariti sui peccatum: sic Rebecca Gen. 27. v. 13. maledictionem Isaac in se recepit.

Tom. IV.

B *Et ait rex.* Respondens huic petitioni.

Qui contradixerit tibi, &c. Quærendo sanguinem filij tui.

LYRAN.
Y. 10.

Adduc eum, &c. Et ego compefcam eum.

Adduc eum. Ego quippe ei nominatim interdiciam ne tibi, aut filio tuo molestiam exhibeat.

MENOC.

Quæ ait: &c. Adhuc non contenta ipso responso.

LYRAN.
Y. 11.

Recordetur. Et est intellectus huius mulieris, quasi dicat, proximi qui quærunt vltionem de filio meo sunt multi, nec possem omnes congregare simul, & adducere ad te, & si adducam vnum vel duos, alij interim interficiant filium meum. Et ideo recordetur rex Domini Dei sui, id est, firmet verbum suum iuramento per Deum, & per publicationem huius iuramenti, ita quod nullus audeat inuadere filium meum, propter quod sequitur:

Qui ait, &c. Acquietendo eius dicto.

Viuit Dominus. Id est, iuro per viuentem Deum.

Quia. Id est, seruetur non solum à morte, sed etiam à quacumque mutilatione quantumcumque modica.

Qui ait: &c. Quæritur quomodo hæc sententia Dauid non fuerit iniusta, siue intelligatur de filio mulieris viduæ

ESTIVS.

parabolico, siue de Absalon? Cum lex præcipiat eum per manus propinquorum occisi interficiendum, qui quempiam volens occiderit? Respondeo filium mulieris prout sonat parabola, non fuisse conuictum de homicidio, neque per confessionem propriam, neque per facti euentiam, neque per testes: cum parabola habeat, quod soli essent in agro, nemine præsentem, qui eos prohibere posset. De Absalone autem dicunt, quod quando occisus est Amnon non nisi consanguinei, & domestici essent præsentem: tales autem non sunt idonei ad testimonium ferendum. Sed hæc responsio non sufficit. Nam in parabola mulier fatetur eadem à filio factam. Quod ad Absalonem at-

St iij

tinet, factum erat euidens, & ipse per fugam suam satis agnoscebat cædem à se perpetrata. Videtur ergo aliter ad hanc difficultatem respondendum. Nempe, quando propinqui viciniore occisi consentiebant, vt homicida à Iudice in gratiam reciperetur, tunc iudex primarius, qualis erat rex in populo Israëlítico, tanquam totius Reip. saluti per huiusmodi commiserationem nonnumquam consulens, habebat potestatem recipiendi homicidam in gratiam, & prohibendi, ne quis aliorum ei vim inferret.

In proposito autem, proxima filio erat mater, & proximus Amnon occisi erat pater David.
Non multiplicetur, &c. Quia mulier dixerat vniuersam cognationem aduersus ipsam consurrexisse, petit à rege vt non tantum qui proximus est, ac habet primum ius ad accusandum, ab accusatione repellatur, sed alij quoque qui illo recedente illius iuri succedunt, ne multiplicentur vltiores fusi sanguinis, sed plane ab omni molestia liberetur.

VARIETAS LECTIONVM. *Vers.* 12. 13. & 14.

V*Vlg.* Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad Dominum meum regem, verbum. Et ait: Loquere.
Vulg. Dixitque mulier: Quare cogitasti huiusmodi rem contra populum Dei, & locutus est rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum?
Pag. Tanquam delinquens, vt non reducat rex expulsam suam?
Vatab. Tanquam imprudens.
Malu. Ad quid reputasti secundum istud, & loquens rex verbum istud sicut peculiaris?
Sept. Rom. Numquid ex ore regis, verbum hoc tanquam delictum?
Cald. Sicut vir culpatus.
Arab. Quare dixisti eum qui punitorem meretur, omnino puniendum, nec illi parcendum, & quare non reduces errantem?
Vulg. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire ani-

mam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est.

Pag. Moriendo enim morimur, & veluti aquæ, quæ defluunt in terram, quæ non congregantur, & non accipiet Deus animam, sed cogitabit cogitationes, vt non expellat abs se expulsam.

Cald. Sicut aquæ delapsæ in terra quæ non congregata, & non eleuabit Elohim animam.

Malu. Quia mori faciemus, & sicut aquæ tractæ in terram, &c. & reputabat reputationes, ac nequaquam impellet de à se impulsam.

Sept. Rom. Et accipiet Deus animam, & cogitans expellere à se expulsam.

Reg. Non auferet Deus animam.

Cald. Quia mors quæ morior, est sicut aquæ, &c. quia non possibile est illis quod congregentur.

Arab. Et nullius hominis opus est ei abstrusum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V*T peccet, & non reducat eiectum suum, Alij, Tanquam delinquens, imprudens.* Illud, *vt peccet*, volunt intelligi, vt non sit peccator vel delinquens, qui non vult condonare. Alij vt peccet, referunt ad Absalon: quasi dicat: eris ei occasio idololatriæ, manendo inter idololatras, vt eum reuoces. Nomen autem adiectiuum *non aschem*, exponitur afflatus, abominabilis, reus, piacularis. *Quasi aquæ dilabimur:* Alij, *Veluti aquæ delapsæ, tractæ*, id est, sparsæ in terram. *Quæ non reuertuntur.* Alij, *Quæ non colligentur*, tanquam à terra absorptæ. *Non vult Deus perire animam,* Alij, *Non suscipiet animam*, id est peritonam, vt eam à morte eximat. *Sed retractat cogitans,* Alij, *Cogitabit cogitationes*, id est, intensissimè, & profundissimè cogitat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ŷ. 12.* Dixit ergo mulier: &c. Hic consequenter ponitur prædictæ parabolæ interpretatio: in qua per mulierem accipitur ipse David. Per duos filios mulieris duo filij regis, id est, Amnon & Absalon. Per cognationem defuncti intelliguntur amici ipsius Amnon quærentes vindictam de morte eius. Et per hoc concludit, quod sicut rex sententiauerat pro filio suo vt non moreretur, sic deberet sententiare pro Absalon, vt ab exilio reuocetur: quod quidem exilium mors est ciuilis. Præmittit tamen mulier tres rationes inducentes ad misericordiam circa Absalon. Prima accipitur ex parte maioris mali euitandi, quia Absalon, & illi qui cum eo erant fugitiui in terra idololatriæ subditi, propter quod erant in periculo declinandi ad idololatriam per eorum suggestionem, vel inductionem inter quos habitabant. Ad quod euitandum erant reuocandi ad terram Israël in qua Deus colebatur: & hæc ratio tangitur, cum dicitur.

etiam hostibus remitti: quod nisi faciat Absalomo David plurium toti populo, & grauissimorum malorum causa erit, cum Absalon (vt post euentius apparuit) multorum ad se studia atque animos, qua erat morum suauitate, pellegerit, qui causa illius reducendi arma libenter summent, sicut fecere postea in causa, quæ nullam præ hactenus videbatur habere speciem æquitatis.

Omnes mori. Quasi dicat, ex quo tu non potes euocare effectum, reuoca viuum. Tertia ratio accipitur ex parte Dei, cuius proprium est parcere, & misereri, & hæc ratio tangitur hic cum dicitur.

Nec vult Deus, &c. Scilicet, peccatoris, licet ipsum offenderit.

Sed retractat cogitans, &c. Tempus pœnitentiæ concedens.

Ne pœnitens pereat qui abiectus, &c. Pœna gehennæ.

Qui est ab eo, &c. Per offensam mortalis culpæ: quasi diceret hæc mulier: tu es quasi loco Dei in regimine populi, propter quod debes ei in pietate conformari. Nunc procedit ad applicandum negotium, dicens:

Omnes morimur, &c. Altera ratio est, quasi dicat, quod factum est, infectum esse non potest, qui mortuus est exitio viui non reuocatur ad vitam. Cur ergo malum malo cumulemus, & non potius venia, & indulgentia illud reparare studeamus?

Nec vult Deus perire animam, &c. Altera ratio petita ex Dei exemplo, qui respicienti peccatori noxam condonat, etiamsi abiectus sit, quod scilicet diuina excideris gratia.

Retractat. Sententiam mutat.

LYRAN. *ŷ. 13.* *Quare cogitasti.* Id est, contra Absalon, & socios eius qui erant de populo Dei.

Et locutus, &c. Præbendo eis occasionem idololatrando, eò quod non permittit eos redire ad locum vbi est cultus Dei. Secunda ratio accipitur ex parte defuncti, qui ad vitam reuocari non potest ex persecutione Absalon, & hæc ratio tangitur, cum dicitur.

MENOC. *Contra populum, &c.* Quasi dicat, nisi reuocetur hic exul, peccaturus est, & futurus cultor idolorum in damnum, & dedecus populi Dei.

TIRINVS *Quare locutus est, &c.* Id est, quare decreuit, quod non reducat eiectum filium suum Absalomum? Quod & contra populum Dei est, id est, contra omnium vota, & bonum totius regni: & peccatum in Deum, qui vult offensas

MENOC

LYRAN ŷ. 14

MENOC

TIRINVS Omnes morimur, &c. Non est ergo cur Absalomum a propria morte de medio tollere festines, cum vita illius sponte sua properet celerrimè ad mortem. Et quid proderit Amnoni vindicta sui causa quaesita, cum non possit quantumcumque magna reuocari in vitam qui iam mortuus est, & instar aquae in terram dispersus euauit? ita Vatablus & Sanctius.

VARIETAS LECTIO NVM à Vers. 15. ad 17.

Vulg. Nunc igitur veni, vt loquar ad Dominum meum regem verbum hoc, praesente populo: Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quomodo faciat rex verbum ancillae suae.
Lyran. Et tunc cum veni ad loquendum cum Domino meo verbum hoc, terruit me.
Pag. Terruerunt me populus.
Caier. Quia facient timere me populus.
Tigur. Etiam si deterruerint me quidam è populo.
Sept. Rom. Quia aspiciet me populus, & dicet ancilla tua.
Reg. Et nunc pro quibus vt loquar ad regem verbum hoc.
Arab. Iam igitur exposui o rex quod habebam, quia infestante me populo dixi: Exponam regi haec omnia, vt fortè eripiat ancillam suam de manibus hominum.
Vulg. Et audiuit rex, vt liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hereditate Dei delere me,

& filium meum simul.
Pag. De manu viri volentis perdere me.
Malu. De vola viri ad abolere me, & filium vnitè.
Sep. Quoniam audiet rex: Eruat ancillam, &c.
Vulg. Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum Domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim est Angelus Dei, sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: Vnde, & Dominus Deus tuus est tecum.
Pag. Sit obsecro verbum Domini ad requiem, &c. vt audiat quod bonum est, & malum.
Malu. Erit obsecro verbum sustentatoris mei regis residentiae.
Aliqui. Ad consolationem.
Sep. Rom. Sit iam sermo Domini in sacrificia.
Cald. Et dictum Domini Dei tui sit in auxilio tuo.
Arab. Sicut tribuitur Angelo Dei audire bonum, & malum, sic tribuetur Domino meo regi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Loquar praesente populo. Alij, *Terruit me populus.* Heb. est יראני *ierenni*, quod aliqui deducunt à ירא *iara*, quod est petterere, timore afficere, Vulg. & Sep. à ראה *raah*, quod est videre: sed iuxta utramque significationem excusat quod factum est, necessariò fecisse, vt pro suomet filio oraret, vel ob metum populi malum minantis, ne faceret, vel vt illi satisfaceret, qui id cupiebat, sicque ea vidente, & praesente. *Vt fiat verbum Domini sicut sacrificium.* Alij, *Ad quietem, consolationem.* Heb. est מנחה *minchah*, sed si diuersis punctis legatur, nunc sacrificium, oblationem, nunc quietem, & consolationem significabit. *Vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.* Quod alijs verbis, alijs vertunt, *Vt audiat quod bonum est, & malum*, vt scilicet depositis humanis affectibus Angelica aequitate ferat iudicium.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 15.** **N**unc igitur veni. Scilicet vt sententia ab eo data pro me, & filio meo, & iuramento tuo confirmata publicetur coram populo, vt eandem efficaciam habeat in te, & filio tuo.

MENOC. *Nunc igitur veni.* Ego scilicet. Heb. est. *Et nunc quod veni*, id est, causa propter quam veni.

Praesente populo. Ex Heb. verti potest. *Quia terruit me populus.* Potestque locus hic explicari vel de Absalone, vel de filio viduae. De hoc quidem vt sit sensus, volui haec dicere praesente populo, vt omnes nouerint sententiam regis filium meum absolutis. Ita Theodoretus, & Abulenlis. De Absalone verò vt sit sensus, Parabolam proposui tibi rex in gratiam populi, quem vidi mactum ob exilium Absalonis, & quem hoc tuo beneficio exhilarabis.

LYRAN. **Y. 17.** *Dicat ancilla tua.* Id est, possit verè dicere. *Vt fiat verbum Domini.* Id est, sententia ab eo data sit Deo placita sicut sacrificium. Sed videtur quod ista mulier per parabolam praemissam non concludat intentum, quia parabola sua est de homicidio occulto, quod non poterat probari: vt patet ex praedictis. Absalon autem interfecerat Amnon per seruos suos palàm coram multis: & sic habebantur testes contra eum. Ad quod respondet Ra. Sa. quòd omnes illi qui fuerant praesentes interfecioni Amnon, qui poterant pro testimonio induci, erant propinqui ipsius defuncti, vt satis patet ex praedictis: & ideo non erant idonei ad ferendum testimonium in hoc casu. Et si dicatur, quod similiter erant ita propinqui ipsi Absalon; Dicendum, quòd nò est verum, quia Absalon erat de matre alienigena, vt patet per praedicta: Amnon verò erat de matre Israëlita, & per consequens de populo Israël, qui populus alienigenas abominabatur. Aliter autem soluunt

alii, dicentes quòd quando propinqui alicuius occisi consentiebant in concedenda pace interfectori, rex habes curam totius populi ad petitionem eorum poterat hoc concedere: & talis casus proponebatur in parabola: videlicet quod mater quae erat propinquisissima interfecto, petebat pacem interfectoris. Et eodem Dauid, qui erat propinquisissimus ipsi Amnon interfecto, & cum hoc erat rex, habes curam communitatis poterat reuocare Absalon, absque offensa legis: & maxime, quia Amnon magnum flagitium fecerat, vt patet per dicta. Caetera patent in litt.

Dicat ergo ancilla tua. Obtineat ab humanitate, & benignitate tua.

Fiat verbum regis, &c. Sententia quam pronuntiasti rata sit, & immutabilis, ideoque Deo grata vt sacrificium.

Sicut enim Angelus Dei. Quasi dicat, hoc etiam decet constantiam tuam, qui instar es Angeli, vt sermonibus hominum non mouearis, siue bene, siue male de te sentiant, & loquantur, modo facias quod iustum est, & consentaneum diuinæ legi.

Est tecum. Tibi fauet, rebusque tuis.

Fiat verbum Domini. Puta promissum de indemnitate fratricidae curanda, fiat, inquam, *sicut sacrificium*, id est sacrosanctum, ratum, inuiolatum, & cui nihil vlla ex parte desit, quòd non perfecte compleatur. Et licet fortè defuturi non sint, qui vel odio, vel peruerso studio id dissuadeant: hoc regem morari non debet, utpote qui sicut Angelus Dei, neque de verbis, aut opinione hominum quidquam laborat, neque ab illis vel maledictionem, vel benedictionem aut quaerit, aut curat: sed solùm quid religio, quid diuina voluntas exigat, inquirat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 18. ad 24.

Vulg. Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas à me verbum, quod te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere Domine mi rex.

Vulg. Et ait rex: Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, & ait: Per salutem animæ tuæ, Domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dextram est, ex omnibus his quæ locutus est Dominus meus rex: seruus enim tuus Ioab, ipse præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc.

Pag. Num consilium Ioab? Per vitam animæ tuæ non est qui possit declinare ad dexteram, &c.

Arias. Si vit ad dextrandum, & ad sinistrandum.

Cald. Si non est declinandum ad dexteram.

Arab. Non deflexi à dicto regis.

Syr. Non defleat ab omnibus quæ dixit mihi Dominus meus rex.

Vulg. Vt verterem figuram sermonis huius, seruus tuus Ioab præcepit istud: Tu autem Domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.

Pag. Vt verterem faciem verbi.

Arias. Propter vertere facies.

Malu. Et in transitione circumgyrare facies verbi fecit.

Sep. Reg. Vt circumduceret figuram.

Cald. Vt immutarem.

Syr. Vt mihi morem gereres, ideo sic fecit Ioab.

Arab. Vt mihi assentireris.

Vulg. Et ait rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: Vade ergo, & reuoca puerum Absalom.

Malu. Reuertere fac excusum.

Vulg. Cadenſque Ioab super faciem suam in terram, adorauit, & benedixit regi: Et dixit Ioab: Hodie intellexit seruus tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, Domine mi rex: fecisti enim sermonem serui tui.

Arias. Incuruauit se.

Malu. Procumbere se fecit.

Syr. Noui nactum me esse clementiam.

Arab. Cognoui me consecutum esse honorem, & beneuolentiam.

Vulg. Surrexit ergo Ioab, & abiit in Gesſur, & adduxit Absalom in Ierusalem.

Vulg. Dixit autem rex: Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat: Reuersus est itaque Absalom in domum suam, & faciem regis non vidit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nec ad sinistram, nec ad dexteram est, &c. Alij, Non est vit ad dextrandum, & ad sinistrandum. Nullus me tergiuersari faciet cūm veritatem tibi apertiam. Vt verterem figuram sermonis huius, Alij, Vt immutarem faciem verbi, ut scilicet proponerem tibi sermonem hunc figuratum, & eum deuoluerem ad Absalom. Sept. Rom. legunt ut Vulg. sed Compl. & Reg. habent, Vt circumduceret, scilicet ancilla tua.

ANNOTATIONES.

MENOC. ¶ 19. **N**umquid manus Ioab. Id est, nonne opera eius, & a consilio vsus es in hoc toto negotio tuo?

Nec ac sinistram, &c. Quasi dicat, rem ipsam attingisti, planè dixi quæ ille suggestit. Non dissimulat mulier auctorem parabola, siue quia Ioab illi id permiserat, siue quia cum cor regis versus esset ad Absalom, ut supra dictum est, gratum erat illorum officium, qui de eo reuocando agebant.

MENOC. ¶ 20. *Verterem figuram sermonis huius.* Parabolam applica-

rem. *Sapiens es.* Quasi dicat: Fas mihi non est dissimulare diutius, aut sperare te falli posse, cum sis sapiens sicut Angelus, tantoque interuallo reliquos mortales post te relinquo, quanto Angeli Dei omnes homines sapientia antecedunt.

LYRAN. ¶ 21. *Et ait rex ad Ioab, &c.* Hic ponitur petitionis concessio, & quia facta erat per suggestionem Ioab, ideo concessio fit ei à rege. Et patet littera vsque ibi.

Verbum tuum. Quod scilicet interposita viduæ persona à me postulasti.

Puerum Absalom, vox puerum tacitam habet criminis excusationem ex imprudentia, feruore, & temeritate iuuenili. Vel etiam formula est blandè, indulgenter, & amanter filium charissimum appellantis.

Cadens super faciem suam. Pronus se inclinauit in terram in signum reuerentiæ.

Benedixit. Verbis officiosis, quæ sequuntur, gratias egit.

Reuertatur. Ni reuocaret ad memoriã, & præsentia sua mortem primogeniti, & sic dolor regis reuocaretur.

Faciem meam non videat. Quod factum est à Dauide, ut ferox Absalonis ingenium contineret in officio, utque ex poena diuturniore admissi criminis grauitatem agnosceret.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 25. ad 33.

Vulg. Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula.

Pag. Ita ut splendidus esset, & splenderet valdè.

Arias. Ad laudandum valdè.

Caiet. A planta pedis.

Tigur. Non fuit vir sic elegans, qui sic laudaretur supra modum, &c. non fuit quidquam reprehensibile in eo.

Malu. Ad extollere valdè.

Sep. Rom. Laudabilis valdè.

Cald. Ad cerebrum vsque non erat, &c.

Arab. Nullum vitium.

Vulg. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum casaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.

Lyrân. Statuto tempore tondebatur.

Pag. In fine anni ad annum, quia graue erat ei, &c. pondere regio.

Arias. In fine dierum ad dies.

Caiet. In lapide regis.

Malu. Et radere eum caput suum, & erit de extremitate dierum librabit pilum, &c.

Sep. Rom. Tonsus ponderauit in siclo regio.

Sep. Reg. Centum siclorum.

Cald. Et erat à tempore opportunitatis ad opportunitatem rondendi.

Ioseph. Octauo quoque mense.

Vulg. Nati sunt autem Absalom filij tres: & filia vna nomine Thamar, elegantis formæ.

Malu. Vita pulchra visionis.

Sep. Rom. addunt. Et fit vxor Roboam filio Salomonis, & paret ei Abia.

Vulg. Mansit itaque Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem regis non vidit.

Vulg. Misit itaque ad Ioab, vt mitteret eum ad regem : qui noluit venire ad eum. Cumque secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum.

Malu. Et non amauit venire ad eum.

Sept. Noluit aduenire.

Vulg. Dixit seruis suis : Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succederunt ergo serui Absalon segetem igni. Et venientes serui Ioab, scissis vestibus suis, dixerunt : Succederunt serui Absalon partem agri igni.

Pag. Videte possessionem Ioab iuxta locum meum.

Arias. Vide partem Ioab ad manum meam.

Malu. Conflagrare facite eam in igne.

Sept. Rom. Portio in agro ipsius contingua est mihi.

Vulg. Surrexit Ioab, & accessit ad Absalom in domum eius, & dixit: Quare succederunt serui tui segetem meam igni?

Pag. Possessionem.

Sept. Portionem.

Vulg. Et respondit Absalon ad Ioab : Misit ad te obsecrans vt venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei : quare veni de Gessur? Melius mihi erat ibi esse: Obsecro ergo vt videam faciem regis, quòd si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.

Arias. Et si est in me peruersitas, interficere me faciat.

Sept. Rom. Et nunc ecce faciem regis non vidi, si autem in me est iniustitia.

Cald. Si in me culpa.

Syr. Crimen.

Vulg. Ingressus itaque Ioab ad regem, nuntiauit ei omnia: vocatusque est Absalom, & intrauit ad regem, & adorauit super faciem terræ coram eo: osculatusque est rex Absalom.

Malu. Et procumbere se fecit ei super naves suas in terram faciebus regis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Decorus nimis, Alij, *Ad laudandum valdè.* Qui dignus esset ab omnibus laudari propter eximiam pulchritudinem suam. *Semel in anno tondebat*ur, Alij, *Statuto tempore, in fine dierum ad dies.* Vide Concord. 1. Reg. 1. v. 3. & v. 29. Leu. 25. dies enim plurali numero sæpius pro anno capiuntur. Lyran. *Statuto tempore,* quia secundum aliquos pluries tondebat capillus eius in anno. Ioseph. *Octauo quoque mense:* sed standum est *Vulg.* *Pondere publico,* Alij, *Regio, in lapide regis.* Quia pondera ex lapide fiebant. 200. siclis, Sept. Reg. 100. sed maioribus. Illi autem sicli non referendi ad pretium, sed ad pondus. Vnde in Heb. est, *לֶפֶס סָאֵל*, quod ponderabat, non vendebat.

Succederunt segetem igni, Alij, *Possessionem.* Hæc autem verba venientes serui Ioab vsque ad finem versus non habentur in aliis Exempl. sed solum in Sixt. non autem in Latin. Reg. & confodiuntur in Antuerp. ann. 1533. & in Plant. *Thamar elegantis formæ.* Sept. Rom. addunt. *Et fit uxor Roboam filio Salomon, & paret ei Abia,* quæ verba etiam habentur in M. S. meo Codice Latino paruo.

ANNOTATIONES.

MENOC. *Non erat in eo vlla macula.* Nullum planè vitium, nihil quod reprehendi posset, aut improbari.

LYRAN. *Semel autem.* In Heb. habetur, *statuto tempore,* quia sicut dicunt aliqui, pluries in anno tondebantur.

Ponderabat. Dicunt aliqui, quod tantum vendebat tonsionem capillorum mulieribus, quæ inde ornabant capita sua. Sed hoc non est verisimile, quod filius regis tonsionem capillorum suorum venderet. Præterea dicitur hic, quòd semel in anno ad minus tondebat. Crescentia verò capillorum vnus anni non videtur ita longa, quod inde possent fieri talia ornamenta; & ideo videtur magis probabile, quod scriptura solum faciat mentionem de hoc pondere, ad ostendendum quod habebat multos capillos, quod facit ad pulchritudinem hominis, quia de pulchritudine Absalon scriptura hîc loquitur.

Pondere. Hoc dicitur ad distinctionem ponderis Sanctuarij, quod erat alterius quantitatis. Cætera patent vsque ibi.

MENOC. *Ponderabat,* scilicet qui vendere volebat, fortassè ad B fœminarum ornatum. Pondus autem quidam referunt ad capillorum grauitatem, alij ad pretium quo vendebantur.

Ducentis siclis. Sæpius dictum est, siclum vnum argentum quatuor regalibus Hispanicis æquiuale.

Pondere publico. Heb. Cald. & LXX. habent, *Regio,* id est, iusti ponderis. Sic dicimus Italicè, *questo scudo è di peso.*

TIRINVS *Ponderabat Absalon.* Id est, appendebat venales, *capillos capitis sui ducentis siclis,* seu florenis Belgicis, id est ducatis, seu scutis aureis octoginta, monetæ Romanæ. Tanti fiebant, vel pauculæ vnciæ tam nobilis capillitij. Neque enim hic de pondere agitur (vt putat Mariana, & quidam alij) sed de pretio. Nam prodigiosum esset, imò ridiculum, capillis vnus hominis anniuersaria tonsione tantum ponderis inesse, quantum non habent bina ouium, aut caprarum vellera: nempe octo libras Romanas cum triente. Non est tamen verosimile, Absalomum regis tanti filium,

A quæstum ex capillis suis publicè venum propositis quæsiuisse: sed dono dabat cui volebat è suis: qui deinde pretium quale dixi, à puellis Solymitanis, flauos illos ac rutilos capillos in sui capitis adscitium ornatum magna contentione ambientibus, facile extorquebant, ita Sanctius, & alij.

Nonne Thamar. Vel pater id nomen filia dedit in memoriam, aut desiderium sororis suæ, vt ait Abulensis: aut ipsa potius amittæ, quæ cum Absalone morabatur, nepti nomen suum attribuit, consentiente patre.

Vt mitteret eum ad regem. Vt illo vteretur tanquam legato apud patrem. Probabile est Absalonem non habitasse Hierosolymis, sed in agro suo aliquo, hancque procraftinationis Ioab causam fuisse.

Et venientes. Ilte versus non est in Hebræo, sed immèdiatè subditur.

Surrexitque itaque. Ad sciendum causam dampni sibi illati.

Quare veni, &c. Quasi dicat, nihil valet mihi, ex quo non possum accedere ad regem, imò nocet: ideo subditur.

Melius mihi. Quia tunc non erat mihi confusibile faciera patris mei non videre: sed ex quo sum in eadem ciuitate, est mihi valdè confusibile.

Quod si memor. Nolens me videre. Hoc dicebat Absalon, ad inclinandum cor Dauid, fingens quod tantum eum diligeret, quod magis vellet mori, quam diutius ab eius consortio segregari.

Misit ad te, &c. Etsi non habeatur in sacro textu, dubitandum tamen non est, quin Ioabo illarum damnum se reparaturum promiserit, blandè compellarit, rogaueritque vt quod apud regem optabat expediret.

Osculatus est rex Absalom. Eum morem frequentem fuisse apud Hebræos, præsertim in reconciliatione filiorum ex parabola filij prodigi in parentis gratiam recepti. Luc. 15. 20. intelligi potest.

MENOC. V. 27.

MENOC. V. 29.

LYRAN. V. 30.

LYRAN. V. 31.

LYRAN. V. 32.


MENOC.

MENOC. V. 33.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS.

Absalom conciliato sibi variis fraudibus favore populi, aduersus patrem suum coniurat in Hebron. Dauid urbe excedit cum suis, remisso eo Chusai, vt consilium Achitophel subuertat.

I.  Gitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum. 2. Et manè confurgens Absalom, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israël ego sum seruus tuus. 3. Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni & iusti. Sed non est qui te audiat constitutus à rege, dicebatque Absalom: 4. Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iustè iudicem? 5. Sed & cum accederet ad eum homo vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens, osculabatur eum. 6. Faciebatque hoc omni Israël venienti ad iudicium, vt audiretur à rege, & sollicitabat corda virorum Israël. 7. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea quæ voui Domino, in Hebron. 8. Vouens enim vouit seruus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino. 9. Dixitque ei rex Dauid: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron. 10. Misit autem Absalom exploratores in vniuersas tribus Israël, dicens: Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron. 11. Porrò cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes. 12. Accersiuo quoque Absalom Architophel Gilonitem consiliarium Dauid, de ciuitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. 13. Venit igitur nuntius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom. 14. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Absalom: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. 15. Dixeruntque serui regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit Dominus noster rex, libenter exequemur serui tui. 16. Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius, pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. 17. Egressusque rex, & omnis Israël pedibus suis, stetit procul à domo: 18. Et vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. 19. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? Reuertere, & habita cum rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. 20. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi? Ego autem vadam quo iturus sum: reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam, & veritatem, quia ostendisti gratiam & fidem. 21. Et respondit Ethai regi, dicens: Viuit Dominus, & viuit Dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus. 22. Et ait Dauid Ethai: Veni, & trāsī. Et trāsīuit Ethai Gethæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo. 23. Omnesq; flebant voce magna, & vniuersus populus transibat: rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum. 24. Venit autem, & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei, & deposuerunt Arcam Dei: & ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate. 25. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta Arcam Dei in vrbem: si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. 26. Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat quod bonum est coram se. 27. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O videns reuertere in ciuitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Ionathas filius Abiathar, duo filij vestri, sint vobiscum. 28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi. 29. Reportauerunt ergo Sadoc, & Abiathar Arcam Dei in Ierusalem: & manserunt ibi. 30. Porrò Dauid ascendebat cliuum oliuarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. 31. Nuntiatum est autem Dauid, quod & Achitophel esset in coniuratione cum Absalom, dixitque Dauid: Infatua, quæso, Domine consilium Achitophel. 32. Cumque ascenderet Dauid summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite. 33. Et dixit ei Dauid: Si veneris mecum, eris mihi oneri. 34. Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom: Seruus tuus sum, rex: sicut fui seruus patris tui, sic ego seruus tuus: dissipabis consilium Achitophel. 35. Habes autem tecum Sadoc, & Abiathar sacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc, & Abiathar sacerdotibus. 36. Sunt autem cum eis duo filij eorum, Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar: mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis. 37. Veniente ergo Chusai amico Dauid in ciuitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem.

VARIETAS LECTIONVM à Verf. I. ad 6.

Vulg. Igitur post hæc fecit sibi Abfalom currus, & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum.

Arias. Currum, & equos qui currerent ante se.

Cald. Satellites ante se.

Syr. Tabellarios sibi præcurrentes.

Arab. Quinquaginta pedites.

Vulg. Et manè consurgens Abfalom, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium vt veniret ad regis iudicium, vocabat Abfalom ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israël ego sum seruus tuus.

Pag. Iuxta locum viæ portæ, &c. cui esset causa vt veniret ad regem pro iudicio.

Arias. Super manum viæ portæ.

Caiet. Super viam portæ, &c. qui habebat litem.

Malu. De vno baculorum Israël seruus tuus.

Sep. Reg. Stabat in via portæ.

Cald. Super stratum viæ portæ.

Syr. Secus ianuam regis.

Vulg. Respondebatque ei Abfalom, Videntur mihi sermones tui boni & iusti. Sed non est qui te audiat constitutus à rege, dicebatque Abfalom.

Malu. Verba tua bona & recta, & tibi non audiens, non tibi ad regem.

Sep. Rom. Ecce verba tua bona, & facilia.

Arab. Sermo tuus rectus, & consentaneus.

Vulg. Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iustè iudicem?

Pag. Et iudicium, & iustitiam faciam ei.

Arias. Et iustificabo eum. *Ita etiam Sep.*

Malu. Quicumque litem haberet ac petitionem.

Vulg. Sed & cum accederet ad eum homo vt saluaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens, osculabatur eum.

Arias. Et erat in appropinquando virum ad incuruandum se ei.

Malu. Et obtinebit ei.

Sep. Cum appropinquaret vir ad adorandum eum.

Vulg. Faciebatque hoc omni Israël venienti ad iudicium, vt audiretur à rege, & sollicitabat corda virorum Israël.

Pag. Furabatur cor.

Sep. Rom. Faciebat suum cor virorum Israël.

Syr. Abduxit cor.

Arab. Inclinarunt corda omnium Israëlitarum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Currus & equites, Alij, Currum & equos. Sed cum currus sit nomen collectiuum, potest sumi pro multis curribus, vt habet Vulg. Nomine equorum equites intelliguntur. Et 50. viros qui præcederent eum, Alij, Satellites, qui currerent ante eum, &c. Id est, parauit sibi satellitium regium: Iuxta introitum portæ. Benè Syr. Secus ianuam regis. Et iustè iudicem, Alij, Et iustificabo eum, innocentem indicans. Sollicitabat corda, Alij, Furabatur. כנא ganab, conciliare, attrahere, delinire, & minus furari significat. Hæ ergo artes, vt habet Arab. inclinarunt ad Abfalonem corda Israëlitarum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *v. 1.* **I**gitur post. Descripta reuocatione Abfalom, & eius reconciliacione, hic consequenter describitur eius conspiratio contra patrem, & primo qualiter eum fugauit, secundo qualiter fugatum scèdauit, c. 16. tertio qualiter de morte eius tractauit c. 17. quarto qualiter Dei iudicio interit c. 18. quinto quomodo Dauid ad domum regiam rediit c. 19. Circa primum primo ponitur ipsius Abfalom deceptio simulatoria. Secundo conspiratio proditoria, ibi: *Misit autem Abfalom.* Tertio ipsius Dauid humiliatio meritoria, ibi: *Et ait Dauid.* Quarto eius ordinatio consultiua, ibi: *Et dixit rex.* Simulatio autem Abfalom fuit in duobus: quia primo simulauit maximum zelum erga populum. Secundo, deuotionem erga Deum, ibi: *Post quædraginta autem annos.* Circa primum dicitur.

Igitur post. Id est, post reconciliacionem Abfalom cum patre, confidens de patris benignitate, & de Ioab familiaritate: & eleuatus sua pulchritudine, & quia inter ceteros filios Dauid remanentes, erat primogenitus, quia Cheleab erat mortuus, quod videtur ex hoc quia de eo non fit aliqua mentio.

Fecit sibi Abfalom, &c. Quasi quoddam preludium, quod deberet regnare post patrem suum. Sed eius ambitio in tantum inualuit, quod patrem de regno expellere voluit, & ideo corda populi ad se trahere disposuit: ideo subditur.

Fecit sibi Abfalom currus, &c. Non iam æquo animo ferrens vitam priuatum, sed regiam dignitatem, & illius insignia ante tempus affectans.

Et mane, &c. Id est, antequam aliquis intraret ad regem.

Stabat iuxta, &c. Ita quod omnes illi qui ingrediebantur ad regem pro negotiis, habebant iuxta eum transire.

Et omnem virum, &c. Pauperem vel diuitem, vt magis coloraret fictionem suam.

Iuxta introitum portæ. Vbi iuxta illius æui morem, prætorium erat, & iudicia exercebantur.

Ex vna, &c. Ex tali tribu, illius edens nomen.

Tom. IV.

Iuxta introitum portæ. Putà ciuitatis Ierosolymitanæ, vbi publicæ disceptabantur causæ, & frequentes populorum conuentus.

Videntur mihi sermones, &c. Quasi dicat, statim deberet petitio tua exaudiri.

Sed non est. Quasi dicat; rex iam est antiquus, nec potest competenter intendere talibus, & ideo magnum damnum est, quod alius habens zelum communitatis, ad hoc non est constitutus.

Non est qui te audiat constitutus à rege. Falsum hoc, nam de Dauide dictum est c. 8. huius libri num. 15. *Et regnauit Dauid super omnem Israël, &c.* Et ipse per se audiens, & idoneos iudices constituens.

Non est, &c. Quasi dicat, iudices quos rex constituit, omnes corrupti sunt, neque fauebunt causæ tuæ, licet æquissimæ, vt pote muneribus in transuersum acti. Neque enim iam religio, aut iustitia, sed sola largitio ac priuata commoditas dominatur in foro.

Quis me constituat iudicem. Quasi dicat, pro necessitate populi, & non pro alia re pondus illud sustinerem.

Omnes qui habent negotium. Omnes indiscriminatim, & sine delectu vocabat ad se, vt ostenderet se non respicere personam hominum, sed tantum de bono communi esse sollicitum.

Sed & cum accederet ad, &c. Tamquam regis filium.

Extendebat manum suam, &c. In signum familiaritatis.

Osculabatur eum. In signum magnæ condescensionis.

Cum accederet ad eum homo vt saluaret illum. In Hebræo est, *Cum appropinquabat quispiam, & incuruabat se ei.*

Extendebat manum suam. Illum humanissimè erigebat, complectebatur, osculabatur.

Et sollicitabat corda, &c. In Heb. habetur, כנא vaigan-neb, id est, furatus est, seu furabatur corda: quia per tales

T

LYRAN. v. 1.

TIRINVS

LYRAN. v. 3.

MENOC.

TIRINVS

LYRAN. v. 4.

MENOC.

MENOC.

LYRAN. v. 5.

LYRAN. v. 2.

MENOC.

MENOC.

LYRAN. v. 6.

fictiones falsas iniuste attrahebat ad se corda hominum, ut sic ei iungerentur contra patrem suum: quia propter talia eis impensa, iudicabant, & dicebant eum esse regno dignum.

ESTIUS.

Et sollicitabat corda virorum Israël. Significantius hoc in Heb. dicitur: *Et furatus est Absalom cor virorum Israël:* Quasi dicat, huiusmodi dolis, & artibus inibat gratiam apud Israëlitas, & animos eorum sibi conciliabat. Quibus vero artibus id facere conatus, præcedentia declarant: ubi legitur benignè ac blandè suscepisse omnes, quibus erat negotium in aula regis: deinde simulasse, quod doleret causas eorum alioqui iustas, & bonas, negligenter tractari, quasi non esset quisquam à rege constitutus ad eas cognoscendas. Quod apparet omnino fuisse mendacium, nam & ipse rex superiori capite, per se audiuit querelam mulieris Thecuitæ: Ac tum denique Ab-

salom specie boni publici mentionem regni iniicit, dicens, *Quis me constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuste iudicem?* Addit Scriptura. *Sed & cum accederet ad eum homo, ut salutaret, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum.* En pulchrè nobis in Absalome depingitur ingenium hominis aspirantis ad principatum, aut magnas dignitates. Hoc enim primum est, ut venetur corda plebis simulata humanitate, & hoc, tum promissa libertate, tum etiam culpando negligentiam, vel etiam iniquitatem, & tyrannidem legitimi principis. Exemplum in Belgio nostro nimis notum est.

Sollicitabat corda. In Heb. est. *Furabatur corda*, etiam Italicè de eo qui cum egregiis animi, corporisque dotibus sit ornatus, benignus est, & humanus: dicimus, *Rubba il cuore delle persone.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 12.

Vulg. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea quæ voui Domino, in Hebron.
Arias. Et fuit in fine quadraginta, &c.
Malu. Pacificaui votum meum.
Bibl. antiq. Post 4. annos.
Hugone Cardinale teste aliqui habent. Post sex annos.
Alij. Post quinque.
Vulg. Vouens enim vouit seruus tuus, cum esset in Gessur Syria, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino.
Pag. Seruiam Domino.
Arab. Adorabo Dominum.
Vulg. Dixitque ei rex Dauid: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron.
Vulg. Misit autem Absalom exploratores in vniuersas tribus Israël, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: regnauit Absalom in Hebron.
Arias. Misit vestigatores.
Malu. Pedetantes in omnibus baculis Israël, secundum audire vocem tubæ.

Sep. Rom. Vocem cornæ.

Arab. iam regnauit.

Vulg. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes.

Pag. Imitati, & ibant in simplicitate sua, nec sciebant quidquam.

Arias. Euntes in sua perfectione, nec sciebant omne verbum.

Malu. Ambulantes consummationi suæ.

Arab. Profecti fuerunt ignorantes, quid haberet in animo.

Vulg. Accersuit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid, de ciuitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrere augebatur cum Absalom.

Arias. Et fuit colligatio valida, & populus vadens, & multiplicans se.

Sep. Rom. Coactio fortis.

Cald. Rebellio.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Post 40. autem annos, Alij, Post 4. autem annos. Primæ lectioni suffragantur Codices Hebræi, Græc. Cald. & Arab. plurima Latin. Bibl. & meus antiquus Codex Gall. sed secundæ quæ est 4. annorum, plura etiam M. S. consentiunt: Ita tria quæ sunt ad vsum nostrum, sed nostræ standum, utpote quæ verissima, licet posterior facilius intelligatur, nam sic initium illorum 4. annorum, aut à reconciliatione patris, hoc est ab admissione Absalonis, aut ab introitu in Ierusalem sumeretur. Vide Lucam Brug. & Annot. *Sacrificabo Domino.* Alij, *Seruiam Domino:* scilicet ut hac voti mei solutione cultum patriæ Deo exhibeam. Sic enim Arab. *Adorabo ante Dominum.* *Euntes simplici corde,* Alij, *In sua perfectione,* seu in integritate sua, id est, nullo malo consilio.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 7.

Post quadraginta autem annos, &c. Hic consequenter ponitur fictio deuotionis erga Deum per sacrificium in Hebron offerendum. Absalom autem intendebat ibi conspirare contra patrem suum. Dicitur igitur. *Post quadraginta autem annos.* Aliqui libri habent: *Post quatuor annos:* Qui accipiuntur à fuga Absalom vsque tunc, secundum istam litteram. Sed quod sit falsa, patet ex duobus, quia primo à fuga Absalom vsque tunc cucurrit maius tempus: quia post dictam fugam Absalom mansit in Gessur tribus annis, ut habetur supra cap. 14. in fine. Item post eius reuocationem mansit in Hierusalem duobus annis antequam videret faciem regis, ut habetur supra cap. 14. & sic in sexto anno faciem regis vidit, perfecte reconciliatus fuit: & postea fecit sibi currus, & equites, & corda populi sibi attraxit: ut prædictum est: quæ non potuerunt fieri in tam breui tempore, quin ad minus current ibi duo anni vel circiter: & sic antequam conspirasset in Hebron contra patrem suum, iam transierant septem anni vel octo. Secundo hoc apparet, quia Hebraica veritas, & libri nostri correcti habent hinc *quadraginta,* & non *quatuor:* ex quo patet litteram fuisse corruptam vi-

Btio scriptorum. Isti autem quadraginta anni variè computantur. In libro enim de Hebraicis quætionibus dicitur, quod hæc computatio incipit à tempore quo Saul interfecit sacerdotes, ut habetur supra libro primo cap. 22. & terminatur in conspiracy Absalom contra patrem suum, cuius ratio est, quia Dauid fuit causa, & occasio aliquo modo dictæ occisionis. Licet enim non peccauerit petendo panes, & gladium ab Achimelech sacerdote, & celando ei fugam istam, prout ibidem dictum fuit: tamen in hoc peccauit, quod nimis patenter hoc fecit. Ex quo enim sciebat ibi esse Doëg Idumæum de quo timebat probabiliter, quod ista Sauli referret, ut ibidem dicitur: debuit facere ita secretè quod lateret ipsum Doëg: & ideo hic fit mentio illius temporis, quia culpa illa ipsius Dauid in parte fuit causa huius rebellionis Absalom contra ipsum. Nec obstat quod prædictum est hanc rebellionem euenisse propter peccatum Dauid cum Bethsabee, quia plura peccata possunt benè esse causæ partiales vnius pœnæ à Deo inferendæ. Ra. Sa. dicit, quod isti quadraginta anni incipiunt à tempore quo populus Israël petiuit regem, & simpliciter habere voluit contra Samuëlis persuasio-

vt habetur supra lib. 1. c. 8. & fit hic memoria illius temporis in rebellione ipsius Absalom contra patrem, quod prima facie videbatur magnum malum: quasi scriptura reduceret ad memoriam dictum Samuëlis, videlicet quod petitio populi de institutione regis non erat ad bonum.

Dixit Absalom. Ad hoc accepit licentiam, vt magis operiret malitiam suam excogitatam.

Vadam, &c. Id est, offerenda in Hebron. Locus enim ille sanctus reputabatur, eo quod quatuor Patriarchæ principales sunt ibi sepulti cum suis coniugibus, scilicet Adam & Eva, Abraham & Sara, & Isaac & Rebecca, Iacob & Lia, sicut dictum fuit Gen. 23. & ideo Absalom fingebat illuc ire ex deuotione. Sed principaliter intendebat ibidem contra patrem conspirare, quia locus iste distat à Ierusalem per sexdecim milliaria secundum Hieron. libro de distantis locorum, & ideo melius poterat ibi fautores suæ conspirationis aggregare. Item quia Dauid pater eius ibi primo regnavit, vt habetur supra c. 2. & ideo videbatur locus aptus vt ibi inciperet regnum eius.

Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad Dauid, &c. Quædam exemplaria habent (annos quattuor.) Sed quadraginta habent tam Hebræa, quam Sept. Quæstio est, vnde hi quadraginta anni computari debeant? Nam à cæde Amnon ad summum fluxerant septem aut octo anni. Liber Heb. traditionum computat à tempore quo Abimelech cum reliquis sacerdotibus interfectus est à Saüle, propterea, inquit, quia hæc persecutio mota est contra Dauidem in ultionem peccati, quo Dauid tunc sacerdotes fecellerat. Sed id improbable est. Certum enim est, ex prædictione Nathan c. 12. hæc ei euenisse, propter adulterium, & homicidium recenter commissum. Alij referunt ad tempus primæ vnctionis Dauid. Alij ad tempus, quo populus à Samuële petierat regem. Erat enim hoc tribus annis ante primam Dauidis vnctionem. Iam autem agebatur annus trigessimus septimus Dauidis. Et hæc sententia maximè videtur probanda. Obicitur à quibusdam, quod solus Saül, secundum id quod est Act. 13. videatur regnasse annis quadraginta. Sed ad hoc respondetur, in illis annis quadraginta comprehendi simul annos Samuëlis, vt passim chronologi tradunt.

Post quadraginta autem annos. Quos Vatablus ab eo tempore numerat, quo Israëlitæ regem petierunt à Samuële. Saliarius vero à prima Dauidis vnctione in regem.

Reddam vota mea in Hebron. Parum probabilis prætextus, nam iam dudum reuersus erat ab exilio, & vota, si quæ conceperat, iam dudum debuisset persoluisse: deinde locus sacrificiorum eo tempore non erat Hebron, sed aut Gabaon, vbi erat excelsum maximum, & sacerdos Sadoc, aut Sion vbi erat Arca Domini. Fortassis Dauid sensit fraudem, sed voluit potius videri parum prudens, quam nimium suspicax. Vel etiam id egit Deus, qui per Absalomem exercere Dauidem parabat. Vel tandem, quod ad locum attinet, eam fortassis rationem suæ profectioni in Hebron prætexit Absalom, quod ibi, vt notauit D. Hieron. in tradit. Heb. corpora requiescerent Patriarcharum Abraham, Isaac & Iacob.

Post quadraginta annos. Ætæ vulgatæ regum in Israële: quæ cœpit ab electione Saülis. Solet enim calculus annorum inchoari ab aliqua magna, & notabili reipublicæ mutatione. Sic æra Græcorum, seu Seleucidarum, ab occupata Syria, anno 12. post mortem Alexandri Magni, æra

A Augusti, ab occupato Imperio Romano post expugnatam Ægyptum Erant ergo iam transacti in regno à Dauide 37. anni præter propter: quibus si addas biennium Saülis, habebis annum 40. quo rebellasse hic dicitur Absalom parenti suo. Ita ex Hebræis R. Salomon, & R. Dauid, & ex iis Abulensis, Ioannes Mariana, Emanuel Sa, & Gaspar Sanctius: licet horum quidam arcessant hanc æram à prima vnctione Dauidis per Samuëlem facta. Sed hæc, vt supra docui 1. Reg. 13. v. 1. paucis mensibus post prima Saülis initia contigit, atque ita ferè in idem recidit cum æra Saülis.

Misit autem Absalom, &c. Hic consequenter describitur ipsius Absalom conspiratio, qui ad diem determinatam congregauit fautores suos in Hebron. Misit enim nuntios ad ciuitates principales tribuum, ita quod in qualibet ciuitate notabili erant plures missi ex parte Absalom, quorum vnus habebat tubam, scientes horam in qua clamaretur in Hebron ad sonitum tubæ, regnabit Absalom, ita quod eadem hora in omnibus ciuitatibus notabilibus B nuntius Absalom habens tubam vt sonaret, & alij discurrentes per vicos clamarent, Regnabit Absalom in Hebron, diuulgantes quod ibi erat inunctus in regem, & quod principales de ciuitatibus festinarent illuc ad faciendum sibi debitam reuerentiam: ideo postea subditur. *Populusque concurrens, &c.*

Regnavit Absalom in Hebron. Cum regalibus insignibus etiam ceremonia vnctionis in regem adhibita est, vt aperte colligitur cap. 19. seq. n. 10. cum ait populus: *Absalom, quem vnxiimus super nos, mortuus est in bello.* Lyranus probabiliter putat etiam fidelitatis iuramentum à populo exhibitum.

Porro cum Absalom, &c. Ad petitionem ipsius Absalom, vt pauciores cum Dauid remanerent, & vt illi de ciuitate regia viderentur sibi fauere, quia propter multitudinem aliorum Absalom fauentium non audebant contradicere.

C *Cum Absalom inter alios ierunt ducenti viri simplici corde, & causam* conspirationis filij in patrem, penitus ignorantes. Hos secum traxit callidus adolescens, partim vt parenti subtraheret etiam istud tot fortium virorum subsidium: partim, vt populo fucum faceret, omnia ista fieri, adeoque, & inaugurari se, & regem proclamari volente ac iubente patre à quo in eam rem submissi essent tam multi, tam notæ fidei ministri. Et vero simile id faciebat, quod Absalom præ omnibus alijs regis filiis etiam ex materno genere, regia proles esset, ex filia regis Gessur procreatus: in quem, vt pote omnium nobilissimum, rex Dauid iam ætate grauis, ac penè septuagenarius, sceptrum haud dubiè transcripsisse iactabatur.

Accersit quoque, &c. De cuius consilio iste Absalom hoc negotium acceperat, & vt alij facilius iungerentur sibi, videntes principalem regis consiliarum adhaerentem sibi.

Facta est coniuratio, &c. Quia illi qui erant ibi, intrauerunt stare cum Absalom ad maiorem conspirationis confirmationem.

Achitophel. Bethsabæe auum, vt supra diximus, quem Saliarius Dauidi putat infensum fuisse propter adulterium cum nepte, & Vriæ occisionem.

Gilonitem. De Gilo ciuitate, quæ erat in tribu Iuda.

VARIETAS LECTIO NVM à Verf. 13. ad 18.

Vulg. Venit igitur nuntius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom.

Pag. Fuit cor viri ad Absalom.

Arias. Venit indicator.

Cald. Declinavit cor hominum.

Syr. Conspirauit cor.

Arab. Iam sincera facta sunt corda omnium Israëlitærum erga Absalomem, ipsumque regnare volunt.

Vulg. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effu-

Tom. IV.

gium à facie Absalom: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percussit ciuitatem in ore gladij.

Pag. Non erit nobis euasio, &c. acceleret, & impellat super nos ruinam.

Taiet. Ne festinet, & assequatur nos.

Sep. Rom. Quoniã non est nobis salus, & proiciat super nos.

Cald. Et insidietur super nos.

Arab. Et inferat nobis calamitatem, & occidat omnes.

Alj. Et impleat super nos.

Vulg. Dixeruntque serui regis ad eum: Omnia quaecumque praeceperit Dominus noster rex, libenter exequemur serui tui.
 Pag. Secundum quod elegerit, &c. ecce serui tui.
 Cald. Secundum omnia quae dicit.
 Vulg. Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius, pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.
 Arias. Decem mulieres pellices.
 Malu. Ad obseruare domum.
 Vulg. Egressusque rex, & omnis Israël pedibus suis, stetit procul à domo.
 Pag. Steterunt in loco longinquo.
 Arab. Domo elongationis.

Sept. Rom. Steterunt in domo quae longè.
 Arab. Stetit extra ciuitatem, vt videret quomodo transfirent omnes serui sui.
 Vulg. Et vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatōres validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth, pedites praecedebant regem.
 Pag. Iuxta manum eius.
 Arias. Transfuentes super facies regis.
 Malu. Quia venerunt in pede eius.
 Alij. Qui venerant ad vestigia eius.
 Cald. Et omnes sagittarij, & fundibularij.
 Syr. Omnibus transfuentibus secus eum, & omnibus nobilibus, & militibus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Impellat super nos ruinam, Alij, Impleat super nos malum, sed malè legitur Impleat. Stetit procul à domo, Alij, In loco longinquo. Domus interdum in scriptura ponitur pro spatio, scilicet vacuo, seu intercapedine excauata, quae aliquot homines continere potest: Vnde quidam reddiderunt, In loco elongationis. Arab. Extra ciuitatem. Et legiones Cerethi, & Phelethi, Alij, Sagittarij, & fundibularij. Vide vers. 18. c. 8. Concord. Mulieres concubinas, Alij, Pellices. Vide pluries dicta.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. v. 13.** Venit igitur. Non tamen ita citò, eò quòd Absalom faciebat custodiri vias ne hoc factum nuntiaretur David: donec haberet tantam multitudinem, quòd David non posset resistere secundum suam aestimationem.
- LYRAN. v. 14.** Et ait. Hic consequenter describitur ipsius David humiliatio meritoria, quia per eam Deus fuit placatus erga David, & contra Absalom prouocatus. Apparuit autem ista humiliatio spiritualiter in duobus, scilicet in humiliter de regia ciuitate recedendo. Secundò, in Arcam Domini remittendo, ibi: Venit autem & Sadoc. Circa primum sciendum, quòd cùm David esset in bellis expertus, & audacissimus, & esset in loco forti, & haberet secum plures fortissimos, & bellatores, non recessit de ciuitate, timore ipsius Absalom principaliter; sed timore Dei, quem sciebat se prius offendisse, & propter hoc, ex sententia Dei, istud malum super eum euenisse; secundum, quod dixerat sibi Nathan Propheta supra c. 12. Hac dicit Dominus; Suscitabo super te malum in domo tua. Et ideo ad placanda miram Dei voluit coram Deo se humiliare, qui preces humilium exaudit, & ista humilitas apparuit in confusibili egressu eius de ciuitate, cùm dicitur. Neque enim, &c. Non propter ipsius virtutem, sed Dei, cuius erat flagellum ad punitionem David. Secundò apparuit eius humiliatio in progressu, cùm dicitur. Neque enim, &c. Agnoscebat pius rex, se Deo pro Absalome stante, non posse resistere, itaque vltro cedendum Deo.
- MENOC.** Impellat super nos ruinam. Cadentes vrgeat, & praecipites det.
- TIRINVS.** Surgite fugiamus. Fugiet tantus bellator? & ex vrbe fugiet adeo munita, vt à solis claudis & caecis propugnari possit? Verùm fuga hæc non à timore fuit, sed à solerti prudentissimi ducis ingenio. Sciebat enim placandum sibi ante omnia humili pœnitentis animi obsequio iratum Numen, à quo hæc omnia mala sibi immitti sentiebat: nam per Prophetam Nathan audiverat. Ego suscitabo super te malum de domo tua, cap. 12. v. 11. Deinde nolebat optimus princeps, ciuitatem regiam sui causa quidquam aduersi ab infesto hoste pati. Neque erat vrbs tanta, tot incolis referta, comœatu necessario instructa, quo vel paucis diebus obsidionem tolerare posset. Ergo vrbe egreditur pius senex cum domesticis, & prætoria-nis cohortibus, & pedes egreditur, imo nudipes, & aperto prae confusione capite (vt dixi cap. 13. v. 19. & flets, & orans: atque ita publicæ pœnitentiæ armis Deum sibi suisque ante omnia placare contendit, donec per torrentem Cedron ad summitatem montis oliuarum ascendit, in quo adoraturus erat Dominum, nempe sacrificio solempni pro sua sui-que populi incolumitate, quod recepto more in excelsis montibus offerri consueuerat. Nota hîc typum & figuram Christi per eundem torrentem Cedron ad villam Gethsemani in pede montis oliuarum cum discipulis suis ad orandum exeuntis, seque ad eruentum crucis sacrificium accingentis. Egressus, &c. Quia incedebat peditando, cùm tamen posset habere equos & mulos, & non solum exiit peditando, sed etiam nudis pedibus incedendo, vt habetur infra eod. cap. Et dereliquit rex decem, &c. Quia sciebat quod non interficerentur. Pedibus suis. Vel festinatione, vel patiendi desiderio, vel vt humili hac ratione agendi, maiori quasi cum reuerentia Domini flagella exciperet, illumque placaret. Dereliquit rex, &c. Secundarias scilicet vxores suas; reliquis secum adductis. Ad custodiendam domum. Non quidem contra vim hostium, quibus potius milites fuissent opponendi; sed vt domum eo modo, quo mulieres solent, gubernarent. Stetit procul à domo. Extra ciuitatem, vt transfire faceret omnem populum suum ante se, vt poneret se in maiori periculo, si Absalom eum insequeretur. Quod fecit, eo quod erat in culpa, vt prædictum est, & alij patiebantur propter eum. Stetit procul à domo. Id est, non ingressi sunt domos, vt latè circumspicerent, si qui ad eos de amicis se reciperent, vti postmodum factum est. Vel ita substitit in aperto vt suos ordinaret, qui confusè ob festinationem egressi fuerant. Legiones Cerethi, & Phelethi. De quibus supra diximus c. 8. n. 18, Sexcenti viri. Antiqui illi Davidis milites, & exilij comites, qui illum secuti fuerant in speluncam Odollam, in Ziphæorum desertis locis, in Siceleg Gethæorum, vnde illis nomen adhæsit. Hi adhuc erant sexcenti, nam cum aliquis ex hac legione desiderabatur, alium David in eius locum sufficiebat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 23.

Vulg. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? Reuertere, & habita cum rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. Pag. Quia alienigena.

Alij. Extraneus.

Malu. Quia nothus es, & etiam deuoluens tu loco tuo.

Sept. Rom. Quoniam transinigrasti tu.

Cald. Et etiam tu migrans, vade ad locum tuum.

Arab. Et quidem ad nos venisti de patria tua perfugium querens.

Vulg. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi: Ego autem vadam quo iturus sum: reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam, & veritatem, quia ostendisti gratiam & fidem.

Pag. Tecum sit misericordia & veritas.

Caiet. Tecum gratia & veritas.

Tigur. Tecum bonitas, & fides.

Vatab. Gratia & fides.

Malu. Benignitas.

Alij. Pietatem, & veritatem à me expectatur.

Sept. Rom. Et hodie mouebo te nobiscum.

Cald. Fac cum illis benignitatem, & pacem curato.

Syr. Fratris tuis commodam habitationem.

Vulg. Et respondit Ethai regi, dicens: Viuit Dominus,

& viuit Dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit feruus tuus.

Arias. Si ad mortem, si ad vitas, erit tibi, &c.

Malu. In loco, in quo erit sustentator meus.

Arab. Siue mors, siue vita in eo fuerit.

Vulg. Et ait Dauid Ethai: Veni, & transi. Et transiuit Ethai Gethæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo.

Arias. Et omnis familia quæ secum.

Sep. Et omnis turba.

Syr. Totusque comitatus.

Vulg. Omnesque flebant voce magna, & vniuersus populus transibat: rex quoque transgredebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum.

Pag. Omnis terra flebat.

Malu. Super facies viæ.

Sep. Quæ desertum.

Arab. Carpsit viam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quia peregrinus es, Alij, Quia nothus es. Heb. est נכרי *naceri*, quæ vox significat eum, qui non est eiusdem seminis, aut religionis, qualis erat Ethai. Fortè Iudaismi sacra amplexus fuerat. *Faciet tecum misericordiam & veritatem, &c.* Alij, *Tecum gratia & veritas.* Ita vt sint verba Davidis imprecantis vniuersa dona Dei abeuntibus Gethæis, Alij, *Tecum gratia & fides,* & explicant, memor beneficij in me collati, & fidei, quam seruasti mihi, volens me sequi etiam fugientem, rependam tibi quamlibet mercedem. *Omnisque flebant,* Alij, *Omnis terra.* Id est, homines terræ.

ANNOTATIONES.

Dixit autem, &c. Dicunt aliqui quod iste fuit filius Achis regis Geth, qui adhæsit David propter suam bonitatem, & probitatem, & conuersus erat ad Iudaismum, propter quod David sibi, & socijs suis compatiabatur, eò quod dimiserant gentem suam & locum.

A rex commisit, infra cap. 18.

Ego autem. Id est, vagabundus ad locum incertum, quousque Dominus mihi sit placatus. Cætera patent vsque ibi.

LYR AN. V. 20.

Ad Ethai Gethæum. Quem graues auctores existimant filium fuisse Achis Gethæorum regis, qui admiratione virtutis David ad illum transierat, Iudaicam religionem professus.

Ego vadam. Id est, ad locum nescio quem, neque enim adhuc mihi constitutum est quo me recipiam.

MENOC.

Reduc tecum fratres tuos. Ciues tuos, ac socios Gethæos, qui te duces sequuntur.

Veni & transi. In talem scilicet ordinem, vel potius, vt ex consequentibus intelligitur: Transi torrentem Cedron.

MENOC. V. 22.

Omnisque flebant voce magna, &c. Ipsi regi compatendo, & ad prouocandum Dei misericordiam.

LYR AN. V. 23.

Contra viam. Hæc dicuntur per anticipationem, nam sacerdotes cum Arca Domini ad Dauidem peruenerunt, antequam ille torrentem Cedron pertransiret. Cæterum hoc desertum, cuius hic mentio fit, situm erat Orientem versus inter Ierusalem, & Iericho, ibi commoratus dicitur S. Ioan. Baptista, & Christus Dominus cum ieiunauit dies quadraginta.

MENOC.

LYR AN. V. 19.

MENOC.

TIRINVS

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 29.

Vulg. Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei, & deposuerunt Arcam Dei: & ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate.

Pag. Et statuerunt Arcam Dei.

Malu. Fuderunt Arcam, &c. vsque ad consummare omnis populus ad transire de vrbe.

Sep. Quo ad usque cessauit omnis populus.

Cald. Perfecit.

Vulg. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta Arcam Dei in vrbe: si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum.

Arias. Videre me faciet eam, & domicilium eius.

Malu. Et domum eius.

Sep. Rom. Et decorem eius.

Cald. Si inuenero misericordias ante Dominum, &c. seruuiam ante eum in domo Sanctuarij eius.

Arab. Videbo eam in loco suo.

Tom. IV.

Vulg. Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat quod bonum est coram se.

Pag. Non complacui in te, ecce ego.

Sep. Rom. Non volui in te.

Reg. Neque volui te.

Cald. Non est voluntas ante me in te, faciet mihi secundum quod est voluntas ante eum.

Arab. Faciat mihi quicquid libuerit.

Vulg. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O videns reuertere in ciuitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Ioanathas filius Abiathar, duo filij vestri, sint vobiscum.

Pag. Nonne videns es?

Sep. Rom. Videte.

Reg. Vide tu.

Alij. Ipse es videns.

Vulg. Ecce ego abscondat in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi.

Arias. In transitibus deserti.

Malu. Videte ego inturbare faciens me.

Tr iij

Sep. Rom. Ego quidem castra facio in Araboth deserti.
Reg. Ecce ego expecto vos.
Cald. Videte quod ego commoror in planitiebus.
Syr. Ecce ego cunctatus sum, &c. & donec veniat aliquis qui à vobis.
Arab. Meque certiolem faciat de his quæ apud vos

agentur.
Vulg. Reportauit ergo Sadoc, & Abiathar Arcam Dei, in Ierusalem, & manserunt ibi.
Malu. Et reuertere fecit Arcam.
Sep. Et sedit ibi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

D *Eposuerunt Arcam Dei; Alij, Fuderunt.* Id est, sensim ac placide deposuerunt ex humeris baiulantium. Alij, *Statuerunt*, scilicet in aliquo loco idoneo. *Si autem dixerit mihi.* In Sep. non est, *mibi. Non places.* Alij, *Non com- placui in te*, id est, non es mihi gratus. *O videns,* Alij, *Nonne videns tu?* In Heb. est אָרוּחַ אַתָּה *aroeh atah*: qui habent, *Ipsè est videns*, legerunt, הָרוּחַ אַתָּה *huroeh atah*, sed non est sic in Heb. *In campestribus,* Alij, *In planitie.* *In transitionibus, vel transitibus,* id est, in saltibus deserti, sed aiunt positum pro transposito בעֲרֵבוֹת *begharbot*, in campestribus, quod magis proposito quadrat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **V** *Enit autem, &c.* Hic consequenter ostenditur humiliatio David in remissione Arcæ, cuius primò describitur apportatio, cum dicitur. *Venit autem.* Quia volebat se associare David in fuga sua, & pro eo consulere Dominum tempore debito. Ideo subditur.
Et deposuerunt Arcam. Scilicet ad vnam partem ad consulendum Dominum: ad quem locum David deberet declinare.
Et ascendit Abiathar. Scilicet ad consulendum Dominum se applicauit, quia erat tunc sacerdos principalis: sed tunc non habuit responsum, per quod cognouit David Deum adhuc non esse placatum erga ipsum, propter quod societate Arcæ reputauit se indignum, & ideo eam humiliter remisit ad tabernaculum, vnde fuerat assumpta, dicens:

MENOC. *Portantes Arcam fœderis.* Ut pro Dauide Dominum, cum res ferret, consulere possent.
Deposuerunt. In tumultu aliquo idoneo, donec omnes adessent, & congregarentur qui Davidem sequi volebant; vt que eam honorare possent, & Dominum in ea adorare.
Ascendit ad Abiathar. Fortassè ad orandum propè Arcam; vel quasi dicat, comitatus est eos.

LYRAN. *Si inuenero, &c.* Et patet littera.
 Ad Sadoc. Qui fortè honoris causa Arcam Domini suis ipse humeris rulerat, Abiathare Pontifice insulato, & cum Ephod Pontificio subsequente.
Reporta Arcam Dei in urbem. Quia consulente Dominum Abiathar Pontifice, responsum non tulit David, ideo intelligens nondum sibi diuinum numen esse placatum (silentium enim illud signum quoddam erat offensionis illius) Arcam iussit reportari.
Si inuenero gratiam in oculis Domini. Quam scilicet nondum inueni.

Et tabernaculum suum. Siue quod in Sione ipse retenderat, siue Mosaicum, quod adhuc in Gabaone sub Sadochi cura extensum fuisse diximus suprà c. 8. n. 17.
Si autem dixerit. Scilicet subire fugam, exilium, mortem, vt impleatur diuinum beneplacitum.
Et dixit rex ad Sadoc. Hic consequenter ponitur ordinatio consultoria, quia licet David non desperaret de Dei misericordia consequenda: noluit tamen omittere illud quod poterat fieri via humana. Et ideò primo ordinauit de statu Absalom, sibi renutiando. Secundò de consilio dissipando, ibi: *Cumque ascenderet David.* Primum autem fecit per hoc, quòd duos sacerdotes remittens cum Arca ordinauit, quòd duo filij eorum essent nuntij ad reportandum sibi illud quod audiretur de domo Absalom, & esset expediens sibi illud scire. Et patet littera vsque ibi.

O videns. Sadoc vocatur videns, fortassè propter donum prophetiæ. In Heb. est, *Nonne videns tu?* Quod Vatablus explicat. *Vides ne? Vales ne consilio?* Quasi dicat, si vales consilio, reuertere, plus enim mihi profueris redeundo, quam manendo. Verius mihi videtur, quòd ait Dionysius, vocari prophetam, quia in diuino obsequio psallentibus, & prophetarum oracula recitantibus præerat. Sic Chonaias princeps Leuitarum prophetiæ præfuisse dicitur 1. Paral. 15. 22. Iuxta eorum sententiam, qui putant Sadoc vnà cum Abiathar Pontificem fuisse, idem esset Videns, ac consulens Dominum per Ephod. Vide dicta suprà c. 8. n. 17.

O videns. Id est, ô sacerdos, qui vides, id est, Prophetas per Vrim & tummim.
In campestribus deserti. De quo n. 23. est dictum.
Indicans mihi. Quid geratur, & quid faciendum videatur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 30. ad 37.

V *Vulg.* Porrò David ascendebat cliuum oliuarum, scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.
Pag. Per ascensum, &c. incedebat discalceatus.
Arias. Ascendens in ascensu.
Cald. In ascensione montis oliuarum.
Vulg. Nuntiatum est autem David, quod & Achitophel esset in coniuratione cum Absalom, dixitque David: Infatua, quæso, Domine consilium Achitophel.
Pag. Achitophel in coniuratoribus.
Malu. Stultum fac consilium.
Sep. Rom. In iis qui conglobantur, &c. dissipa.
Cald. Est in rebellibus.
Syr. Rebellauit Achitophel.
Vulg. Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite.
Pag. Vt incuruaret se ibi Deo scissus tunica sua.
Sep. Rom. Pergens vsque Rhos ubi adorauit ibi, &c. & ecce in obuiam ei Chusi princeps amicus David,

Reg. Chusi Archi socius David.
Syr. Ad locum quendam ubi adorabat Deum.
Vulg. Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri.
Malu. Eris super me leuanda.
Sep. Eris super me in onus.
Vulg. Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom: Seruus tuus sum, rex: sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus: dissipabis consilium Achitophel.
Arias. Infringes mihi consilium Achitophel.
Tigur. Irritum facies.
Malu. Labefactabis.
Sep. Rom. Dices ad Absalom: Transierunt fratres tui, & rex de post me transit pater tuus, & nunc puer tuus sum ego, permitte me viuere. Ita etiam aliqua Bibl. Latin.
Cald. Infatuabis.
Arab. Mentem eius destrues.
Vulg. Habes autem tecum Sadoc, & Abiathar sacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc, & Abiathar sacerdotibus.
Pag. An non tecum est ibi Sadoc? &c.
Vulg. Sunt autem cum eis duo filij eorum; Achimaas filius

Sadoc, & Ionathas filius Abiathar, & mittetis per eos ad me, omne verbum quod audieritis.
Pag. Mittetis per manum eorum.

Arab. Quodcumque nuntium audieritis.
Vulg. Veniente ergo Chufai amico Dauid, in ciuitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Summitatem montis. Sept. Rhos. Immutatam reliquerunt dictionem Hebraeam *רֹם*, caput, summitatem. In quo adoraturus erat Dominum. Sept. ubi adorauit ibi: Quod factum fuit à Dauid exprimunt. *Seruus tuus ego Rex.* Sept. addunt, Permite me venire. Ita etiam habetur in aliquibus Bibl. antiquis, & in tribus meis M. S. *Chufai Arachites.* Sept. Rom. *Chusi princeps amicus Dauid,* sed hæc vltima irrepserunt ex vltimo versu. *Dixeris ad Absalom.* Sept. Rom. *Transferunt fratres tui, &c.* Hæc verba vsque ad illa, *puer tuus sum,* absunt à Reg. & Compl. sicut à Vulg.

ANNOTATIONES.

MENOC. **C**Linum oliuarum. Per quem scilicet in montem Oliueti ascenditur.

Flens, nudis pedibus incedens, &c. Non ex animi deiectione, sed ex peccatorum suorum dolore.

Operto capite. Caput velatum habitum est eorum, qui sunt in luctu.

LYRAN. *Infatua quæso domine consilium Achi.* Erat enim iste nimis altutus, propter quod erat magis timendus.

MENOC. *Infatua consilium Achitophel.* Optat vel ineptum ab eo dari consilium, vel tanquam ineptum, & inutile contemni.

LYRAN. *Cumque ascenderet.* Hic consequenter ponitur ordinatio Dauid de consilio Absalon dissipando, remittendo Chufai ad hoc, qui etiam erat valde sapiens & eloquens, vt patebit infra 27. cap. præmittitur tamen hic locus in quo Chufai occurrit ipsi Dauid, cum dicitur.

Cumque ascenderet. Scilicet montem oliuarum.

In quo adoraturus erat Dominum. De loco enim illo videbatur clarè tabernaculum, in quo seruatur arca in monte Sion ex opposito, & ideo quando Dauid veniebat ad locum illum, solitus erat adorare dominum, sicut homines à longè videntes Ecclesiam alicuius sancti solent eum deprecari: & tunc ibi Dauid Dominum adorauit.

Ecce occurrit ei. Quia erat de ciuitate Arach.

Scissa veste. In signum magnæ tristitiæ.

MENOC. *Summitatem montis.* Oliueti.

Adoraturus erat Dominum. Conuertendo se versus

montem Sion, ubi sedes erat arcæ.

Chufai Arachites. A ciuitate Arach, cuius mentio est Genes. 10. 10. & ponitur in terra Sennaar, quam aliqui Cælesyriam interpretantur. S. Hier. in tradit, in c. 10. Genes. ait Arach notiori vocabulo Edessam dici. Videtur Chufai fuisse ex gentili profelytus Hebræus.

Si veneris mecum. Quia non erat vir bellator.

Si autem in ciuitatem. Quasi non turans de me.

Eris mihi oneri. Quia fortassis melior consilio, quàm gladio, fortasse propter ætatem. Magni consilij virum fuisse ex eo patet qui illum Dauid Achitopheli oppositum cupit, & ex euentu etiam patet, de quo infra.

Et dixeris. Videtur quod Dauid hic peccauerit inducendo eum ad mentiendum. Dicendum, quòd licet non sit aliqua necessitas excusandi Dauid & Chufai de aliquo mendacio officioso, cum ipse Dauid peius fecerit tunc, vt patebit cap. sequenti: potest tamen dici quòd non erat ibi mendacium. Ille enim seruit alicui, qui agit & agere intendit ad bonum ipsius, bonum autem erat Absalon quod à suo intento pessimo frustraretur, & patri traderetur, maxime quia nolebat eum interficere, sed magis conseruare ad sui correctionem, vt patet ex his quæ habentur infra 18. cap.

Dissipabis. Id est, dissipare poteris per tuam sapientiam & eloquentiam, sicut apparuit per effectum, vt habetur infra 17. cap. Cætera patent in littera.

LYRAN.

v. 33.

MENOC.


LYRAN.

v. 34.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS.

Sibe procuratori Miphibofethi, quòd cibaria fugienti subministraret in via, confert Dauid omnia bona heri sui: Semei maledicum vetat occidi. Absalom ingressus Ierusalem, consilio Achitophel decem uxores Dauidis publicè constuprat.

1.  Vmque Dauid transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphibofeth in occursum eius, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligatoris vix passæ, & centum massis palatharum, & vtre vini. 2. Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? responditque Siba: Asini, domesticis regis vt sedeant: panes & palathæ, ad vescendum pueris tuis: vinum autem, vt bibat si quis defecerit in deserto. 3. Et ait rex: Vbi est filius domini tui? Responditque Siba regi: Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei. 4. Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphibofeth. Dixitque Siba: Oro vt inueniam gratiam coram te, domine mi rex. 5. Venit ergo rex Dauid vsque Bathurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, 6. mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos regis Dauid: omnis autem populus, & vniuersi bellatores, à dextro & à sinistro latere regis incedebant. 7. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial. 8. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul: quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. 9. Dixit autem Abifai filius Saruix, regi: Quare maledicit canis hic mortuo domino meo regi? vadam, & amputabo caput eius. 10. Et ait rex: Quid mihi & vo-

bis est, filij Saruix? dimitte eum vt maledicat. Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? 11. Et ait rex Abisai, & vniuersis seruis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemi- ni? dimitte eum vt maledicat iuxta præceptum Domini: 12. Si forte respiciat Dominus afflictio- nem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 13. Ambulabat ita- que Dauid & socij eius per viam cum eo. Semei autem, per iugum montis ex latere, contra il- lum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides aduersum eum, terramque spargens. 14. Venit itaque rex, & vniuersus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi. 15. Absalom autem & omnis populus eius ingressi sunt Ierusalem, sed & Achitophel cum eo. 16. Cum autem venisset Chusai Arachites amicus Dauid ad Absalom, 17. Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non iuisti cum amico tuo? 18. Responditque Chusai ad Absalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuersus Israël, & cum eo manebo. 19. Sed vt & hoc in- feram, cui ego seruiturus sum? nonne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo & tibi. 20. Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium quid agere debeamus. 21. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: vt, cum audierit omnis Israël quod fecideris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. 22. Teten- derunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël. 23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis con- suleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cum esset cum Absalom.

VARIETAS LÉCTIONVM. à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Cumque Dauid transisset paululum montis ver- ticem, apparuit Siba puer Miphiboseh in occursum eius, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis pan- nibus, & centum alligatoris vnae passæ, & centum mas- sis palatharum, & vtre vini.

Arias. Transierat paululum de capite, & 100. botri ficci, & 100. æstiuæ fructus.

Calet. Centum ferta ficuum.

Malu. Et coniugatio asinorum super alligatorum & 100. flaccidi, & 100. æstas.

Sept. Rom. Transit breue quid à Ros &c. & 100. palmæ, & nebet vini.

Reg. Paululum à cacumine, &c. Ephi vna.

Cald. Centum palmitum vuarum, & 100. partes carica- rum.

Arab. 100. casei. 100. vasa plena ficibus.

Vulg. Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? Respondit- que Siba: Asini, domesticis regis vt sedeant: panes & palathæ, ad vescendum pueris tuis: vinum autem, vt

bibat si quis defecerit in deserto.

Pag. Pro familia Regis ad equitandum, &c. Qui lapsus fuerit.

Malu. Defatigatus.

Sept. Rom. Subiugalia domui Regis ad insidendum.

Arab. Qui labore confecti sunt.

Vulg. Et ait rex: Vbi est filius domini tui? Responditque Siba regi: Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie resti- tuet mihi domus Israël regnum patris mei.

Sept. Hodie redire facient ad me.

Vulg. Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphi- boseh. Dixitque Siba: Oro vt inueniam gratiam coram te, domine mi rex.

Pag. Dixitque, Incuruauit me.

Malu. Procumbere me feci.

Sept. Rom. Et dixit adorans.

Cald. Inueniam misericordiam.

Syr. Multum mihi est nactum esse gratiam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Centum massis palatharum. Alij, Centum æstiuæ fructus. 100. ferta ficuum? פִּפְּ קֵאִיטַס, proprie significat æstatem, tempus æstiuum, sed ponitur etiam pro fructibus æstiuis, & communiter pro ficibus æstiuis collectiuè. Hinc varia lectio. 100. alligatoris vnae passæ, Alij, 100. botri, 100. flaccidi. Vide Concord. v. 19. cap. 25. lib. præce- dentis. Pueris tuis. Illud tuis, non est Hebr. Cald. & Græcè, neque in Gotthicis. Oro. Alij, Adoro, hoc gestu scilicet corporis gratum me exhibeo.

ANNOTATIONES.

- LYR AN.** **V. 1.** **C**umque Dauid. Hic consequenter ostenditur quali- A rum non semel appellat sacra Sriptura.
Ter Abalon patrem suum fecidit ingrediendo ad e- *Centum massis palatharum.*] id est, *caricarum*, vt tran- **TIRINVS.**
 ius vxores. Præmittuntur tamen hic quatuor, quia primo *stulit* Caldæus, id est, ficuum aridarum.
 Dauid à Siba decipitur. Secundò à Semei impetitur, ibi: *Asini domesticis.* Id est, si aliquis de domo tua fuerit ita fa- **LYR AN.**
 venit ergo rex. Tertio Chusai ab Abalon recipitur, ibi: *fatigatus,* quòd non possit incedere, poterit super asinum **V. 2.**
Ab- *sedere.*
salom autem. Quartò Abalon ad vxores patris ingreditur, *Et Palathæ ad vescendum pueris.* Palathæ dicuntur ficus **MENOC.**
 ibi: *Dixit autem Absalom.* Circa primum sciendum, quòd *compressæ inter tabulas.*
 adulatores intendentes magnates decipere, considerant *Domesticis regis.* Mulieribus.
 tempus & locum & alia ad hoc apta. Et hoc notatur cum *vbi est.* Habebat enim eius curam propter Ionathæ ami- **MENOC.**
 dicitur: *Cumque.* Quia iam erant fatigati ex itinere & tri- *citiam.*
 stitia. *Responditque.* Iste Siba mentiebatur, vt patet ex his, quæ **LYR AN.**
Apparuit. Quasi multum paratus ad succutrendum regi *habentur* infrà 19. cap. quia Miphiboseh de fuga Dauid **V. 3.**
 in tali necessitate. Vnde sequitur.
MENOC. *Siba puer Miphiboseh.* De quo vide supra c. 9.
In occursum. Ex aliqua proxima villa Miphibosehi, cu- *fuit* valde tristis, sicut apparebit ibi. Cogitabat enim Siba
 ius erat curator honorum, vt ex cap. 9. patet. *quod* Dauid propter sapientiam suam & bonam militiam
Centum alligatoris vnae passæ. Vide dicta 1. Reg. 25. 18. *finaliter* obtineret victoriam, & ideo studebat heredita-
Palatharum. Ficuum exsiccatarum, quas massas carica- *tem* domini sui impetrare à Dauid: quòd & factum est.
 rum dicitur: *Vnde* subditur:

Vbi est filius domini tui. Miphibofeth scilicet, Ionathæ filius. Ita David interrogat, quia Siba nullam heri sui mentionem faciebat, nec satis intelligere poterat suone illa an domini sui nomine daret.

Hodie restituet mihi Dominus Israël, &c. Improbabilis calumnia, cum appareret totum Israelem in Absalonis desiderium esse conuersum, & Miphibofeth membris captus, & in domestico otio nutritus, regno non esset idoneus.

Tua sint. Quod fuit malè & præcipitanter & iniuste dictum: tum quia iste Siba dixerat falsum, tum quia dato quòd verum dixisset, tamen Miphibofeth dominus suus non erat condemnandus antequam audiretur, vel antequam veritas alio modo sufficienter declararetur.

Tua sint omnia quæ fuerunt Miphibofeth. Nimia sanè Davididis credulitas. Sed non putauit mentiri Sibam in re tam graui, & cuius veritas facile deprehendi posset. Adde eos qui calamitate aliqua pressis opem ferunt, vt nunc Dauidi Siba, viros bonos videri, & dolore aliquo perturbatos minus aptos esse ad peruidendum quid verum sit: quæ tamen non ita excusant David, vt non peccauerit inauditum Miphibofethum damnando.

Oro vt inueniam gratiam, &c. Quasi dicat, non hæc dixi, aut huc veni accusandi causa, aut vt in Miphibofethi bonam imiterer, sed vt animum meum tibi patefacerem, & gratiam promereri possem, quæ mihi instar erit bonorum omnium.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 12.

Vulg. Venit ergo rex David vsque Bathurim, & ecce egrediebatur vir de cognatione domus Saül nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat.

Malu. Exire exiens, & leui faciens.

Cald. Vsque ad Ghalemeth.

Syr. Conuitiabatur.

Arab. Conuitiis afficiebat Dauidem.

Vulg. Mittebatque lapides contra David, & contra vniuersos seruos regis David: omnis autem populus, & vniuersi bellatores, à dextro regis latere incedebant.

Pag. Et omnes potentes erant à dextra.

Malu. Lapidabat lapidibus, &c. Et omnes præualidi.

Arab. Maledictis inceserat duces eius.

Vulg. Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret Regi, Egredere, vir sanguinum, & vir Belial.

Pag. Vir impiè.

Arias. Vir sine profectu.

Sept. Rom. Et vir qui iniuus.

Cald. Vir obnoxius morti.

Arab. Nefarie sanguinum effusor.

Vulg. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saül: quoniam inuastisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalon filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.

Pag. Ecce in malo tu es.

Arab. Reddidit super te omnes sanguines.

Cald. Omnia debita domus Saül.

Syr. Iam ecce compensata est malitia tua.

Arab. Puniat te pro omni culpa commissa in Saül, tandem remuneratus es pro nequitia tua.

dem remuneratus es pro nequitia tua.

Vulg. Dixit autem Abisai, filius Saruiae Regi, quare maledicis canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput eius.

Arias. Remouebo caput eius.

Malu. Ad quid leuifacies, &c. Sustentatorem meum, &c. discedere feci caput eius.

Syr. Quare conuitiatur?

Vulg. Et ait rex: Quid mihi & vobis est filij Saruiae? dimitte vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis est qui audeat dicere quare sic fecerit?

Malu. Quia leuifacies, quia Ihuh ei, leuifac Dauidem, &c. quid cognitionis fecisti sic?

Syr. Sinite eum conuitiari.

Vulg. Et ait rex Abisai, & vniuersis seruis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini.

Arias. Quia dixit ei Dominus.

Malu. Deponite ei, & leuifecit, quia dixit ei Ihuh.

Syr. Quærit abripere animam meam.

Vulg. Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

Arias. Forsan respiciet in oculum meum.

Malu. Et reuertere mihi faciet bonitatem pro leuificatione

Sept. Rom. In humiliationem meam.

Cald. Reuelabitur ante Dominum lacrima oculi mei.

Syr. Summissionem meam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V*ir sanguinum.* Alij, *Morti obnoxius.* Quasi dicat, dignus vt sanguis tuus effundatur. *Vir Belial.* Alij, *vir iniue.* Dictum pluries de huiusmodi nomine. *Ecce premunt te mala tua.* Alij, *Ecce in malo tu es,* Id est, in pena maledictorum tuorum. *Afflictionem meam.* Alij, *Humiliationem, oculum meum.* Hebr. בעני בעני begheni, id est, si respexit ad lacrymas oculorum meorum. Et sensus est Paraph. *Cald.* *Si fortè reuelabitur ante Dominum lacrima oculi mei.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. *V***enit ergo.** Hic consequenter David à Semei impetitur verbis maledicis & alijs iniurijs. Et hoc est quod dicitur.

Et ecce. Infra 19. cap. dicitur quòd erat de domo Ioseph. Dicendum quòd erat de domo Ioseph ex parte patris, scilicet de tribu Ephraim, sed ex parte matris erat de cognatione Saul, quia mulieres in hæreditate non succedentes poterant contrahere matrimonium cum viris alterius tribus, prout dictum fuit Numeri 36.

MENOC. *Bahurim.* Oppidum, & castrum in monte situm vnus fere horæ itinere vltra Bethaniam Iordanem versus. Vide Adrichomium, in tribu Benjamin num. 28.

LYRAN. *Egredere, egredere vir sanguinum.* Id est, effusor multi sanguinis innoxij.

Y. 7. *Et vir Belial.* Id est, absque iugo disciplinae & legis diuinæ. Cætera patent vsque ibi:

MENOC. *Egredere.* Exi ex finibus regni Israël.

Vir sanguinum. Qui vt sicarius, & homicida multum san-

B guinis fudisti.

Vir Belial. Vir profane, scelestus, & diuinæ legis contemptor.

Vniuersum sanguinem. Id est, pœnas pro sanguine.

Abisai filius Saruiae. Id est, Dauidis ex sorore nepos & Ioabi frater.

Canis hic mortuus. Vide dicta cap. 9. num. 8.

Quid mihi. Ex hoc patet quòd Ioab similiter Semei occidere volebat, & fratrem suum Abisai ad hoc incitabat.

Dimittite eum vt maledicat. Quia eius maledictio est mihi materia ad exercitium patientiæ.

Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Hic occurrit perplexitas: quia si dominus præcepit ei, non peccauit hoc faciendo, sicut nec minister iudicis de præcepto eius malefactorem interficiendo. Dauid autem peccauerat coram Deo & dignus erat hac pœna & maiori, vt patet ex suprascriptis II. cap. Sed ad hoc sequitur, quòd Dauid pec-

MENOC

MENOC

LYRAN. Y. 4.

LYRAN. Y. 10.

cavit ini- . . . i eius interfectionem: vt habe- A
tur infra 3. lib. 3. . . Cuius contrarium videtur Scriptu-
ra innuere ibidem. Si autem dicatur, quòd Semei maledicendo David peccauit, sequitur inconueniens, scilicet, quòd Deus præceperit eum peccare, & sic fuit causa peccati per se & directè quòd est impossibile. Dicendum ad hoc, quòd David videns Semei solum & inermem ita constanter & intrepide sibi iniuriantem & manifestè coram bellatoribus multis fortissimis & audacissimis & ad vindicandum regis iniuriam promptissimis, perpendit quòd hoc non proueniebat ab ipso Semei tantum, sed à Deo spiritualiter hoc agente, & hoc vocauit præceptum Dei. Et licet Semei in hoc peccauerit voluntate iniqua maledicens David, non tamen propter hoc Deus fuit causa peccati in quantum peccatum est. Ad cuius intellectum sciendum quòd ad peccatum plura concurrunt. scilicet potentia qua peccatur, quæ est liberum arbitrium, & motus liberi arbitrii in consensum, & ad impulsum potentiarum executiarum, & totum istud est à Deo, qui est actor naturæ & operationum eius. Est etiam ibi deformitas in actu, quæ est quidam defectus ex quo actus habet rationem peccati, & huius Deus non est causa, sed defectibilitas liberi arbitrii sicut in claudicatione, quicquid est ibi ambulationis, seu motionis, reducit in virtutem motiuam sicut in causam: illud autem quòd est ibi deformitatis & defectus, reducit in causam tibiæ curuitatis. Et sic patet quòd Deus non est causa peccati, licet sit causa liberi arbitrii & motionis ipsius. Sic igitur potest dici, quòd constantia & audacia quæ fuit in Semei David impetendo, & entitas illius actionis, totum fuit à Deo vt per hoc David puniretur. Sed deformitas seu defectus, scilicet, quòd iniqua voluntate hoc fecerit, hoc non reducit in Deum sicut in causam, sed in liberi arbitrii defectibilitatem.

ESTIVS.

Dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit vt malediceret David. Et iterum. Dimittite vt maledicat iuxta præceptum Domini. Quæstio est, quomodo hoc David verè dicere potuerit, cum Deus non possit esse author peccati? Odio enim sunt ipsi impius & impietas, vt dicitur Sapient. 14. Primò, respondeo, quòd quidem hæc præceptio Dei non est intelligenda in sola & nuda permissione Dei: Tum, quia non rectè colligeret inde David, vt Semei dimitteretur ei maledicere, quia qui permittitur à Deo peccare, non statim dimittendus propterea est, seu permittendus ab hominibus peccatum tale committere. Tum etiam quia inde sequeretur absurdum, quòd omnis qui peccat, (quia Deo permittente peccat) etiam Deo præcipiente peccaret, & per consequentiam Davidis, impunè permittendus esset peccare. Præterea constat præceptionem istam propriè accipi non posse, vt obedientia eius commendetur. Non enim dici potest, quòd Semei vllum præceptum à Deo ad hoc acceperat, vt Davidi malediceret. Et alioqui etiam David malè hanc maledictionem iussisset postea puniri per filium Salomonem. Dicendum ergo præceptum hoc non aliud esse, quam Dei ordinationem, qua ad certum finem (vt videlicet patientia Davidis exerceretur) voluntate Semei mala iam & ad maledicendum parata, obtulit opportunitatem loci, & miseriar, ac fugæ regis, & aliarum circumstantiarum; quibus factum est, vt mala voluntas iam se exereret in actum, & opus ipsum, liberè Davidem maledicendi. Nam sine his circumstantiis à Deo oblatis, & procuratis, nunquam Semei ausus fuisset, regi in faciem maledicere. Sensus ergo est. Deus enim præcepit ei, id est, Deus sic ordinauit. Et hic modus loquendi vsitatus est in Scriptura sacra: Vnde illa, Psal. 148. *Ipsè mandauit & creata sunt.* Item: *Præceptum posuit, & non prateribit.* Et rursum Matth. cap. 8. *Imperauit ventis & mari.* David autem

agnoscens hanc singularem Dei ordinationem, noluit quidem eo tempore eum impedire à maledicendo, tanquam ex voluntate Dei oblatam acceptans materiam patitiar.

Quid mihi, & vobis est filij Sarnia? Quasi dicat, Omittite me. MENO.

Dominus præcepit. Quasi dicat, diuinæ iustitiæ me punientis instrumentum est.

Dominus præcepit ei. Tamquam listori suo, vt maledicat Davidi. Id est, sua Davidi scelera olim admissa exprobrat, & publicè coarguat. Sciebat enim David se suis sceleribus commertum esse eiusmodi exprobrationem seu maledictionem: neque posse sat multa, sat acerba in se probra & conuitia iaci. Persuadebat etiam sibi, Deum, vt pote omnium dominum, isto Semei tamquam instrumento suo vti voluisse ad insultandum Davidi, & exprobrandum admitta antè scelera, atque hoc sensu maledicendum Davidi. De quo aliquid dicam in re penè simili, Job 3. versu primo. Poterat ergo David iustè sibi quoque persuadere, Deum id Semei tamquam suo listori præcepisse: licet ipse limites excederet mandati diuini, & veris criminibus inter exprobrandum multa falsa admisceret. Vnde licet nihil tale Deus illi præcepisset, poterat tamen David piè id credere, & consequenter etiam affirmare. Et sic in significatione propria posset hinc accipi verbum *præcepit & præceptum*. Vel, si mauis, dic impropiè accipi, vt idem sit quòd *permisit cum posset impedire*, iuxta ea quæ dixi Genesis 45. Simili modo exponendus sanctus Augustinus cum dicit *Deum voluntatem Semei vitio suo malam inclinasse in hoc maledictum*, id est, inclinatam ad maledicendum impediuisse ne in aliud maledicti genus se flecteret, dimisisset tamen vt in hæc talia ferretur. Sicut immisisset diceretur leonem qui vincitum catena detinens, rugientem sauientemque promiscuè in omnes, detineret, ne in amicos incurreret, dimitteret vt in furem aut hostem ferretur. Quacumque autem ratione vsurpes hinc vocem *præcepti*, cum ex parte Dei & intentione ipsius non feratur in rem per se malam, sed indifferentem, si priore modo vsurpes, aut, si posteriore, non se habeat nisi permissiuè: malitia verò omnis à sola voluntate Semei promanarit, non potest ipse vlla ex parte à peccato, & quidem grauissimo, excusari. Vnde & David 3. Reg. 2. v. 8. illam eandem, quam hinc in Deum referre videtur, maledictionem vocat *peffimam*, vt potè à pessimo Semei corde & pessima intentione profectam.

Vbi Nota, pro eo quòd Vulgatus habet *peffima*, in Hebræo esse *nimrecset*. Quam vocem Hebræi, teste S. Hieronymo, dicunt componi ex quinque literis acrostichis seu initialibus, quæ quinque dictionum vim obtineant, & totidem conuitia designant à Semei in Davidem coniecta. Per primam *nun* designatur *noeph*, id est, adulter, propter adulterium cum Bethsabæe. Per secundam *mem*, Moabita, eò quòd David ex ignobili Ruth Moabite genus duceret. Per tertiam, *resh, rotseah*, id est, homicida, propter Vriam, & tot alios è medio sublatis. Per quartam, *tsade, tsaruaah*, id est leprosus, eò quòd David iam non aliter eiectus ex vrbe videretur, quam soleant leprosi, quorum consortium omnes horrent & execrantur. Per quintam *tan* desinatur *tochabah*, quòd abominabile significat. Simile habes Danielis, in illo, *Mane, thekel, phares*.

Ecce filius meus, qui egressus, &c. Hoc dicitur pro tanto, quia semen viri quòd est principium generationis filij, est de superfluo alimenti, quòd in vtero digeritur: & ad membra generatiuæ virtutis defertur. Cætera patent ex dictis.

Quanto magis nunc filius Iemini? Vir nempe neque domo, neque familia, neque tribu meus. Imò de tribu Benjamin, & cognatione Saulis, cuius in me inuidiam imitatur. MENO.

TIRINVS.

LYRAM.
V. II.

MENO.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 13. ad 19.

Vulg. Ambulabat itaque Dauid & socij eius per viam cum eo. Semel autem, per iugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides aduersum eum, terramque spargens.

Pag. Et iactabat puluerem.

Arias. Lapidabat lapidibus è regione eius.

Malu. Ambulabat in costa montis ad coniunctionem eius.

Sept. Lapidans ex obliquo.

Syr. Pergebat per oras montis, conuitians ei.

Vulg. Venit itaque rex, & vniuersus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi.

Lyran. Et quieuit ibi.

Arias. Respirauit ibi.

Malu. Et animatus fuit.

Arab. Turbati iamque fessi castrametati sunt in deserto.

Vulg. Absalom autem & omnis populus eius ingressi sunt Ierusalem, sed & Achitophel cum eo.

Vulg. Cum autem venisset Chusai Arachites amicus Dauid ad Absalom, locutus est ad eum: Salue rex, salue rex.

Pag. Viuat rex.

Sept. Rom. Quando venit Chusai princeps amicus Dauid.

Reg. Chusi Archi amicus.

Cald. Prosperet rex.

Vulg. Ad quem Absalom, Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non iuisti cum amico tuo?

Pag. Ista est misericordia?

Malu. Ista benignitas ad sodalem tuum?

Arab. Hæccine amicitia tua?

Vulg. Responditque Chusai ad Absalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuersus Israël, & cum eo mancho.

Sept. Cum eo sedebo.

Arab. Me cum ipso commorari oportet.

Vulg. Sed vt & hoc inferam, cui ego seruiturus sum? nonne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo & tibi.

Pag. Et secundo.

Arias. Et secunda. Ira Malu. Secundum quod seruiui faciebus patris tui.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Refocillati sunt ibi. Alij, Quieuit, respirauit. Scilicet Dauid cum eis, ex labore itineris. Nequaquam illius ero. Hebr. נל ל, scribitur per aleph, id est non, scilicet ero, Hoc mentis illius erat. Sed Absalom intelligebat נל ל, cum vau, ei vel illius ero, nempe ipsius Absalomi: Et hoc ambiguum erat. Sed & hoc inferam. Omnes alij, Secundò, vel secunda. Id est, deinde noua ratio, & argumentum, cur te ô Absalom sequi debeat.

ANNOTATIONES.

MENOC. **R**efocillati sunt ibi. In oppido scilicet Bahurim. Absalom autem & omnis populus, &c. Hic consequenter Chusai ab Absalom recipitur. Et patet litera vsque ibi.

LYRAN. **Hæc est**, inquit, gratia ad amicũ tuum? Scilicet ad Dauid, quasi dicat: non ostendisti te ei esse fidelem, hoc autem dicebat Absalom, vt exploraret mentem ipsius Chusai.

MENOC. **Hæc est gratia tua ad amicum tuum?** Dauid scilicet,

A quasi dicat, qualem ego te mecum futurum sperem, cum videam te eum deseruisse, qui de te bene meritus est?

Responditque, &c. Scilicet debui ire cum Dauid.

LYRAN.

Quia illius, &c. Quem elegit Dominus. In hoc mentitur est Chusai, quia Absalom non erat à Deo electus. Sed dixit hoc Chusai, vt Absalom eum reciperet libentiùs, nec oportet eum excusare de mendatio officioso.

LYRAN.

Y. 18.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 20. ad 24.

Vulg. Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium quid agere debeamus.

Arias. Date nobis consilium.

Syr. Quid acturus sum.

Vulg. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: vt, cum audierit omnis Israël quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.

Pag. Quod abominationem feceris, roborabunt manus eorum.

Arias. Ingredere ad pellices, &c. & reddiderit fœtidum eis.

Tigur. Quod odiosus sit factus patri tuo.

Vatab. Quòd rem fœtidam feceris.

Sept. Quia confundisti patrem tuum, & inualescent manus omnium.

Cald. Quòd alienatus fueris coram patre tuo.

Vulg. Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël.

Arias. Extenderunt tentorium super tectum, &c. Ad pellices.

Cald. Conophæa.

Arab. Super palatium.

Vulg. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cum esset cum Absalom.

Pag. Erat quemadmodum si quis interrogaret verbum Dei.

Malu. Consilium quod consulebat:

Arab. Erat veluti consilium hominis reuelationem habentis à Deo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quòd fœdaueris patrem tuum. Alij, Quòd abominationem feceris, &c. Vide Concord. vers. 30. cap. 34. Gen. & v. 21. c. 5. Exodi. In solario. Alij, Super tectum, nam tecta domorum in Palæstina erant plana. Vide Concord. v. 8. cap. 22. Deuter. Quasi si quis consuleret Dominum. Alij, Si quis interrogaret verbum, vel in verbo Dei. Scilicet per prophetam, quasi oraculi instar esset consilium Achitophel. Ita Arab.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**ixit autem Absal. ad Achito. Hic ultimo Absalom ad uxores patris sui ingreditur de consilio Achito-

phel. Cuius causa subditur.

vt cum audierit omnis Israël, &c. Perpenderat enim LYRAN.

Y. 21.

Achitophel quod multi erant cum Absalom vacillantes, eo quod timebant ne pater eius, & filius reconciliarentur, & sic fierent odiosi vtrique, eò quod fouissent Absalom in malo, ex quo timebant grauius postea puniri, & ideo ad remouendum hunc timorem & vacillationem, Achitophel consuluit Absalom, vt patenter fœdaret patrem suum, eius vxores cognoscendo carnaliter: vt per tale vituperium ipsi Dauid illatum, crederetur à populo dictam reconciliationem non posse fieri, & sic firmiter starent cum Absalom, Istud autem consilium licet fuerit ad malum finem ordinatum, tamen erat valde accommodatum ad finem intentum: Ideo subditur.

MENOC. *Ingrederere ad concubinas patris tui, &c.* Aliqui ex primoribus, & populo timide sequebantur Absalomem, timentes ne fortasse inter se filius, ac pater reconciliarentur, & qui pro Absalone steterint, pœnas luèrent: sic ergo Achitophel auctor Absaloni, vt adeo grauem patri irroget iniuriam, vt plane omnes sibi persuadeant nullam inter ipsos reconciliationis spem superesse.

MENOC. *In solario.* Vide dicta cap. 11. num. 2.

V. 22. *Consilium.* *Ista similitudo non tenet in omnibus, quia*

LYRAN. *consilium Dei non potest ad malum ordinari: Sed tenet quantum ad hoc quod consilium Dei est accommodatum ad finem intentum. Dicunt autem aliqui, quod Achitophel dedit hoc consilium, eo quod Bethsabæ neptem suam Dauid polluerat per adulterium.*

ESTIVS. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium A-*

chitophel. Hæc similitudo non per omnia quadrat. Nam Deus nullo modo consilio suo suggerit media ad finem malum, sicut fecit Achitophel. Sed sensus est. Consilium Achitophel, respectu finis sui propositi omnino tale habebatur, & quodammodo erat, quale consilium vel oraculum Dei ad finem suum, id est, valde accommodatum, & exactum ad consequendum finem. Laudatur ergo in Achitophel solertia in inueniendis mediis accommodatis, non probitas aut virtus veri nominis. Nam ista requirit, & disponit sua media ad bonum finem. Et laudatur Achitophel, non aliter, quam Dominus in Euangelio Lucæ 16. laudat villicum iniquitatis, eò quod prudenter fecisset. Et se explicans Dominus subdit: *Quia filij huius seculi prudentiores sunt in generationibus suis, filiis lucis.* Non absolute, scilicet, prudentiores, aut etiam prudentes: sed *in generationibus suis*, id est, in iis quæ ipsi animo destinant.

Quasi si quis consuleret Deum. Achitopheli sacer textus non prudentiam veram, sed quæ carnis dicitur, attribuit. Siue etiam naturalem quandam circumspectionem, quæ apta media ad finem aliquem siue bonum siue malum excogitat, & opportunè applicat. Conferatur autem cum diuina propter certitudinem euentorum, in quo tamen est hyperbole, quasi dicatur, erat præditus diuina prudentia, quantum licet magnis parua componere, terrena cælestibus, humana diuinis. Italicè diceremus, *Pigliauano isuoi consegli come orucoli.*

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS.

Alterum Achitophelis consilium de obruendo statim Dauide, dextrè subuertit Chusai: quare laqueo se suspendit Achitophel. Dauid Iordanem transit cum suis, cui tres eius amici necessaria per viam subministrant.

1. **D**ixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & confligens persequar Dauid hac nocte. 2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum. 3. Et reduciam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuerti solet: vnum enim virum tu quæris: & omnis populus erit in pace. 4. Placuitque sermo eius Absalom, & cunctis maioribus natu Israël. 5. Ait autem Absalom: Vocate Chusai Araciten, & audiamus quid etiam ipse dicat. 6. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Huiuscemodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium? 7. Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. 8. Et rursus intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, & viros qui cum eo sunt, esse fortissimos & amaro animo, veluti si versa raptis catulis in saltu sauiat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. 9. Forsitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit, loco: & cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom. 10. Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur: scit enim omnis populus Israël, fortem esse patrem tuum, & robustos omnes qui cum eo sunt. 11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: Congregetur ad te vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum. 12. Et irruemus super eum in quocumque loco inuentus fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem. 13. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea. 14. Dixitque Absalom, & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Aracitæ, consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus super Absalom malum. 15. Et ait Chusai Sadoc & Abiathar sacerdotibus: Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Israël: & ego tale & tale dedi consilium. 16. Nunc ergo mittite cito, & nuntiate Dauid, dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne fortè absorbeat rex, & omnis populus qui cum eo est. 17. Ionathas autem & Achimaas stabant iuxta Fontem Rogel: abiit ancilla & nuntiauit eis: & illi profecti sunt, vt referrent ad regem Dauid nuntium: non enim poterant videri, aut introire ciuitatem. 18. Vidit autem eos quidam puer, & indicauit

indicauit Absalom: illi verò concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum. 19. Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans pituitas: & sic latuit res. 20. Cumque venissent serui Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Vbi est Achimaas & Ionathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui querebant, cum non reperissent, reuersi sunt in Ierusalem. 21. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiauerunt regi Dauid, & dixerunt: Surgite, & transite cito fluuium: quoniam huiusmodi dedit consilium contra vos Achitophel. 22. Surrexit ergo Dauid, & omnis populus qui cum eo erat, & transierunt Iordanem, donec dilucesceret: & ne vnus quidem residuus fuit, qui non transisset fluuium. 23. Porro Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque & abiit in domum suam & in ciuitatem suam: & disposita domo sua, suspendio interiit, & sepultus est in sepulchro patris sui. 24. Dauid autem venit in castra, & Absalom transiit Iordanem, ipse & omnes viri Israël cum eo. 25. Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Iesraëli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Saruix quæ fuit mater Ioab. 26. Et castrametatus est Israël cum Absalom in terra Galaad. 27. Cumque venisset Dauid in castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, 28. obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, 29. & mel, & butyrum, oves, & pingues vitulos, dederuntque Dauid, & populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt, populum fame & siti fatigari in deserto.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 7.

Vulg. Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte.
Syr. Duo millia virorum.
Vulg. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum, cumque fugerit omnis populus, qui cum eo, percutiam Regem desolatam.
Pag. Veniam super eum, ipse autem est laborans, & debilis manibus, terrebo eum & percutiam regem solum.
Arias. Remissus manibus.
Caiet. Et lentus manibus.
Vatab. Debilis.
Sept. Resoluens manibus.
Syr. Exagitabo eum.
Arab. Languidus fugiet populus Rege perempto.
Vulg. Et reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuertit solet, vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.
Pag. Sicut redit vnus vir, omnis populus erit pacificus.

Arias. Erit pax.
Alij. Sicut redit amnis.
Alij. Sicut redit vnus.
Sept. Quemadmodum redit sponsa ad virum suum, tantummodo animam vnius viri tu quæris.
Arab. Eritque omnis populus incolumis ac tranquillus.
Vulg. Placuitque sermo eius Absalom, & cunctis maioribus natu Israëli.
Pag. Et rectum fuit verbum in oculis Absalom.
Vulg. Ait autem Absalom, vocate Chusai Arachitem, & audiamus quid etiam ipse dicat.
Malu. Et audiuius quid in ore eius etiam ipse.
Vulg. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum, huiusmodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium?
Arias. An faciemus verbum eius? tu loquere.
Vulg. Et dixit Chusai ad Absalom. Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.
Malu. Quod consuluit in isto icu.
Cald. In tempore hoc.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS:

Eligam mihi duodecim millia virorum. Syr. duo millia. sed mendum debet esse, cum in omnibus aliis duodecim millia habeantur. Qui lassus est, & solutis manibus. Alij, Remissus, lentus, id est nullarum virium. Percutiam Regem. Alij, Exagitabo eum. scilicet donec eum interfecerim, vt habet Arab. Quomodo vnus reuertit solet. Sept. Quemadmodum redit sponsa ad virum. Sed hæc comparatio in aliis lectionibus non est. Alij habent, sicut redit amnis. Et est lentus, sicut reuertit solet amnis, posito quod aluci altitudinem excedat obstaculo.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **D**ixit igitur. Hic consequenter ostenditur qualiter Absalom de morte patris sui tractauit. Et primo circa hoc consilium tractatur. Secundo huiusmodi tractatus ipsi Dauid renunciatur, ibi: *Et ait Chusai*. Circa primum præmittitur consilium Achitophel. Secundo ipsius Chusai, ibi: *Ait autem Absalom*. Circa primum dicitur.
Dixit igitur. Volens absorbere Dauid ex causa prædicta.
Eligam mihi. Tot enim videbantur sufficere ad debellandum Dauid & eius exercitum, qui erant fugitiui & stuprati de hoc quod acciderat.
Et consurgens perse. Antequam possit aliquod fortalitium intrare, & ibidem populum sibi fauentem recolligere.
LYRAN. *Et irruens super eum*. Id est ex itinere fatigatus.
V. 2. *Et solutis*. Id est, destitutus viribus.
Percutiam eum. Tanquam facilem ad debellandum.
Tom. IV.

Et reducam vniuersum. Ad obediendum tibi.
Solutis manibus. Id est, remissis, seu debilibus.
Percutiam eum. Hebr. & Septuaginta, *tenebo eum*. Cald. *turbabo eum*.
Desolatam. Solum relictum.
Et omnis. Id est, eo interfecto omnes obediunt tibi pacificè.
Et reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuertit solet: vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace. Illud (quomodo vnus homo reuertit solet) in Hebræo ad verbum sic sonat (secundum redire omnem.) Vnde pridem varia fuit huius loci lectio, & expositio, in quam ne iterum aliquando incidamus lubet annotare præcipua Francisci Lucae in hunc locum: Plurimi, inquit, legunt (quomodo omnis reuertit solet.) Quia verò obscurior est lectio, ab alijs atque aliterque atque aliter mutata est. Nonnulli (omnis) commutarunt in (amnis) id est, in flu-

LYRAN. M. ENOC. L. Y. 3. ESTIUS.

Y H

uuum, *Quomodo annis reuerti solet*, vt sensus sit; Sicut reuerti solet annis, posito scilicet, quod aluei altitudinem excedat, obstaculo. Quidam (*omnis*) in (*vnus*) transmutarunt; *Quomodo vnus reuerti solet*. Sic enim Bessarionis exemplar, quod in Collegio Theologorum maiori Louanij adseruatur, habet. Huic Scripturæ alij, id quod subaudiendum videbatur, addiderunt: *Quomodo vnus homo reuerti solet*. Quod quia perspicuo est sensu, codices plerisque inuasit. Neque ab Hebraicæ scripturæ sensu alienum est. Nam quod ad verbum ex Hebræo rectè vertitur (*secundum redire omnem*) intelligi etiam potest, sicut vnus quilibet reuertitur. Hæc inter alia Francisc. Lucas.

MENOC. *Quomodo vnus homo reuerti solet, &c.* Sententia nostræ vulgatæ esse videtur, Totus Israël te sequetur vnanimi consensu nullo excepto, nam vnus tantum caput quærimus, quo sublato, nemo supererit, qui populum in

varias partes distrahat.

Placuitque sermo eius. Tanquam valdè accommodus ad finem intentum, licet malum.

Ait autem Absalom. Hic consequenter ponitur consilium ipsius Chusai. Et primo dissipat Achitophel consilium. Secundo dat suum, ibi: *Sed hoc mihi rectum videtur esse consilium.* Circa primum dicit sic.

Non est. Quasi dicat, licet sit sapiens homo & consuetus dare bona consilia, tamen defecit ista vice. Hoc autem dixit Chusai, ne videretur contra Achitophel inuidia moueri: & ideo licet de sapientia eum commendauerit generaliter, non tamen in hoc factò, secundum illud: quandoque bonus dormitat Homerus. Rationem autem huius defectus ostendit ex tribus rationibus. Prima accipitur ex fortitudine Dauid & voluntate se vindicandi, & similiter aliorum qui cum eo erant, quod notatur, cum dicitur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 10.

V*ulg.* Et rursus intulit Chusai: Tu nosti, patrem tuum, & viros qui cum eo sunt, esse fortissimos & amaro animo, veluti si vsa raptis catulis in saltu sæuiat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.

Pag. Sicut vsus oratus in agro, &c. Non pernoctabit cum populo.

Caiet. Non faciet dormire populum.

Sept. Rom. Et tanquam sus aspera in campo, & pater tuus non dissoluet populum.

Reg. Non sedabit.

Syr. Tu nosti, &c. Et seruos eius esse gigantes, &c. Non pernoctat ad latus populi.

Arab. Acerbi animi viros.

Vulg. Forsitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit, loco: & cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom.

Malu. Fuit consternatio.

Sept. Rom. Nunc absconditus est in vno collium, &c. Et erit incidendo eis in principio.

Reg. In vna vallium, &c. Facta est ruina.

Cald. In vna ex speluncis.

Syr. Audieritque rumore quod facta est clades.

Arab. Quod calamitas oppresserit populum.

Vulg. Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur: scit enim omnis populus Israël, fortem esse patrem tuum, & robustos omnes qui cum eo sunt.

Pag. Liquefiendo liquefiet.

Arias. Ipse etiam filius virtutis.

Malu. Strenuitatis.

Syr. Cumque ipse sit fortissimus, nullo modo contabescet.

Arab. Sane si vir magnanimus est, & cor eius leoninum, haudquaquam trepidabit, nec remitteretur.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V*Eluti si vsa raptis catulis,* Sept. Rom. addunt, *Et tanquam sus aspera in campo.* Hæc secunda comparatio abest ab alijs, *Forsitan nunc latitat in foueis.* Sept. *In vno collium.* Reg. *vallium.* Fouea enim etiam sunt in collibus sicut in vallibus: *Et cum ceciderit vnus quilibet in principio.* Sept. *Et erit in incidendo in eis principio.* Videntur hoc significare. Cum tui inciderint in ea loca occupata à Dauid, etiam in ipsum Dauid & eius milites fortissimus quisque, cuius est cor quasi leonis, pauore soluetur, id est ex militibus tuis licet fortissimis. Sensum alium expriment Sept. & illud fortissimus referunt ad Dauidem ipsum, qui nullo timore percelleretur, qui sensus etiam verus est.

ANNOTATIONES.

LYRAN. V. 8.

T*vnosti.* Quasi dicat, periculosum est inuadere eum, & maximè modo, quia ex amaritudine animi ponet totum pro toto ad se vindicandum. Secunda ratio accipitur ex prudentia bellica quæ erat in Dauid ex multis experimentis, hoc notatur cum dicitur.

Sed & pater. Modus enim est ducum exercitus, qui timent inuadere personaliter, quod de nocte quiescentibus alijs se cum paucis solent absentare, maximè quando timent à suis tradi, quia dicebat Chusai ipsum Dauid de hoc probabiliter timere, vt tradentes eum haberent gratiam Absalom, quasi dicat Chusai, sic faciet pater tuus. Et ideo si percutiatur totus eius populus, non habebis intentum: quia non morabitur cum eis in castris, sed alibi, vt possit ad eum postea populus aggregari. Tertia ratio accipitur ex parte virorum Absalom, quia communiter in talibus inuasionibus cadunt aliqui de inuadentibus, & ex festuca fit trabs: quia ex modica percussione fit rumor magnæ oc-

Bcisionis: & sic expauescunt insequentés, & dissoluuntur & fugiunt. Et hæc ratio notatur, cum dicitur: *Et cum ceciderit vnus quilibet in principio, &c.*

Et amaro animo. Quasi dicat, periculosum est, cum desperatis hominibus pugnare, non inulti cadent. MENOC.

Nec morabitur cum populo. Ponebat Achitophel Dauidem in medio populi sui esse, ibique à suis perturbatis destitutum iri. Chusai contra opponit Dauidis consuetudinem nocte sedentis à turba, ne à suismet coniuratione aliqua comprehensus, hostibus dedi posset, sicque fore vt quamuis Dauidis copiæ deleantur, ille tamen euadat.

Audiet, &c. Id est, quicumque audierit, dicet. MENOC.

Fortissimus quisque. In Hebr. est, & ipse etiam filius fortitudinis. Id est, ipse Achitophel, qui dat hoc consilium, trepidabit. Aut cum Hieronymo, & alijs, intelligitur de quouis fortissimo, qui si quem noctu offenderit, expauescet. MENOC. V. 9. MENOC. V. 10.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 11. ad 16.

V*ulg.* Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium, congregetur ad te vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum.

Pag. Et facies tua vadat ad bellum.

Arias. Et facies tuæ euntes in conflictu.

Tigur. Deinde vt tu præfens sis in conflictu.

Sept. Rom. Quoniam sic consulens consului.

Cald. Tu ambulabis in capite omnium nostrum.

Vulg. Et irruemus super eum in quocumque loco inuentus fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo

funt, ne vnum quidem.
Pag. Et veniemus ad eum vnum è locis in quo inuenietur,
 & castrametabimur aduersus eum.
Alij. Requiescemus super eum.
Cald. Decidemus super eum.
Vulg. Quòd si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiat ne calculus quidem ex ea.
Pag. Et in ciuitatem collegerit sese.
Arias. Portabunt omnis Israël funem.
Malu. Vtiquequo non inueniatur scrupulus.
Cald. Diruemus eam & lapides eius, & proiciemus eam in flumen.
Vulg. Dixitque Absalom, & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachitæ, consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vile, vt induceret Dominus super Absalom malum.
Pag. Dominus autem præceperat, vt destrueret consilium Achitophel, quod bonum erat.
Arias. Infringeret consilium.

Malu. Ad labefactare consilium, &c. Ad in transitione venire facere Ihu ad Absalom malum.
Sepr. Mala omnia.
Cald. Dominus iusserat infatuari consilium.
Syr. Irritum fieri.
Vulg. Et ait Chusai Sadoc & Abiathar sacerdotibus: Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Israel: & ego tale & tale dedi consilium.
Vulg. Nunc ergo mittite cito, & nuntiate Dauid, dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne fortè absorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo est.
Lyrans. Ne consulatur Regi, & populo qui cum eo est.
Pag. Ne fortè deglutiatur rex.
Arias. Ne pernoctet.
Malu. Nunc mittite festinantia, &c. Nequando absorbeatur regi.
Cald. In planitie, &c. Ne fortè pereundum sit regi.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

T*V*eris in medio eorum. *Alij, Et facies tua vadat ad bellum, &c.* Hebr. בקרב bacherab, potest exponi in medio, in conflictu, in intimo, &c. *Et operiemus eum.* *Alij, Castrametabimur, requiescemus super eum.* Hebr. ונחננו venachnu quod quidam à נוח nunuh deducunt, quod est requiescere: & sensus est, occupabimus, obruemus eum subito, *Alij à חננה chanah deriuant, castrametari. Ne fortè absorbeatur.* *Alij, Ne quando deglutiatur Rex:* Est verbum בלע balagh, quod constructur cum datiuo, & est sensus, ne fortè exitium afferatur Regi. *Lyrans.* legit, *Ne fortè consulatur Regi,* & explicat, nempe Absaloni, vt dimisso meo consilio fiat secundum consilium Achitophel, sed alia lectio germana est.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Sed hoc mihi rectum videtur.* Hic consequenter Chusai dat suum consilium, dicens: *Congregetur ad te vnuerfus Israël, &c.* Id est, in tanta multitudine, quod nullus possit tibi resistere.

Et tu eris in medio eorum. Sicut rex potentissimus & gloriofissimus, & sic attribuetur tibi victoria de Dauid, & non Achitophel, vel cuiumque alteri ad hoc missio.

MENOC. *Hoc mihi rectum esse videtur consilium.* Bonum, vtileque consilium, in Dauidis scilicet commodum, quod si Chusai in mente habuit, non est mentitus.

TIRINVS. *Et tu eris in medio eorum.* Petierat inter alia Achitophel, vt ipse præficeretur exercitui Imperator, dum ait, *Eligam mihi duodecim millia, & persequar, & percutiam Dauid.* Id verò improbat quoque Chusai, & vult ipsummet regem Absalomum bellis interesse, illiusque auspiciis omnia administrari, vt pote quem milites pluris essent facturi, & qui incommodis omnibus facilius occurrere possit. Vt optimè declarat Onofander Strategicus, & Synesius in oratione ad Imperatorem Arcadium: & experientia sæpè docuit. Accommodat verò Chusai totam orationem suam ad infani Absalomi vanissimum ingenium, vt rationibus suis fidem & pondus conciliet.

LYRAN. *Et operientur.* Id est, in tanta multitudine, quod non poterit se protegere.

MENOC. *Sicut cadere solet ros super terram.* Cuius guttulæ innumerabiles sunt.

LYRAN. *Quod si urbem aliquam fuerit ingressus.* Te fugiendo.

Circumdabit omnis Israël. Loquitur metaphoricè, & est sensus; ita destruemus totam illam ciuitatem, quod non erit aliqua resistentiâ: Vnde in Hebræo habetur: *Circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes,* Scilicet armatorum ad totum populum destruendum.

MENOC. *Circumdabit illi funes, &c.* Videtur esse prouerbiale, & hyperbolicum dicendi genus, quo gloriosi milites tunc vtuntur cum suas vires iactant. Simili dicendi formula vsi

videntur Reges Samariæ, & Syriæ, licet paulò obscurius Isa. 7. cum ingenti exercitu aduersus Iudam comparato aiunt: *Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos.*

Vt non reperiat ne calculus quidem ex ea. Hæc etiam prouerbialis est, & hyperbolica dicendi formula.

Dixitque Absalom. Itaque dissipatum fuit consilium Achitophel. Cuius causa subditur.

Domini autem. Quia Dominus humiliationem Dauid & eius patientiam respexerat oculo misericordiæ, & Absaloni reddere volebat pœnam suæ malitiæ. Totam autem prædictam concionem narrauit Chusai, Vt Dauid haberet tempus se colligendi in aliquo fortalicio, & congregandi populum sibi deuotum, & ordinandi eum ad pugnandum contra Absalom.

Consilium Achitophel utile. Potuit enim Dauid opprimi, si celeritate vsi fuissent, nec tempus illi ad copias contrahendas reliquissent.

Et ait Chusai Sadoc, &c. Hic consequenter tractatus consilij prædicti renuntiat ipsi Dauid, & primo describitur huius consilij renuntiatio.

Secundo ipsius Achitophel digna punitio, ibi: *Porro Achitophel.* Tertio pugnae contra Dauid præparatio, ibi: *Dauid autem.* Sententia primæ partis patet, vsque ibi.

Et nuntiate Dauid. Hoc autem dixit Chusai, timens ne in eius absentia Achitophel suaderet Absalom executionem sui consilij. Vnde vbi nostra translatio habet, *Ne fortè,* Id est, Dauid, in Hebræo habetur: *Ne consulatur regi.* Scilicet Absalom, quod faciat consilium Achitophel, & sic inueniretur Dauid & exercitus lassus & fatigatus, & sic de facili possit capi rationibus prædictis in consilio Achitophel.

Ne moreris nocte hac in campestribus, &c. Ne fortè iterum Absalom in Achitophelis consilium inclinet, & superuenientibus eius copiis cadatur, aut in filij potestatem veniat.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 21.

Vulg. Ionathas autem & Achimaas stabant iuxta Fontem Rogel: abiit ancilla & nuntiauit eis: & illi profecti sunt, vt referrent ad regem Dauid nuntium: non enim poterant videri, aut introire ciuitatem.

Sept. Quia non poterant videri ingredi ciuitatem.

Cald. Stabant in scaturigine fontis.

Arab. Abiens vna ex ancillis Sacerdotis, &c. Quoniam isti duo non poterant se præbere in vrbe.

Vulg. Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom: illi verò concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum.

Pag. Et erat ei puteus in atrio suo.

Sept. Cisterna.

Vulg. Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: & sic latuit res.

Pag. Expandit super eum frumenta contusa, & non est agnita res.

Arias. Expandit operimentum super facies putei, & distendit contusa grana.

Tigur. Hordeum.

Malu. Contusiones.

Sept. Rom. Siccauit super illud Araphot.

Reg. Palathas.

Syr. Cicerculam nemine conscio.

Arab. Cepit vxor eius cilicium.

Vulg. Cumque venissent serui Absalom in domum ad mulierem dixerunt: Vbi est Achimaas & Ionathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reuersi sunt in Ierusalem.

Lyrans. Transierunt riuum.

Pag. Vadum aquarum.

Sept. Rom. Præterierunt, &c. pusillum aquæ.

Reg. Gustantes parum aquæ.

Cald. Iam transierunt Iardena.

Syr. Prætergressi sunt isthinc, quæsierunt enim aquam, & non inuenerunt.

Vulg. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiauerunt regi Dauid, & dixerunt: Surgite, & transite cito fluium: quoniam huiuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel.

Malu. Transit festinantia aquas.

Arab. Traice fluium.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non poterant videri aut ingredi urbem. Alij, Quia non poterant videri ingredi ciuitatem. Et sic aliqua Bibl. Latina confodiunt aut, non enim est in Hebr. vnde sensus est: Non poterant ingredi in urbem, ne conspicerentur. Quasi siccans ptisanas. Alij, Frumenta, hordea contusa, &c. Ptisana vox Græca est significans hordeum, vel triticum decorticatum *ἴσικον* enim est purgo, decortico; fit etiam ptisana ex alijs fructibus & plantis. Sept. Rom. habent *Araphot*. Est ipsa dictio Hebr. quam alij frumenta contusa verterunt. Gustata paululum aqua transierunt. Alij, Vadum aquarum. Vtrumque fortè dixerunt. Syr & Arab. contrarium dixisse videntur, sic enim legunt. *Quæsierunt aquam & non inuenerunt.*

ANNOTATIONES.

- LYR AN.** *Ψ. 17.* **I**onathas. Expectantes extra ciuitatem rumores de do- **A** *Quasi sic.* Id est, hordeum decorticatum. **MENOC.**
imo Absalom. *Quidam puer.* Eiusdem ancillæ filius, ex iisdem tradi- **MENOC.**
Abiit ancilla. Ad hoc enim fuit missa, vt magis lateret **tionibus.**
negotium, quia ibat quasi ad lauandum pannos ibidem.
Non enim poterant videri introire ciuitatem. Vidit autem
eos quidam. Iam enim sciebat Absalom quod erant con-
iuncti ipsi Dauid, & ideo iussisset interfici. **MENOC.**
Sept. Rom. **Ionathas, & Achimaas.** Ab ipso Dauid destinati vt mu- **Ψ. 19.**
nere nuntiorum fungerentur.
Iuxta fontem Rogel. Id est, *Fontem fullonis.* Fuit hic fons
in suburbanis Hierosolymorum versus orientem.
Abiit ancilla. Specie lauandi in fonte pannos, vt ait Hieronymus in traditionibus, & ex eo alij.
Poterant. Id est, tutum erat.
TIRINVS *Iuxta fontem Rogel.*] Is, vt patet ex Iosue 15. erat prope Ierusalem, fecernebatque tribum Iuda à tribu Benjamin ad plagam Meridionalem, & putatur is esse, qui à nonnullis vocatur *fons fullonis*: à quo & *ager fullonis* nomen acceperit. Ad hunc fontem ancilla quædam, specie lauandi pannos (vt Iosuephus & Hebræi, teste S. Hieronymo tradunt) missa est, vt quid in vrbe gestum esset, duobus adolescentibus, haud procul à fonte præstolantibus aperiret. **TIRINVS**
LYR AN. *Ψ. 18.* *Qui habebat, &c.* Id est in curia sua seu atrio. **LYR AN.** **Ψ. 20.**

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 22. ad 29.

Vulg. Surrexit ergo Dauid, & omnis populus qui cum eo erat, & transierunt Iordanem, donec dilucesceret: & ne vnus quidem residuus fuit, qui non transisset fluium.

Pag. Non defuit.

Malu. Non decongregatus fuit.

Sept. Transierunt vsque ad lucem matutinam, vsque ad vnum non latuit.

Vulg. Porro Achitophel videns, quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexit tunc & abiit

in domum suam, & in ciuitatem suam, & disposita domo sua, suspedio interit, & sepultus est in sepulcro patris sui.

Pag. Præcepta dedit familiæ suæ, & strangulauit se.

Malu. Superalligauit asinum.

Sept. Suffocauit se. *Alij.* Et iugulauit se.

Vulg. Dauid autem venit in castra: & Absalom transiuit Iordanem, ipse & omnes viri Israël cum eo.

Pag. Venit in Manachaim.

Sept. In Manaen.

Vulg. Amasam vero constituit Abfalom pro Ioab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Israheli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Saruix, quæ fuit mater Ioab.

Malu. Super militiam.

Sep. Virtutem nomen eius Ietra Israheli.

Vulg. Et castrametatus est Israhel cum Abfalom in terra Galaad.

Vulg. Cumque venisset Dauid in castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Ammi-hel de Lodabar, & Berzellai Galaatides de Rogelim.

Malu. Et fuit secundum venire Dauidem in Mecha-naim.

Vulg. Obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer.

Pag. Lectum & crateres.

Arias. Cubile & scyphos, tostum, &c.

Caiet. Et hydrias.

Malu. Cubationem & vasa, & vas plastis, &c. & tor-refactum.

Sept. Et lebetes decem.

Cald. Syndones, lagenas.

Vulg. Et mel, & butyrum, oues, & pingues vitulos, de-deruntque Dauid, & populo qui cum eo erat, ad ves-cendum: fuscipati enim sunt, populum fame, & siti fa-tigari in deserto.

Lyrans. Et caseos armentorum.

Pag. Dixerunt enim, populus famelicus, & lassus, & si-tiens est.

Arias. Et coagulationes bouis accedere, fecerunt.

Malu. Eminentias bouis.

Sep. Rom. Et Saphoth boum.

Reg. Lactentes vitulos.

Arab. Et lac vaccinum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Suspendio interiit, Alij, Strangulauit se. כחמ chanak, in formula passiuua seu Niphal, & suffocatus fuit: vnde qui-dam volunt suffocatum fuisse morbo, sed quod suspendi se, communior est sententia. De Israheli, Alij, Is-rahelita. Videtur legisse Vulg. cum Zain, & Ghain Iizerghelita, Hebr. Codices cum Schin & Aleph: vnde constan-ter legunt Israhelita, qui tamen i. Paral. v. 17. dicitur Ismaelita. Quidam volunt genere, & religione esse Israhelitam, sed incolatu, & habitatione Ismaelitam, quod apud Ismaelitas aliquandiu ibi habitauerit.

Stratoria, Alij Lectum, Heb. משובב misgab, quod quibusdam vrceum significat. Cald. Syndones, Sep. Cubilia. Et hoc sequitur noster Vulg. & videtur verius lectum aliquem attulisse, in quo Dauid cubaret, aut fortè multos le-ctos, singulare pro plurali. Tapetia, Alij, Scyphos, Cald. Lagenas. Sed Sep. vt Vulg. Polentam, Alij, Tortam, nempe grana tosta. Sanè מלי kali, quod bis ponitur tostum significat. Vulg. addidit, Oues, & Sep. Similam, caseos pingues, pingues vitulos, Alij, Caseos armentorum, vel caseos lacis vaccarum, Alij, Eminentias boum, id est, præstantissimos, & pinguisimos, ex armento, quod Vulg. intellexit. Dixere alijs, Caseos, quod sint veluti extantiæ, & eminentiæ à for-ma, sicut etiam caseus dicitur גבינה gebinah, à forma celliore.

ANNOTATIONES.

MENOC. p. 22. NE vnus quidem, &c. Cum scilicet albefceret ca- lum, omnes Dauidis comites partim nauculis, par-tim vado Iordanem transierunt.

LYRAN. p. 23. Porro. Hic consequenter ponitur ipsius Achitophel di-gna punitio: quia propter nimiam iniquitatem suam per-missus est à Deo interficere seipsum. Et hoc est quod dicitur.

Videns. De hoc fuit valde indignatus, eo quod consi-lium Chusai approbatum fuerat, & suum reprobatum.

Et disposita domo sua. Quia filiis suis diuisit bona sua.

Suspendio. Per seipsum, quod fecit non solum propter indignationem prædictam, sed etiam, quia stultitiam Ab-falom, & populi qui erat cum eo percipiebat: & ex hoc firmiter timebat, quod Dauid præualeret, & in regnum rediret, propter quod timebat ab eo occidi morte turpi, & dolorosa, ideo voluit magis præuenire mortem suam per aliam viam.

MENOC. Disposita domo sua. Datis scilicet familiæ mandatis, quid se mortuo fieri vellet.

Suspendio interiit. Iam animo præfagiens victorem fut-urum Dauidem, & extrema quæque sibi timens: impulsus etiam indignatione quod consilium suum Chusai con-silio post habitum fuisset.

LYRAN. p. 24. Dauid autem. Hic consequenter describitur, belli præ-paratio, quia Dauid transito Iordane venit ad quen-dam locum, fortiter munitum, propter quod vocabatur מנימ Manaim, id est, castra: quia Iacob ibi obuiauit Angelus, vt habetur Gen. 33. Et ibi Dauid populum ad se venientem recollegit, & ipsum ordinauit ad resisten-dum Abfalom, vt plenius habetur infra.

Et Abfalom. Vt caperet Dauid confidens de multitu-dine populi cum eo existente.

MENOC. Venit in castra. Quæ vrbs Hebraicè Mahanaim dicitur, eratque ultra Iordanem. Vide Gen. c. 32. v. 2.

TIRINVS. Dauid autem, &c.] Sep. Heb. Mahanaim seruarunt, quod castra quidem significat, sed hîc est nomen ciuitatis iuxta regionem Galaaditidem, haud procul ab Ammoni-tide, vt colligitur ex v. 27. Porro nomen vrbi illi imposuit olim Iacob Gen. 32. v. 2. Cum vidisset Iacob, obuiam

A sibi Angelos Dei, ait, castra Dei sunt hæc: & appellauit no-men loci illius Mahanaim, id est, castra. Et forsitan spe simi-lis de celo adiutorij Dauid hunc sibi locum præcipuè de-legit. Verum & ciuitas ipsa, iuxta nomen suum, laus vi-debatur ad resistendum munita. Interim magna hominum vis ad Dauidem vndique confluit, vnde tres acies paulò post conflatae sunt, quæ innumeris Abfalomi copiis op-positæ fuerunt.

Amasam vero constituit. Ex quo patet, quod propone-bat Ioab occidere cum Dauid, quod patet ex hoc quod sequitur de patre eius. LYRAN. p. 25.

Qui ingressus. Id est, Isai patris Dauid, qui vocatus est Iesse, Isai, & Naas.

De Israheli. Ciuitate Iuda, sicut & Achinoam vxor Da-uidis, & mater Amnon. ME NOC.

Ingressus est, &c. Modus hic loquendi, vt notauit San-chez, aliquid indicat non omnino legitimum, quare ali-qui putant Amasam ex furtiuo concubitu fuisse suscep-tum, sed ex scriptura nihil certi haberi potest.

Ietra de Israheli. Id est, Israhelita i. Paral. 2. v. 17. idem hîc parens Amasæ vocatur Iether Ismaelites. Quod nomen fortitus videtur ab habitatione inter Ismaelitas, sicut sex-centi viri præsidarij Dauidis dicebantur Gethai, quia ali-quandiu commorati fuerant in Geth. TIRINVS

Qui ingressus est. Non legitime, sed furtiuè, ad Abi-gail filiam Naas.] Seu Iesse, quia hic binomius erat, vt constat ex i. Paral. 2. v. 13. vbi iidem filij, filia & nepotes tribuuntur Iesse, seu Isai, qui hoc loco dicuntur esse Naas. Ex dictis colligi videtur, Amasam ex illegitimo thoro prognatum fuisse.

Sobi filius Naas, &c. Iste Naas fuit rex Ammon, qui fe-cit cum Dauid misericordiam, vt dictum est supra cap. 10. Cuius filius Hanon deturpauit nuntios Dauid, propter quod fuit ab eo interfectus, & Sobi frater eius pro eo rex constitutus, quia illud vituperium non fuit factum per ip-sum, & quia tunc Dauid misericorditer egit cum eo: ideo vice versa ipse Dauid fugienti præbuit auxilium contra Abfalom, & necessaria prout potuit, ministrauit. Et simi-liter Ammihel, & Berzellai. LYRAN. p. 27.

MENOC. *Sobi filius Naas.* Frater Hanonis Ammonitæ, qui contumeliosè acceptis Dauidis legatis, dein malè multatus à Dauidè, in gratiam Naas parentis, de ipso Dauidè benè meriti in regnum fuerat restitutus.

Machir. Ille idem est qui Miphiboseph Ionathæ filium nutriebat, antequam ad Dauidis conuictum admitteretur. Vide suprà c. 9. n. 4.

TIRINVS *Sobi filius Naas.* Regis Ammonitarum. Erat hic frater Hanon, eius qui legatis Dauidis barbam ignominiosè præcidit, & vestes. Hunc enim Dauid loco fratris regem

A constituerat, inquit S. Hieronymus. Cuius beneficij ille memor, iam exuli, & fugituo Dauidi ea defert vitæ subsidia, & dignitatis ornamenta, quæ hic Scriptura commemorat, putà frumentum, pecora, obsonium omne genus, stratoria, tapetia, reliqua supellestilia.

Stratoria & tapetia. Id est, necessaria pro lectis. Cætera LYRAN. p. 28. MENOC.

Stratoria. Lectos. Cald. *Sindones.*

Tapetia. Fortassè stragula, & lectorum operimenta.

Potentam. Frumenti, aut farris grana tosta, & contusa.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

SYNOPSIS.

Absalom prelio victus, ex fuga quercui innectitur, & pendulus à Ioab transfoditur: quem amore deflet Dauid.



I. Gitur considerato Dauid populo suo, constituit super eos tribunos, & centuriones, 2. & dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Saruiæ fratris Ioab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum. 3. Et respondit populus: Non exibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius est igitur vt sis nobis in vrbe, præsidio. 4. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam: egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, & milleni. 5. Et præcepit rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom. 6. Itaque egressus est populus in campum contra Israël, & factum est prælium in saltu Ephraim. 7. Et cæsus est ibi populus Israël ab exercitu Dauid, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. 8. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos vorauerat gladius in die illa. 9. Accidit autem vt occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui infederat, pertransiuit. 10. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiauit Ioab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu. 11. Et ait Ioab viro, qui nuntiauerat ei. Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum balteum? 12. Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: custodite mihi puerum Absalom. 13. Sed & si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso? 14. Et ait Ioab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, 15. cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. 16. Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini. 17. Et tulerunt Absalom, & proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis: omnis autem Israël fugit in tabernacula sua. 18. Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum qui est in valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine suo: & appellatur Manus Absalom, vsque ad hanc diem. 19. Achimaas autem filius Sadoc, ait: curram, & nuntiabo regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius. 20. Ad quem Ioab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare, filius enim regis est mortuus. 21. Et ait Ioab Chusi: vade, & nuntia regi quæ vidisti. Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit. 22. Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab. Quid impedit si etiam ego curram post Chusi? Dixitque ei Ioab: Quid vis currere fili mi? Non eris boni nuntij baiulus. 23. Qui respondit: Quid enim si cucurrero? Et ait ei: curre. Currens ergo Achimaas per viam compendij, transiuit Chusi. 24. Dauid autem sedebat inter duas portas: speculator vero, qui erat in fastigio portæ super murum, eleuans oculos, vidit hominem currentem solum. 25. Et exclamans indicauit regi: Dixitque rex: Si solus est, bonus est nuntius in ore eius. Properante autem illo, & accedente propius, 26. vidit speculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex: Et iste bonus nuntius. 27. Speculator autem: contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc. Et ait rex. Vir bonus est: & nuntium portans bonum, venit. 28. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salue rex, Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus,

qui conuulsit homines qui leuauerunt manus suas contra dominum meum regem. 29. Et ait rex : Estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas : Vidi tumultum magnum, cum mitteret Ioab seruus tuus, ô rex, me seruum tuum, nescio aliud. 30. Ad quem rex : Transi, ait, & sta hic. Cumque ille transisset, & staret, 31. apparuit Chusi : & veniens ait : Bonum apporto nuntium, Domine mi rex : iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. 32. Dixit autem rex ad Chusi : Estne pax puero Absalom? cui respondens Chusi : Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, & vniuersi qui consurgunt aduersus eum in malum. 33. Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, & fleuit. Et sic loquebatur, vadens : Fili mi Absalom, Absalom fili mi : quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* I. ad 4.

Vulg. Igitur considerato Dauid populo suo, constituit super eos tribunos & centuriones.
Pag. Numerauit populum.
Arias. Principes millium, & principes centenorum.
Sep. Chiliarchos.
Cald. Magistros millium.
Syr. Duces.
Vulg. Et dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Saruiæ fratris Ioab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque rex ad populum : Egrediar, & ego vobiscum.
Sep. Exiens exhibo etiam vobiscum.
Vulg. Et respondit populus : Non exhibis : siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit : siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt : quia tu vnus pro decem millibus computaris : melius est igitur vt sis nobis in vrbe, præsidio.

Pag. Non ponent super nos cor, & si mortua fuerit medietastrum nostrum, non ponent super nos cor, & nunc bonum.
Cair. Quia nunc super nos decem millia.
Cald. Tu potes roborare sicut nos, decem millia.
Syr. Nequaquam adiciunt ad nos animum, quare sufficient nobis decem millia, & consultius nobis est vt adiutores habeamus è ciuitatibus.
Arab. Si nos profligarint ac fugerimus, non considerabunt quod fugiemus, quapropter contenti simus decem millibus, vtiliores enim erunt nobis quam ij qui congregarentur ad nos è ciuitatibus.
Vulg. Ad quos rex ait : Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam : egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, & milleni.
Arias. Stetit ad manum portæ
Sep. Exhibat populus in centuriis, & in millibus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non magnopere ad eos de nobis pertinebit, Alij, Non ponent ad nos cor. Heb. est, quo indicat non curæ futuram esse de illis victoriam, nec illorum fugæ vllam curam habendam. Quia tu vnus pro decem millibus computaris, Alij, Quia nunc super nos decem millia, &c. Sed obscura verba, quorum sensus poterit esse, quod decem millia apud eos computabuntur, saluo eo, & incolumi manente, & licet non illegitimus sensus : germanior est nostri Interpretis, nempe te saluum tanti faciunt, quanti facerent 10000. hominum nobis similiū. Arab. alium sensum exponit : nempe se contentos esse decem millibus, quos in exercitu suo habebant, & sibi fore vtiliores, iis qui aliunde venturi essent.

ANNOTATIONES.

LYRAN. V. 1.

Igitur considerato. Hic consequenter ostenditur, qualiter Absalom Dei iudicio in bello interiit. Et primò ex parte Dauid describitur ordinatio populi. Secundò belli, ibi : Itaque egressus. Tertio denuntiatio facti, ibi : Achimaas autem. Quarto lamentatio filij, ibi : Contristatus itaque. Circa primum sciendum, quod secundum Vegetium libro de re militari, pauci bene ordinati, & constantes sunt dispositi ad victoriam : multitudo vero inordinata non est nisi victima parata ad cædem : propter hoc Dauid expertus in rebus bellicis populum suum, qui paruus erat comparatiuè diligenter ordinauit. Et hoc est quod dicitur.

A Sub manu Ethai. Vult enim Dauid fidelitatem, & amicitiam Gethai huius principis, qui constantissimè illi adhæserat, honorare.

MENOC.

Non exhibis. Cuius ratio subditur. Siue enim fugerimus, &c. Quasi dicat, parum curant de nobis, quia te solùm quarunt.

LYRAN. V. 3.

Melius est igitur, &c. Vt si debellati fuerimus possimus ibi habere refugium, vt possit ibi iterum exercitus congregari.

Sit nobis. Sep. habent, In auxilium nostrum. Vt nimirum si quid militum, aut comæatus ad exercitum ex oppido mittendum sit, tuo iussu promptius effectui detur.

MENOC.

Cald. habet, Ad orandum pro nobis.

Stetit ergo rex iuxta portam. Vt videret qualiter exirent ordinatè, & eos animaret ad fortiter præliandum.

LYRAN. V. 4.

Iuxta portam. Ciuitatis, de qua superiori c. n. 24.

MENOC.

LYRAN. V. 2.

Constituit super. Quorum quilibet præerat mille bellatoribus.
 Et centuriones, &c. Præsidentes centum.
 Egrediar. Quia volebat esse de primis ad laborem, & pericula.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 5. ad 9.

Vulg. Et præcepit rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens : Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom.
Pag. Leniter ambulate propter me erga Absalom.
Arias. Leniter mihi ad puerum.
Malu. Lenitudo mihi excusso Absalomo.
Sep. Rom. Parcite mihi puero.
 Tom. IV.

Cald. Estote circumspetti mihi.

Syr. Prehendite mihi puerum viuum.

Arab. Habete curam pueri ; si fortè potiamini illius, & capite viuum.

Vulg. Itaque egressus est populus in campum contra Israël, & factum est prælium in saltu Ephraim.

Malu. Fuit cæsis.

Cald. In sylua domûs Ephraim.

Arab. Et cum reperissent eos manus conferere cum eis.
Vulg. Et cæsus est ibi populus Israël ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa 20000.
Sep. Et cadunt 20000.
Vulg. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos vorauerat gladius in die illa.
Arias. Et multiplicauit sylua perdere in ab iis quos deuorauit gladius.
Malu. Ad comedere in populo, &c. quos comedit gladius.
Sep. Superabundauit sylua, vt consumeret.
Cald. Præliantes dispersi sunt super facies omnis terræ, & multiplicauit fera syluæ occidere in populo præ illis.

Syr. Plures deuorauit bestia syluestris.
Vulg. Accidit autem vt occurreret Absalom seruis David, sedens mulo : cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui : & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui infederat, pertransiuit.
Pag. Ingressus est super densitatem quercus, & tenuit se caput eius in quercu.
Arias. Et datus est inter cælos, &c.
Malu. Sub intricatione llicis grandis, & obtinuit caput eius in llice.
Caier. Inualuit caput eius in Ela.
Sept. Rom. Et circumplacatum est caput eius.
Reg. Ingressus est subter plantam arboris magnam.
Cald. Subter ramum.
Syr. Ingentis cuiusdam trunci.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Seruare mihi puerum Absalom, Alij, Leniter ambulate propter me, vel leniter mihi propter puerum Absalom. Id est, in mei gratiam seruate mihi incolumen Absalom, vt habet Syr. In saltu Ephraim, Alij, In sylua Ephraim, quia prælium trans Iordanem patratum fuit, vbi nulla pars fortis Ephraimiticæ fuit. Quos saltus consumpserat, Alij, Multiplicauit sylua perdere, Alij, Comedere, nempe feræ quæ ibi erant, vt habet Syr. Super densitatem quercus, Alij, Sub intricatione, nempe perplexitate quercus maximæ.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *Seruare mihi.* Scilicet viuum, si ei præualebitis : hoc dicebat David ne moreretur in peccato mortali, persequendo patrem proprium, & sic æternaliter damnaretur. **A** tus est istud nomen. *Et omnis.* Hoc faciebat rex vt nullus eum interficeret. *In saltu Ephraim.* Non erat hic saltus in tribu Ephraim nam & David, & Absalom Iordanem transmiserant. Abulensis, Tornicellus, & Salius existimant, Ephraimitas prioribus temporibus memorabile aliquod facinus ibi edidisse, vnde loco nomen adhæserit, & omnino suspicor, inquit Salius, Orb, & Zeb ibi ab Ephraimitis tempore Gedeonis interfectos. Emanuel Sa, saltum Ephraim interpretatur, vbi Ephraim Iordane transmissio solebat pecora pascere.
- ESTIUS.** *Seruare mihi.* Quæritur, quare David tam sollicitè mandaret de filio rebeli seruando? Hinc & postea, cum nuntiaretur victoria, hoc ante omnia quærit, sitne pax puero Absalom? Id est, sit ne Absalom superstes? Item audita eius morte, tam amare eum deplorat, vt vix consolationem admittat. Quæritur, inquam, cur ita deploraret mortem filij pessimi, & morte dignissimi? Scilicet fratricidæ primum, deinde patricidæ, quin & qui patris vxores coram vniuerso populo constuprauerat, è contra vero, mortuo filio, quem ex Bersabee genuerat, statim acceperit consolationem? Respondet D. Aug. lib. 2. contra Epist. Gaudentij c. 14. Plus, inquit, impius Absalom patrem extinctus, quam rebellis afflixit. Viuum namque eum comprehendere cupiebat, vt qui malitia grassabatur, pœnitentia sanaretur. Erat ergo ille persecutor patris non solum contra Dei legem, & contra legitimum patris regnum arma mouendo, sed multo amplius persecutus est cor paternum in illa impietate moriendo. Denique illum pater optimus pessimum filium, quem non desperando non defleuerat viuum, spe finita fleuit occisum. Hæc Aug. Summa responsionis est; Voluit David viuum Absalomem seruari, vt pœnitentia sanaretur. Quod quia ei concessum non est, merito cum ex paterma commiseratione deflet.
- MENOC.** *Seruare mihi.* Videtur subaudienda conditio, si viceritis. Putat tamen Abulensis certum fuisse Davidem de victoria, siue quia nullam scriptura conditionem addit, siue quia cum illi Deo fauente successisset votum diuertendo Achitophelis consilio, sentiebat sibi numen esse placatum. Putat S. Aust. lib. 3. de doctrina Christiana c. 23. propterea iussisse David vt Absaloni parceretur, vt edomito seruaretur pœnitendi locus, vt ille ait, & æternum euauderet exitium.
- LYRAN.** *Itaque.* Hic consequenter describitur congressus belli, & notatur locus, cum dicitur. **T**IRINVS] *In saltu.* Id est, propè saltum illum, quia pugnabatur in campo plano, non in nemore. Sed quæritur hic quomodo vocabatur saltus Ephraim, cum non esset in forte Ephraim, sed vltra Iordanem, vt patet ex prædictis, dicendum quod erat ex opposito fortis Ephraim, ita quod Iordanis fluuius tamen erat intermedius: & ex hoc forti-
- MENOC.]** *Factum est prælium in saltu Ephraim.]* Certum est commissum esse prælium vltra Iordanem, in terra Galaaditide, iuxta Mahanaim Nam ex cap. seq. v. 15. constat, peracto bello Davidem vt Ierosolymam rediret, rursus traiecisse Iordanem. Qua ergo ratione locus in quo commissum est prælium, vocatur hic saltus Ephraim, cum tribus Ephraimitica cis Iordanem tota consideret? Emanuel Sa, dicit, Ephraimitas Iordane transmissio solere pecora istic sua pascere: Ioannes Mariana, Ephraimitas saltum illum cum Abulensi, & Sanctio dicere, saltum illum dictum fuisse Ephraim, ab insigni illa clade quam Ephraimitæ cum rebelles essent Iephte, ibi acceperunt, cæsis ex illa tribu quadraginta duobus millibus in eodem loco, vt narratur Iud. 12. à v. 1. vsque ad 6. Quæ sanè clades sat habuit causæ, cur (more etiam nunc recepto) saltus ille, qui tot millium ex illa tribu sanguine commaduit, exinceps saltus Ephraim appellari potuerit.
- LYRAN.]** *Et multo.* Quia ibi erant foueæ magnæ, vt patet ex hoc quod infra dicitur, quod Absalom fuit proiectus in foueam magnam, & in foueis illis fugientes de exercitu Absalom, ceciderunt & mortui sunt. Dicunt etiam Hebræi, quod in illo saltu erant feræ terribiles quæ multos de illo exercitu fugientes, & intrantes saltum, occiderunt.
- MENOC.]** *Prælium dispersum super faciem omnis terræ.* Clades latè fusa.
- TIRINVS.]** *Quos saltus consumpserat.* Quia per saltum animum conciti terebantur: & in terræ voragine immimente à tergo hoste abiiciebant se, ne gladiis confoderentur. Has autem terræ voragine Absalomis sepultura confirmat, dicitur enim proiectus in saltu, in foueam grandem, in quam comportatus sit ingens aceruus lapidum, infra numero 17.
- TIRINVS.]** *Multo plures saltus consumpserat, quam vorauerat gladius.]* Nempe præcipitia, & fossæ occultæ in quas corruerunt fugientes, inquit Abulensis, & Vatablus: vel etiam bestiarum saltus è latibulis prorumpentes, vt ex tradi-

tione Hebræorum docent S. Hieronymus, Angelomus, Caiet. Sa, Mariana, & Cald. plurimos è loco prælij profugos absumperunt. Nisi malis cum Sanctio dicere, cæsis iam in loco prælij *viginti millibus*, è reliquo fugientium numero longè plures hinc inde labore, fame, siti, adde, & insequentium ferro, confectos fuisse, diciturque *saluum consumpsisse*, pro eo quod diceretur *in salu consumptos esse*: vti dicitur: talis vrbs cæcidit hostem, id est, talis vrbs incolæ: talis vrbs triumphauit, id est, in tali vrbe triumphatum est.

Accidit autem, &c. Quia fugientes de prælio vagantur

A incerti, & frequenter incidunt in illos quos fugere intendunt.

Adhæsit caput. Quia videns suos deuictos, ad fugiendum expeditius, deposuerat galeam, & sic per capillos suos qui multi erant, vt dictum est supra c. 14. retentus est frondibus quercus. Cætera patent vsque ibi.

Adhæsit caput. Ramis implicita cæsarie, quam puto fuisse in aliquot capillorum discrimina, floccos, aut tricas collectam. Italice dicimus *le treccie*. Tales erant septem illi Samsonis capilli, de quibus Iud. 16. 13. vt ibi explicauimus.

LYRAN. §. 9.

VARIETAS LECTIO NVM à *Verf. 10. ad 15.*

Vulg. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiauit Ioab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu.

Vulg. Et ait Ioab viro, qui nuntiauerat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem auri siclos, & vnum balteum?

Pag. Cur non percussisti, mea interfuisset tibi dare.

Arias. Et cingulum vnum.

Sep. Rom. Dedissem tibi decem argenti.

Syr. Et vestimentum vnum.

Arab. Dedissem tibi decem millia talentorum argenti.

Vulg. Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom.

Malu. Librans super volas meas.

Sep. Et ego quidem appendo, &c.

Arab. Etiam si millies millia talenta numerares mihi.

Vulg. Sed & si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso?

Pag. Vel fecissem in animam meam mendacium, & omne verbum non esset absconditum à rege.

Malu. Aut feci in anima mea falsitatem, &c. & tu stare

te facies de præsentia.

Vatab. Rem iniquam.

Sep. Rom. Non faciendo in animam eius iniuriam!

Syr. Si fecissem, in meipsum deliquissem.

Arab. Si committerem, mihi ipsi noxius fierem.

Vulg. Et ait Ioab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu,

Arias. Non sic expectabo ad facies tuas, & cepit tria spicula in sua vola, & ipso adhuc viuento, in corde quercus.

Malu. Accepit tres baculos.

Sep. Rom. Hoc ego aggrediar, non sic, manebo coram te.

Cald. Tria tela in corde Absalom superstitis in medio quercus.

Syr. Tres hastas transfuerberauit, &c. dum adhuc viuus esset, & pendens à trunco.

Vulg. Cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percipientes interfecerunt eum.

Pag. Verterunt se.

Malu. Et circumgyrauerunt decem excussi leuantem vasorum, &c. & mori fecerunt eum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Si appenderes in manibus meis mille argenteos, Alij, Ego quidem appendo, & si ego librans, vel ponderans. Scilicet acceptam à te hanc ingentem argenti summam. Aliquid per exaggerationem dictum habet Arab. nempe: *Si millies millia talenta numerares mihi. Sed & si fecissem contra animam meam, &c.* Alij, *Fecissem mendacium, &c.* *Vulg.* verba Hebræa verbatim expressit. Alij autem diuersimodè, sed cum eodem sensu, quem aperit Arab. *Si committerem* (quid scilicet contra præceptum regis) *mihi ipsi noxius essem*: Vnde hic, contra animam meam, id est, contra conscientiam meam.

Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te, Alij, *Non sic expectabo ad facies tuas.* Id est, non hic sustistam coram te diutius, iam iam occidam. *Tres lanceas*, Alij, *Tria tela, spicula*: vnde has lanceas intelligit *Vulg.* minutas. *Cumque adhuc palpitaret hærens in quercu*, Alij, *Adhuc ipse viuens in corde quercus.* Illud viuens referri debet ad infixionem, hoc sensu vt post huiusmodi telorum infixionem, adhuc viueret.

ANNOTATIONES.

MENOC. §. 10.

Nuntiauit Ioab. Vel non ausus ipse in filium regis manus iniicere, vel opima hæc spolia militiæ principi reseruare volens, vel iussui Dauidis parere de seruando Absalom, quod verius est, vt patet ex sequentibus.

MENOC. §. II.

Quare non confodisti eum cum terra? De quercu deiectum, & hasta ita transfixum vt mortuus terræ adhæresceret.

Decem argenti siclos. Qui æquivalent quadraginta regalibus Hispanicis.

Vnum balteum. Militare cingulum in mercedem, ac monumentum egregij facinoris.

MENOC. §. 12.

Mille argenteos. Siclos, scilicet.

Mitterem manum. Maiorem habet emphasim oratio, quam si dixisset, Absalonem,

Si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset. Si reluctanti conscientiæ meæ vim intulissem.

Et tu stares ex aduerso? Quasi dicat, sieresne patronus meus? Num eriperes me de manu irati regis?

Non sicut tu vis. Absalom seruabitur viuus.

Sed aggrediar eum coram te. Interficiendo.

Tulit ergo tres lanceas in manu sua. Sive tria spicula, vt est in Hebræo.

In corde Absalom: cumque adhuc, &c. Perfosso, scilicet pectore.

Cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percipientes interfecerunt eum. Id est, motus ac sensus expertem penitus reddiderunt.

MENOC. §. 13.

LYRAN. §. 14.

MENOC. §. 15.

Vulg. Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini.
Pag. Et stetit populus, &c. quia prohibuit Ioab populum.
Malu. Infixit Ioab in tuba.
Sep. In cornea, & quoniam pepercit.
Arab. Continuit à cæde fratrum suorum.
Vulg. Et tulerunt Absalom, & proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis: omnis autem Israël fugit in tabernacula sua.
Malu. Stare fecerunt super eum conuolutionem lapidum, &c.
Sep. Rom. Et sumpsit Absalom, & iecit eum in hiatus magnum in sylvā.
Cald. In medium foueæ magnæ.
Vulg. Porrò Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum qui est in valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine suo: & appellatur Manus Absalom, vsque ad hanc diem.
Pag. Eraxerat sibi monumentum, faciam hæc, vt memorare faciam nomen meum.
Malu. Stare sibi fecit statuam, &c. in transitione recordari facere nomen meum, & vocauit statuæ nomen suum.
Cald. Non est mihi filius superstes.
Syr. Accenderat sibi simulachrum, & eraxerat in conualle regum.
Alij. Statua, titulus, columna, fornix triumphalis Absalom.
Vulg. Achimaas autem filius Sadoc, ait: curram, & nuntiabo regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius.

Arias. Euangelizabo regi quod iudicauit Dominus.
Malu. De manu maleuolentium eum.
Cald. Quod liberauit de manu auctorum inimicitia eius.
Vulg. Ad quem Ioab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare, filius enim regis est mortuus.
Pag. Non vir præmij die hac.
Arias. Non vir boni nuntij.
Sep. Non vir Euangelij tu in die hac, euangelizabitis in die alia.
Vulg. Et ait Ioab Chufi: vade, & nuntia regi quæ vidisti. Adorauit Chufi Ioab, & cucurrit.
Pag. Incuruauit se.
Arias. Procumbere se fecit.
Vulg. Rursus autem Achimaas filius Sadoc, dixit ad Ioab. Quid impedit si etiam ego curram post Chufi? Dixitque ei Ioab: Quid vis currere sibi mi? Non eris boni nuntij baiulus.
Lyrano. Non erit tibi rumor hic, inuentio.
Pag. Merces non præparatur.
Arias. Non bonum nuntium contingens.
Malu. Et tibi non euangelium inueniens.
Sep. Non est tibi euangelium ad vtilitatem currenti.
Cald. Et tibi non est nuntium datum.
Arab. Cum nemo sit qui nuntij mercedem soluat.
Vulg. Qui respondit: Quid enim si cucurrero? Et ait ei: curre. Currans ergo Achimaas per viam compendij, transiit Chufi.
Pag. Et sit, quidquid sit curram, &c. per viam planitiei.
Malu. Cucurrit viam orbis.
Sep. Viam quæ Checra, & prætergressus est Chufi.
Reg. Planitiei.
Cald. Viam planam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Proiecerunt in foueam grandem. Alij, In hiatus magnum, nempe foueæ. Absalom eraxerat sibi titulum, Alij, Statuerat sibi statuam. כצבח statuam, titulum, pyramidem, monumentum, columnam significat, vt pluries vidimus, Non habeo filium. Bene addit Cald. Superstitem, nam ei 3. filij fuerant. Manus Absalom, sed manus pro loco hic sumitur. Non eris boni nuntij baiulus, Alij, Non bonum nuntium inueniens, contingens, Alij, Nemo sit qui nuntij mercedem soluat: sic enim pro mercede, & præmio sumitur בשורה besorah, Cald. Tibi non est nuntium datum, id est, merces pro bono nuntio non tibi debetur. Per viam compendij, Alij, Planitiei, orbis, id est, per viam planam, & compendiosam, orbicularem.

ANNOTATIONES.

- LYRANO.** **E**T tulerunt Absalom. Ex quo patet quod dictum est, A gnium. Manus enim est organum organorum, vt habetur 3. de anima, & ideo per eam signantur opera, & maxime solemnia, & memoria digna.
Estiuvs. Porro Absalom eraxerat sibi, &c. Per titulum intelligitur monumentum aliquod insigne, quo eius memoria perpetua apud posteros remaneret: cuiusmodi est arcus triumphalis, vel pyramis, vel statua, vel ædificium aliquod illustre. Obiter autem illud hoc loco inseritur, vt manifesto argumento isto quoque ostenderetur Absalomem fuisse superbum, & ambitiosum. Simul etiam ironiæ speciem habet ista commemoratio tituli quem sibi eraxerat. Quasi dicat scriptura: Ecce ille qui sibi adeo magnifice triumphalem titulum eraxerat, nunc aliud longè diuersum genus monumenti accepit, nempe, quia super corpus mortui comportauerunt milites Dauid ingentem aceruum lapidum in perpetuam rebellionem ac parricidij eius detestationem.
MENOC. **C**omportauerunt super eum, &c. Sicque locum habuit in Absalonis pœna lex Deut. 21. 18. quæ filium proteruum, & contumacem lapidibus obrui ab vniuerso populo iubet, quod in traditionibus Hebraicis, & à Lyrano notatum est. Noluit verò Ioab cadaver ad Dauidem deferri, ne oculi auerent parentis dolorem, quem sciebat acerbissimum fore.
LYRANO. **P**orro Absalom eraxerat. Dicit Iosephus quod fecerat statuam marmoream ad sui memoriam in posterum. Alij dicunt, quod fecerat quoddam ædificium notabile, & altum ad eundem finem. Dixerat enim, &c. Suprà cap. 14. dictum est, quod habuit tres filios: & ideo dicendum est, quod erant mortui, vel inepti ad regnandum post ipsum.
MENOC. Et appellatur manus Absalom. Opus eius memoria dignum.

Titulum. Aliqui columnellam fuisse putant, aut pyramidem, alij statuam, alij triumphalem arcum, omnes probabiliter, nam certi nihil habemus.

In valle regis. Valle scilicet Cedron, siue Iosaphat, qua inter Ierusalem, & inter montem Oliueti iacebat, & a rege Melchisedech dicta indicant Bibl. Sep. interpretum, regia, & Complutensis editionis, in quibus Gen. 14. 17. ubi in vulgata habemus: *Vallis regis*, legimus το ποδιον βασιλεως μαλχοιδαχ, *campum regis Melchisedech*, in quo scilicet Melchisedech Abrahamo occurrit.

Non habeo filium. Ex quo apparet eos iam mortuos fuisse, quos scriptura memorat supra capite 14. numero 27.

Manus Absalom. Quia manus operum penè omnium artifex est, fit vt pro ipso sumatur opere. *Manus* ergo *Absalom*, est opus Absalonis.

Porro Absalom. Id est, monumentum sui pro posteris. Hunc titulum dicit Iosephus marmoream fuisse columnam. Et mausolæum fuisse crediderim, quo cadaver defuncti regio more olim conderetur. Vt, quando nullos suscepisset filios, qui parentis memoriam continuarent, saltem lapides illi muti, signis notati hieroglyphicis, de sua vita, rebusque gestis ad posteros loquerentur. Et ideo forsitan mentionem hinc istius tituli inducit scriptura, vt ostendat, longè aliter Absalomo contigisse, quàm ipse secum antea meditabatur: nam loco superbi mausolæi, quod condendo cadaveri suo magnis impensis pararat, vili ac probroso lapidum aceruo tectus fuit: qui ipsi apud posteros non laudi vel honori, sed horrore est, & execrationi, etiam Mahometanis, vt testantur qui loca terræ sanctæ peragrarunt.

Hic titulus, appellatur *manus Absalom*, vsque ad hanc diem. *Manus*, id est, opus eximij artificij. Sicut statuam vocamus manum statuarij; scripturam, vel picturam manum scriptoris, vel pictoris. Sic Martialis

Quis labor in phiala? docti Myos, an Myronis?

Mentoris hæc manus est, an Polyclète tua?

Sic I. Reg. 15. v. 12. ubi de Saùle legimus. *Erexit sibi formicem triumphalem*, in Heb. est, *statuit sibi manum*. Porro tam Saùl, quàm Absalom dicuntur sibi *manum erexisse*, non eo sensu quasi propriam ipsi manum ad tituli sui

constructionem admouerint, sed quod alienam peritorum artificum manum ære suo in id conduxerint. *Vallis* verò *regis*, in qua suum hunc titulum erexit Absalom, videtur esse *Topheth*, seu *Gehenna*, quæ postea dicta fuit, *vallis regis Iosaphat*.

Dixerat enim Absalom. Non habeo filium. Ergo vel mortui iam tum erant tres illi Absalomi filij, de quibus suprâ c. 14. v. 27. vt plerique volunt: vel certè titulum hunc erexit, cum nullum adhuc filium haberet, & futuræ prolis spem abiecisset, vt Sanctius opinatur.

Achimaas autem filius Sadoc. Hinc consequenter describitur denuntiatio facti, quia Achimaas zelans pro Dauid desiderabat victoriam suorum nuntiare, sed Ioab impediebat, dicens. *Non eris, &c.*

Iudicium fecerit ei Dominus. Ultionem, vel quasi dicitur, dixit.

Sed nunciabis. Scilicet de alia victoria futura quæ magis placebit regi. Sciebat enim Ioab Dauid de morte Absalom turbari, & ideo nolebat istum quem diligebat rumores istos portare, propter quod misit alium, scilicet Chusi. Sciendum tamen quod iste Chusi non erat ille de quo dictum est cap. præc. quod erat amicus, & consiliarius Dauid, tum quia tantus homo ad hoc non mitteretur sicut cursor: tum quia non fuerat in bello: sed fuit alius eiusdem nominis, & de humili plebe.

In hac die. Hac vice.

Filius enim regis est mortuus. Quasi dicat, alia occasione latiori, eris nuntius, non hac, quæ magnum parenti mærorem afferet.

Chusi Plebeio cuidam, qui ita appellabatur, vel qui gente Ethiops erat, hoc enim Chusi significat. Puto tamen hoc nomen illi proprium fuisse.

Rursus. Quia omnibus modis volebat currere ad Dauid, propter eius importunitatem permittit hoc Ioab, maxime, quia credebatur probabiliter quod Chusi præuenisset, & mortem Absalom nuntiasset.

Quid enim si cucurrero? Heb. & Cald. habent, *quid quid sit, curram.*

Per viam compendij, in Heb. est, *per viam planitiei*. Sep. Hebræam vocem *מִן הַצָּד*, retinuerunt, innuentes id esse proprium loci nomen.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 33.

V*Vulg.* Dauid autem sedebat inter duas portas: Speculator verò, qui erat in fastigio portæ super murum, eleuans oculos: vidit hominem currentem solum.

Arias. Ad rectum portæ.

Sep. Rom. In solarium portæ.

Vulg. Et exclamans indicauit regi: Dixitque rex: Si solus est, bonus est nuntius in ore eius. Properante autem illo, & accedente propius.

Arias. Et ibat eundo.

Malu. Et ambulauit ambulare, & appropinquabit.

Sep. Et pergebat pergens.

Vulg. Vidit speculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex. Et iste bonus est nuntius.

Sep. Rom. Etiam iste euangelisans.

Vulg. Speculator autem: contemplos, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc. Et ait rex. Vir bonus est: & nuntium portans bonum, venit.

Sep. Rom. Etiam ad euangelium bonum veniet.

Vulg. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salue rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines qui leuauerunt manus suas contra dominum meum regem.

Pag. Qui tradidit viros.

Sep. Qui extulerant manum suam.

Arab. Gentem quæ tibi nocuerat.

Vulg. Et ait rex. Estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cum mitteret Ioab seruus tuus, ô rex, me seruum tuum, nescio aliud.

Lyran. Vidi cumulum magnum cum mitteret Ioab seruum.

Sep. Vidi multitudinem grandem, in mittendo seruum regis Ioab, & seruum tuum.

Vulg. Ad quem rex: Transi, ait, & sta hic. Cumque ille transisset, & staret,

Malu. Circumgyra, & stare te fac hic; circumgyrauit, & stetit.

Lyran. Dimitte, sta hic.

Vulg. Apparuit Chusi, & veniens ait: Bonum apporto nuntium, Domine mi rex: iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te.

Sep. Rom. Euangelizetur Dominus meus rex.

Cald. Nuntietur Domino meo regi, quia liberauit te.

Vulg. Dixit autem rex ad Chusi. Estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi: Fiant, inquit, sicut puer, inimici Domini mei regis, & vniuersi qui consurgunt aduersus cum in malum.

Malu. Erunt sicut excussus, maleuolentes sustentatoris mei regis.

Vulg. Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, & fleuit. Et sic loquebatur, vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi retribuatur vt ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

Pag. Conturbatus est, ascendit super thalamum portæ.

Casert. Super solarium.

Sep. Et sic dixit dum ipse iret, &c. quis dederit mortem meam pro tua, ego pro te Absalom?

Cald. Ego vellem quòd mortuus essem pro te, & tu man-

fisses hodie.
Arab. Tum rex multo percussus mœrore ascendit in cu-

biculum suum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Bonum apporto nuntium, Alij, Evangelizare se faciet Dominus rex. Verbum hic in hitpahel intendit significatum, id est, faustissimum, lætissimum nuntium, vel fortassè innuit ingens præmium, mercedem magnam, daturum regem pro tam læto nuntio. Cum mitteret Ioab seruus tuus me, Alij, Cum mitteret seruum tuum Ioab: quod de Chusi intelligunt, ita vt seruum referant ad Chusi: Cœnaculum portæ, Alij, Solarium: Cubiculum aliquod significatur, vel domuncula suprâ vrbis portam. Ita Arab.

ANNOTATIONES.

- MENOC. **I**ter duas portas. Urbis scilicet & septi, quod ante portas ex trabibus, aut alia materia fieri solet ad munimentum tempore belli.
In fastigio portæ. Turri scilicet, quæ portæ vrbis, vt afolet, incumbebat.
- LYRAN. **S**i solus. Illi enim qui reuertuntur de prælio fugitivi, non veniunt soli, sed turmatim: victores autem remanent, quia sunt intenti ad rapiendum spolia deuiCTORUM, & ideo ex hoc quod erat solus, benè coniecTURAVIT David quod erat euentus prosperi nuntius, & eodem modo de alio ipsum sequenti.
- MENOC. **S**i solus. Nam victi turmatim fugiunt. Victores verò occupantur spoliis detrahendis, & persequendis hostibus, & Imperator vnum aliquem destinat, qui victoriam nuntiet.
- LYRAN. **C**ontemplor. Tum enim erat ita propè, quod poterat personam currentis discernere. Cætera patent vsque ibi.
- MENOC. **C**onclufit. Puniuit scilicet, ac perdidit.
- LYRAN. **V**idi tumultum. Aliqui libri habent *tumulum*, & malè: quia Hebraica veritas, & libri correcti habent *tumultum*.
Et accipitur hic *vidi*, pro audiui, sicut Exod. 20. *Cunctus autem populus videbat*. Id est, audiebat, quasi diceret. Tantus erat ibi tumultus, quod ego non potui audire, seu percipere quid esset factum de Absalom: sed mentiebatur, ne regem offenderet, quia viderat ipsum mortuum, denuntiavit tamen victoriam quæ erat bonum nuntium.
- MENOC. **E**stne pax. Id est, Saluus ne est?
Nescio aliud. Cautè lætam victoriam nuntiat, tristem mortem dissimulat, & Chusi nuntiandam relinquit.
- LYRAN. **T**ransi ait, & stahic. Donec audiamus quid dicet cursor alius.
- MENOC. **T**ransi, & stahic. Abire eum vult post se, aut ad latus, nec tamen longius discedere, vt ex vtroque nuntio plenius cognosceret pugnæ euentum.
- A **I**udicavit enim. Tuos aduersarios debellando.
Iudicavit. Vide dicta num. 19.
De manu. Vide ibidem.
Fiant, inquit. Per hoc intellexit rex Absalom esse mortuum, quia per talem modum loquendi mors alicuius nuntiabatur communiter.
Fiant sicut puer inimici, &c. Id erat ei mortem Absalonis fateri, alioqui benè precaretur inimicis domini sui regis.
In malum. Malo fine, vt ei noceant.
Contristatus. Hic ultimo ponitur lamentatio filij, cum dicitur.
Ascendit cœnaculum portæ. Id est, solarium, vt in loco sequestrato ab aliis fleret, & plangeret filium suum, dicens.
Fili mi. Plangebatur enim mortem eius spiritualem, quia mortuus erat in peccato mortali actualiter persequendo patrem, & propter hoc verbum istud.
B **A**bsalom. Ponitur hic sex vicibus quater in hoc capitulo, & bis in sequenti, propter sex condiciones pænæ gehennæ, quia ibi est pœna damni, & pœna sensus, stridor dentium, & fletus, exteriores tenebræ, & duratio sine fine. MORAL. exponendo: Absalom persequens David, & viros eius, tyrannum significat simplicium oppressorem, cuius caput adhæret quercui mundi sublimia appetendo: tribus lanceis configitur, triplici concupiscentiæ assentiendo. In foueam proicitur ad inferos descendendo.
Ascendit cœnaculum portæ. Superius scilicet tabulatum, quod imminebat portæ, neque enim decebat regem coram populo lachrymari, sed potiùs regium, & excelsum animum præ se ferre, & omnibus casibus superiorem. Cur in Absalone David luxerit, diximus suprâ hoc cap. num. 5.

CAPVT DECIMUMNONVM.

SYNOPSIS.

David monitu Ioab cessat plangere Absalonem, & vniuersas tribus Israël sibi reconciliat: reducit cum triumpho in Ierusalem. Semei veniam precanti ignoscit. Miphiboseiho se excusanti dimidiam bonorum partem restituit. Israël cum Iuda pro Davide acriter contendit.

- I. **N**untiatum est autem Ioab quod rex fleret, & lugeret filium suum: 2. & versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audiuit enim populus in die illa dici, dolet rex super filio suo. 3. Et declinavit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare solet populus versus, & fugiens de prælio. 4. Porro rex operuit caput suum, & clamabat voce magna. Fili mi Absalom. Absalom fili mi. 5. Ingressus ergo Ioab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium seruatorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum. 6. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis; & verè cognoui modò, quia si Absalom viueret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. 7. Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quodd, si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & peius erit hoc

hoc tibi, quàm omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua vsque in præfens. 8. Surrexit ergo rex, & sedit in porta: & omni populo nuntiatum est quod rex sederet in porta: venitque vniuersa multitudo coram rege: Israël autem fugit in tabernacula sua. 9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse saluauit nos de manu Philistinorum: & nunc fugit de terra propter Absalom. 10. Absalom autem, quem viximus super nos, mortuus est in bello: vsquequo fletis, & non reducitis regem? 11. Rex verò Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israël peruenerat ad regem in domo eius.) 12. Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducit is regem? 13. Et Amasæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militia fueris coram me omni tempore pro Ioab. 14. Et inclinavit cor omnium virorum Iuda, quasi viri vnus: miseruntque ad regem, dicentes: Reuertere tu, & omnes serui tui. 15. Et reuersus est rex: & venit vsque ad Iordanem, & omnis Iuda venit vsque in Galgalam, vt occurreret regi, & traduceret eum Iordanem. 16. Festinauit autem Semei filius Gera, filij Iemini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum regis Dauid. 17. Cum mille viris de Benjamin, & Siba puer de domo Saül: & quindecim filij eius, ac viginti serui erant cum eo: & irrumpentes Iordanem, ante regem. 18. Transierunt vada, vt traducerent domum regis, & facerent iuxta iussionem eius. Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum iam transisset Iordanem, 19. dixit ad eum: Ne reputes mihi Domine mi iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui in die qua egressus es domine mi rex de Ierusalē, neque ponas rex in corde tuo. 20. Agnosco enim seruus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei regis. 21. Respondens verò Abisai filius Saruiæ, dixit: Numquid pro his verbis non occideretur Semei, quia maledixit Christo Domini? 22. Et ait Dauid: Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? Cur efficiamini mihi hodie in Satā? Ergone hodie interficietur vir in Israël? An ignoro hodie me factum regem super Israël? 23. Et ait rex Semei: Non morieris. Iuravitque ei. 24. Miphiboseth quoque filius Saül, descendit in occursum regis, illotis pedibus, & intonsa barba: vestesque suas non lauerat à die qua egressus fuerat rex, vsque ad diem reuersionis eius in pace. 25. Cumque Ierusalem occurrisset regi, dixit ei rex: Quare non venisti mecum Miphiboseth? 26. Et respondens ait: Domine mi rex, seruus meus contempsit me: dixique ei ego famulus tuus, vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege: claudus enim sum seruus tuus. 27. Insuper & accusauit me seruum tuum ad te dominum meum regem: tu autem Domine mi rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. 28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ: quid ergo habeo iustæ querelæ? Aut quid possum vltra vociferari ad regem? 29. Ait ergo ei rex: Quid vltra loqueris? fixum est quod locutus sum: tu & Siba diuidite possessiones. 30. Responditque Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reuersus est Dominus meus rex pacificè in domum suam. 31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Iordanem, paratus etiam vltra fluuium profectui eum. 32. Erat autem Berzellai Galaadites senex valdè, id est, octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in castris: fuit quippe vir diues nimis. 33. Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, vt requiescas securus mecum in Ierusalem. 34. Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum rege in Ierusalem? 35. Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus? vel audire possum vltra vocem cantorum, atque cantatricum: quare seruus tuus sit oneri domino meo regi? 36. Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac vicissitudine, 37. sed obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, domine mi rex, & fac ei quidquid tibi bonum videretur. 38. Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne, quod petieris à me, impetrabis. 39. Cumque transisset vniuersus populus & rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai, & benedixit ei: & ille reuersus est in locum suum. 40. Transiit ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum eo: omnis autem populus Iuda traduxerat regem: & media tantum pars affuerat de populo Israël. 41. Itaque omnes viri Israël concurrentes ad regem, dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem, & domum eius Iordanem, omnesque viros Dauid cum eo? 42. Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israël. Quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? Numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt? 43. Et respondit vir Israël ad viros Iuda, & ait: Decem partibus maior ego sum apud regem, magisque ad me pertinet Dauid quàm ad te: cur fecisti mihi iniuriam, & non mihi nuntiatum est priori, vt reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Iuda viris Israël.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Nuntiatum est autem Ioab quòd rex fleret, & lugeret filium suum.

Mals. Ecce rex lachrymans, & lugere se fecit.

Vulg. Et versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in die illa dici: Dolere rex su-

Tom. IV.

per filio suo.

Pag. Et fuit salus in luctum.

Arias. Tristatus est rex.

Mals. Doloze fauciatus fuit rex super filium suum.

Cald. Contristatus est rex.

Xx

Arab. Ita vt contristatus esset vniuersus populus eo die tristitia vehemēti: Populus enim eo die audientes confici regem mœrore.

Vulg. Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare solet populus versus, & fugiens de prælio

Pag. Instar furis se habuit populus, &c.

Arias. Quemadmodum instar furis se habet populus qui erubescunt.

Malu. Secundum quod furari sese faciet ignominia affecti, in fugere eos à cæsione.

Sep. Rom. Et suffuratus est, &c. sicut suffuratur se popu-

lus qui confunduntur.

Reg. Et declinabat populus.

Cald. Qui pudefacti sunt in conuersione sua in prælio.

Syr. Quemadmodum abiit populus qui erubescit.

Arab. Quemadmodum subtrahunt se victi cum terga vertunt.

Vulg. Porro rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi.

Pag. Operuit faciem suam.

Arias. Inuoluit facies suas.

Sep. Rom. Et rex abscondit, & vociferatus est rex.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

VT *lugeret filium suum*, Alij, *Lugere se fecit*. Heb. **וְלִגְרָהּ** *itabbel*, verbum ex hitpahel ingentem, & continuum luctum significat. *Versa est victoria*, Alij, *Salus quam consecuti sumus*, scilicet ex victoria. *Declinauit populus*, Alij, *Instar furis se habuit*, non cum triumpho vt victores solent. *Quomodo declinare solet populus versus*, Alij, *Quemadmodum instar furis se habet populus qui erubescunt*, quasi victi. *Operuit caput suum*, Alij, *Obvoluit faciem suam*, id est, caput suum. Synecdoche.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 1.

Nuntiatum. Hic consequenter ostenditur qualiter A Dauid in regnum suum rediit, vbi primo describitur ipsius Dauid consolatio, secundo, consolati reuocatio, ibi: *Omnis quoque populus*. Tertio reuocati reductio, ibi: *Miseruntque ad regem*. Quarto reducentium concertatio, ibi: *Omnis autem populus Iuda*. Circa primum dicitur: *Nuntiatum est*, ab illis qui formidabant redire ad domum regis propter eum luctum. Vnde subditur.

MENOC.
v. 2.

Versa est victoria in luctum. Et quia lugente principe par non erat triumphare populum gaudio, & quia victoriæ in bello ciuili luctuosæ esse solent, aliis fratres, aliis cognatos, aliis amicos, & necessarios desiderantibus.

LYRAN.
v. 3.

Et declinauit. Et ideo imminebat periculum, ne populus indignatus contra Dauid, faceret sibi alium regem. Quod aduertens Ioab; reprehendit eum acriter, dicens.

Declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem. Cald. habet: *Et furati sunt sese populus*, id est, clam, & furtim egressi sunt, *in die illa vt intrarent in urbem*, siue ingrediens in urbem, vt est in Hebræo, *sicut se furatur populus qui pudefacti sunt in conuersione sua*: quasi sibi conscij rei mortis Absalom, in cuius mortem consenserant, & super quem extinctum lapides miserant. Nostra tamen vulgata editio significat non ingressos ciuitatem, quod fortasse explicari potest non ingressos per portam illam, in qua rex erat, quia illos pudebat dare se in conspectum illius, ingressos tamen per alias portas clam, & furtim.

Operuit caput suum. De more lugentium.

Rex operuit caput suum.] Quod erat ingentis, seu mœroris, seu pudoris signum, vt dixi cap. v. 19.

MENOC

MENOC

v. 4.

TIRIN

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 10.

Vulg. Ingressus ergo Ioab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium seruorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.

Pag. Pudore affecisti hodie vultus, &c. qui eruerunt animam, &c.

Arias. Et pellicum.

Caiet. Fecisti erubescere hodie facies.

Malu. Arefecisti, &c. euadere facientium saluam animam tuam, &c.

Arab. Mœstos reddidisti hodie vultus.

Vulg. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis: & verè cognoui modò, quia si Absalom videret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi.

Pag. Indicasti hodie, quod non sunt tibi principes, & serui, &c. quod tunc rectum fuisset in oculis tuis.

Malu. Annuntiauisti hodie.

Sep. Quia non sunt principes tui, & pueri.

Cald. Magnates.

Syr. Hodie declarasti te nec liberos, nec seruos habere.

Vulg. Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quòd, si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum noctè hac: & peius erit hoc tibi, quàm omnia mala quæ uenerunt super te, ab adolescentia tua vsque in præsens.

Pag. Loquere ad cor seruorum tuorum.

Arias. Si pernoctabit vir tecum.

Sep. Quoniam in Domino iuraui, & scito tibi, & malum

tibi hoc super omne malum.

Cald. Loquere cum corde seruorum tuorum, quia per dictum Domini iuro.

Vulg. Surrexit ergo rex, & sedit in porta: & omni populo nuntiatum est quod rex federet in porta: venitque vniuersa multitudo coram rege: Israhël autem fugit in tabernacula sua.

Sep. Rom. Et vniuersus populus annuntiauerunt dicentes, &c. intrauit vniuersus populus ad faciem regis in porta.

Cald. Et Israhël terga vertit quisque ad urbem suam.

Vulg. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israhël, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse saluauit nos de manu Philistinorum: & nunc fugit de terra propter Absalom.

Arias. Eripuit nos de vola.

Malu. Et fuit omnis populus iudicatus in omnibus baculis Israhëlis.

Sep. Populus concertans.

Cald. Reprehensus.

Syr. Cœpit totus populus dicere ac cogitare.

Vulg. Absalom autem, quem vniximus super nos, mortuus est in bello: vsquequo filetis, & non reducitis regem?

Arias. Ad redire faciendum regem.

Malu. Ad quid nos cessantes?

Sep. Ad reuocandum regem.

Syr. Cur uero hæsitatis, quominus redeatis cum rege: uenite, reducamus eum in domum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Confundisti hodie vultus, &c. Alij, Fecisti erubescere. Hoc enim immodico fletu tuo, propter Absalonem, effecti, vt tuum exercitum victorem facti sui pudeat, perinde ac si victus esset, Alij; Arefecisti facies, quia scilicet amentes reddidisti, præ mœstitia. Quia non curas de ducibus tuis. Alij, Indicasti quod non sunt tibi hodie principes, scilicet curæ. Alloguens satisfac seruis tuis. Alij, Loquere super cor seruorum, vel cum corde, id est, quæ sunt cordi seruorum, demulce eos.

Omnia populis certabat, Alij, Et fuit omnis populis iudicatus. Heb. נָדוֹן nadon, participium formulæ niphal ex verbo iudicatus, id est, omnia populis fuit iudicatus, quisque alterum scilicet obiurgando, & culpam in alium reiiciendo. Vulg. autem habens certabat, explicari debet, id est, certatim contendebat de reducendo rege. Vsq; quo filetis? Bene alij, Cessatis? scilicet regem reducere.

ANNOTATIONES.

Confundisti. Cum tamen deberes eos honorare, & congratulare de victoria, in qua exposuerunt se periculo pro te.

Confundisti. Id est, pudefecisti.

Saluam fecerunt animam tuam. Vitam, in quam coniuuauerat Absalom cum suis.

Et animam filiorum tuorum. Quos ille interfectorum erat vt sibi regnum stabiliret, vt olim Abimelech fecit Iudicum 9. 5.

Diligis odientes te. Id est, tu ostendis hoc per signum, lugendo Absalom aduersarium tuum.

Tunc placeret tibi. Hoc falsum erat, suos enim cupiebat incolumes, sed Absalomem quoque.

Nunc igitur surge. De luctu.

Et procede. Ad recipiendum bellatores tuos honorificè, Israël autem. Scilicet illi qui erant cum Absalom.

Et alloguens, &c. Promittendo eis honores, & præmia pro victoria.

Iuro enim, &c. Quasi de re certa.

Quod si non exieris. Ad satisfaciendum eis modo prædicto.

Ne vnus. Quia illi qui pugnauerunt pro te contra Absalom, recedent à te, & iungentur aliis ad faciendum regem super totum populum, & tu remanebis solus ab omnibus derelictus.

Surge. A luctu, in quo iaces.

Procede. In publicum.

Alloguens satisfac seruis tuis. Heb. Loquere, &c. Id est, alloguere eos non tetricè vt iratus: sed placidè, ac beneuolè.

Si non exieris. Ad populum, præ te ferens grata tibi esse quæ ab ipso tua causa facta sunt.

Ne vnus quidem, &c. Sed omnes te deserto rebus suis consulturos.

Et resurrexit. De luctu, acquiescens rationabili reprehensione.

Et sedit in porta. In loco patenti, & communi vt posset omnes venientes amicabiliter recipere, & gratiosè allo-

qui, & sic recollegit populum.

Israël autem. Scilicet illi qui erant cum Absalom.

Surrexit rex. E loco, in quo sedebat lugens.

Sedit in porta. Id est, in aula quædam ad vrbis portam, vbi iudicia exerceri solebant, ibique se aduentibus, beneuolè sui copiam fecit.

Israël fugit in tabernacula sua. Illi nimirum, qui Absalomem secuti fuerant.

Omnia quoque. Hic consequenter describitur ipsius David reuocatio, quia populus qui fuerat cum Absalom, videbat se deceptum, ideo dicebant.

Rex liberauit, &c. Scilicet David, qui populum Israël de inimicis suis, existentibus per circuitum, liberauit, vt patet ex suprâ dictis c. 8.

Et nunc fugit, &c. Id est, de vrbe regia propter Absalom, cuius mala reducebant ad memoriam in fœdatione patris, & eius persecutione, quasi dicat: indignum est quod pro ipso fugiat.

B Certabat. Certatim contendebat pro restituendo, eius in populum merita, tum priuatim in circulis, tum publicè in ciuicis conuentibus commemorando.

Fugit de terra. De tribu scilicet sua Iuda.

Vsq; quo filetis. A recognitione culpæ, & petitione veniæ.

Et non reducit regem. Ad locum suum honorificè. Et consilium totius Israël ad regem. Quia per nuntios certos, & solemnes significata fuerunt sibi ista, quibus auctoris rex misit ad viros Iuda, qui fuerunt cum Absalom, vt essent de primis ad ipsum reducendum, ex hoc enim quod erant de tribu David, verecundabantur apparere in conspectu eius, quia plus sibi fortè fecerant, quam extranei, & ideo David hoc aduertens mandauit pro eis vt venirent securè, quia paratus erat remittere, cuius rationem tangit.

Vsq; quo filetis? Id est, quare non initis hac de re consilium, vt quod in regem peccatum est illum eiiciendo, quam primum emendetis reuocando?

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 11. ad 17.

Vulg. Rex verò David misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnia Israël peruenerat ad regem in domo eius.)

Vulg. Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducit regem?

Sept. Rom. Ossa mea, & carnes meæ vos.

Vulg. Et Amasæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.

Pag. Nisi fuerit princeps exercitus.

Sept. Virtutis.

Alij. Sub Ioab.

Vulg. Et inclinavit cor omnium virorum Iuda, quasi viri vnus: miseruntque ad regem, dicentes: Reuertere tu, & omnes serui tui.

Malu. Et extendit cor.

Vatav. Et inflexit.

Cald. Inclinatum est cor omnium virorum.

Vulg. Et reuersus est rex: & venit vsque ad Iordanem, & omnia Iuda venit vsque in Galgalam, vt occurreret regi, & traduceret eum Iordanem.

Malu. Ad transire facere regem.

Vulg. Festinauit autem Semei filius Gera, filij Iemini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum regis David.

Vulg. Cum mille viris de Benjamin, & Siba puer de domo Saül: & quindecim filij eius, ac viginti serui erant cum eo: & irrupentes Iordanem, ante regem.

Arias. Prosperè traiecerunt.

Sept. Rom. Direxerunt Iordanem.

Cald. Transuadarunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Inclinavit cor, Alij, Extendit: Nempe corda eorum, vt simul reditum regis accelerarent. Quis autem inclinavit, vel blandis verbis allexit? Aliqui volunt fuisse Dauidem, Alij autem Amasa. Et irrupentes Iordanem, Alij, Traiecerunt, nempe vel mulabus, vel equis, וַתִּשְׁלַח וַיִּתְּרֶה, & traicere, & irrumperere significat, sed non quomodocumque, at feliciter, & prosperè

ANNOTATIONES.

MENOC. **V. II.** **C**ur venistis nonissimi, &c. Hoc dicitur à Dauid, quia Acreliquæ tribus Israëlitarum legatione missa, tribum Iuda anteverterant, officiosè regem reuocantes, vt patet ex sequentibus.

Sermo omnis Israël. Legatio, quam D. Hieron. agnoscit in traditionibus Heb. in hoc caput.

LYRAN. **V. 12.** **MENOC.** **V. 13.** **LYRAN.** **V. 13.** **MENOC.** **V. 13.** **LYRAN.** **V. 13.** **MENOC.** **V. 13.** Cur venistis nonissimi? Nempe viros Iuda domi continebat conscientia sceleris, & perfidiæ, qua præ reliquis tribubus peccarant, & fortè primi rebellionis Absalomi fautores ac sequaces fuerant, vt qui perditio iuveni propius frequentiusque assueuerant. Qua re cognita Dauid, simulque metuens, ne desperantes de gratia recuperanda, urbem regiam aduersus se defendere statuerent, atque ita restitutionem ac reditum suum præpedirent, omni studio per principes sacerdotum, qui Ierosolymis aderant, illos sibi conciliare conatur: eademque opera ipsum quoque principem aduersarij exercitus Amasam, oblato ei militiæ suæ imperio, loco Ioab, sibi demereri, totumque cum ipso exercitum suas ad partes traducere studet.

Os meum & caro. Quasi dicat, non possem vos odisse, quia hoc esset contra me.

Fratres mei, os meum. Quia Dauid è tribu Iuda erat, & in ea consanguineos, & affines multos habebat.

Et Amase. Iste inter omnes plus peccauerat contra Dauid, quia fuit princeps exercitus Absalom, vt habetur suprà 17. cum tamen esset nepos Dauid, & ideo ipsum specialiter nominavit. Sicut & Christus post resurrectionem suam per Angelum expressit specialiter Petrum, dicens: Dicite discipulis suis, &c. Marc. 16. quia propter Christi negationem non fuisset ausus inter discipulos comparere, nisi fuisset specialiter nominatus.

Hec faciat mihi Deus. Id est, maiora mala quam sustinuerim in persecutione Absalom.

Si non magister, &c. Aliqui libri habent, post Ioab: id est, sub Ioab: dictio enim Heb. תַּחַת tachath, quæ ibi ponitur, aliquando significat, pro, aliquando sub: tamen est eadem sententia: quia Dauid non intendebat amouere Ioab de suo officio, sed quod iste suppleret vices eius tempore, & loco, vbi videretur expedire.

Nonne os meum, &c. Erat Amalec Dauidi nepos ex sorore Abigail.

MENOC. **V. 14.** **LYRAN.** **V. 14.** **MENOC.** **V. 14.** **LYRAN.** **V. 14.** **MENOC.** **V. 14.** **LYRAN.** **V. 14.** Magister militia fueris, &c. Abdicato Ioab, vt iure facere poterat. I. propter Absalonem occisum contra regis imperium. II. propter eadem Abner per insidias, & proditionem patratam. III. quia regi grauis, in illum inuerecundus, & imperiosus erat.

Et inclinavit. Ad se per suum benignum mandatum.

Miseruntque. Hic consequenter describitur, ipsius reuocati reductio vbi interponitur benignitas Dauid in Semei obuiatione: secundò eius inæqualitas in hæreditatis Miphiboseth diuisione, ibi: Miphiboseth quoque. Tertio eius curialitas in Berzellai licentiatione, ibi: Berzellai quoque. Circa primùm dicitur, Miseruntque ad regem, scilicet, viri Iuda.

Et omnis. Id est, tribus Iuda, vt occurreret regi, & traduceret eum Iordanem in nauibus ad hoc paratis ab ipsis, vt dicunt aliqui: alij autem dicunt, quod ista traductio intelligitur, per hoc quod viri Iuda transferunt Iordanem ante regem in equis, ad explorandum vbi aqua esset bene vadabilis.

Reuersus est rex. Cum iis qui aderant ex tribu suâ frequentes, cum nondum conuenissent qui ex aliis tribubus expectabantur, quæ resiurgio causam dedit, de quo infra num. 40.

Vsque in Galgalam. Galgala à Iordane distans itinere horæ vnius cum dimidia. Iosephus ait distare stadiis quinquaginta.

Festinauit. Vt apud Dauid inueniret misericordiam.

Descendit cum viris Iuda. Qui progredientes è sua tribu in Galgala per tribum Benjamin, & Bahurim transibant.

Et irrupentes. Transcutes ad ripam oppositam, in qua adhuc erat Dauid, vt sibi seruirent in transitu. Cætera patient vsque ibi.

Cum mille viris de Benjamin. Vt officiosus videretur in regem tam multis, quasi clientibus ad Dauidis partes adiunctis. Vel fortassè tribunus fuit inter suos, ideoque sibi subiectos milites adduxit.

Irrumpentes Iordanem. Viri scilicet Iuda qui venerant vt regem reducerent. Hi ergo vada explorantes, fortassè sedentes in equis, ne quod periculum rex, aut eius familia adiret in Iordane transmittendo.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 18. ad 23.

Vulg. Transierunt vada, vt traducerent domum regis, & facerent iuxta iussionem eius. Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum iam transisset Iordanem.

Pag. Et transiit scapha, vt traducerent familiam regiam, & facerent quod bonum est in oculis eorum.

Caiet. Transiit nauicula, ad transire facere.

Malu. Transibit transitorium.

Mariana. Transit societas seu turma.

Sept. Et transiit transitus ad erigendam domum, &c.

Cald. Ad faciendum quod erat statutum.

Syr. Et pararunt vada.

Arab. Attulerunt sublicia.

Vulg. Dixit ad eum: Ne reputes mihi Domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui in die qua egressus es domine mi rex de Ierosolyma, neque ponas rex in corde tuo.

Pag. Ne memineris quòd iniquè egit.

Malu. Non imputabit mihi sustentator meus prauitatem, &c. quod deprauare fecit.

Sep. Quæcumque iniuste fecit.

Syr. Ne reputes mihi stultitiam.

Arab. Ne succenseas mihi propter culpam meam.

Vulg. Agnosco enim seruus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei regis.

Malu. Cognouit seruus tuus, quia ego erravi.

Sept. Veni prior vniuerso Israël.

Vulg. Respondens verò Abisai filius Saruiz, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domino?

Malu. Qui leuifecit vinctum Iuh?

Vulg. Et ait Dauid: Quid mihi, & vobis filij Seruiz? Cur efficiamini mihi hodie in Satan? Ergone hodie interficietur vir in Israël? An ignoro hodie me factum regem super Israël?

Pag. Hodie mihi estis aduersarij.

Sep. In aduersarium.

Vulg. Et ait rex Semei: Non morieris. Iuravitque ei.

Transferunt vada, Alij, *Transiit scapha, nauicula, &c.* Transitorium Heb. עברת *ghabarath.* Volunt plures esse ratem, scapham, quæ propriè sit transuectoria, quæ ad instar pontis esset, vt celetius, & securius rex cum suis transiret. Arab. rectè vocat *sublicia.* Neque memineras iniuriarum, Alij, *Quod iniquè egi:* non enim solum regem iniuriis affecerat, sed & in eum lapides iccerat. *In Satan,* Alij, *Aduersarium.* Satan enim Heb. est osor, aduersarius, impeditus, qui impediendo aduersatur, & aduersando impedit.

ANNOTATIONES.

Cum iam transisset Iordanem. Scilicet Semei.

A istud iuramentum fregerit, quia iniunxit filio suo Salomoni de morte eius, vt habetur infra lib. 3. c. 2. Dicendum quòd Dauid non iurauit, nisi quòd non moreretur tunc, & pro illa causa tantùm, sed quia erat homo seditiosus, monuit Dauid filium suum, vt contra hoc poneret cautelam, dicens. *Vir autem sapiens es vt scias quæ facies ei,* vt ibidem habetur: propter quòd Salomon inhibuit ei sub pœna mortis ne exiret Ierusalem, præcludendo sibi viam faciendi colligationes, & propter transgressionem huius præcepti fuit mortuus. Dauid etiam bene cogitabat, quòd cautelam sibi impositam non seruaret, & sic mortem de nouo incurreret.

Neque memineras. Scilicet ad pœnam exigendam. *Neque ponas in corde tuo.* Sed contemnas, quasi rem nihili.

ESTVS. Et ait rex Semei: *Non morieris. Iuranique.* Quid iurauit, nisi quòd precessit, *Non morieris?* Hoc ergo, vt apparet, iureiurando firmavit. Sed videri potest Dauid hoc iuramentum violasse, quando moriturus præcepit Salomoni 3. Reg. 2. dicens de Semei. *Tu noli pati eum esse innoxium.* Rupertus lib. 4. in Matth. in fine excusatur Dauidem, quia videlicet Semei non amore iustitiæ, sed timore pœnæ supplex ad Dauidem venerit. Verum ea responsio non satisfacit, quia Dauid absolutè supplicanti dixit; *Non morieris.* Dicendum ergo, quòd Dauid iurauit eum non moriturum, scilicet propter eam causam, quòd regi maledixisset. Neque præcepit filio suo Salomoni, vt propter illam culpam Semei puniret, sed tantum in genere dicit: *Tu noli pati eum esse innoxium:* id est impunitum, sed eo modo quo iuste poterit. Eum autem modum committit prudentiæ Salomonis. Vnde addit ibidem 3. Reg. 2. *Vir autem, &c.* Quasi dicat, facillè inuenies in eo occasionem aliquam quâ appareat homo seditiosus. Qua occasione inuenta, simul in eo punies ex consequenti hoc peccatum cum nouo, in quo eum deprehendes. Nempe solent principes ita dimittere peccata, præsertim seditiosis, vt si contingat eos iterum peccare, simul puniatur prius peccatum cum posteriori, atque ita in Semei factum est, vt narratur eodem c. 2. libri sequentis.

De omni domo Ioseph. Nomine Ioseph intelligit omnes tribus præter Iudam, quia in Iudam, & Ioseph diuisa sunt iura primogenituræ, quibus priuatus est Ruben. Vide 1. Par. 5. 1.

Hodie primus veni de omni domo Ioseph. Atqui Semei erat de tribu Benjamin, vt constat ex c. 16. v. 5. quomodo ergo hîc dicitur venisse de domo Ioseph? Respondeo. Tota domus Israël, in scripturis vocari solet *domus Ioseph.* Psa. 79. *Qui regis Israël, intende: qui deducis velut oves, Ioseph.* Similia habes Psa. 76. v. 16. & Psa. 80. v. 7. Zach. 10. v. 6. Cuius ratio est, quòd in Ægypto celebrius esset nomen Iosephi, quàm Israëlitis, aut Iacob; & quia Ioseph in Ægypto fratribus suis pro parente fuit, alimenta gratis omnia illis præbens, denique quia Ioseph loco Ruben nactus est primogeniti dignitatem, à quo sæpè tota familia denominari solet 1. Par. 5. *Ruben fuit primogenitus: sed, cum violasset thorum patris sui, &c.*

Numquid pro his verbis. Quasi dicat, magnum malum esset si viuus euaderet, quia incurreret crimen læsæ maiestatis.

Pro his verbis. Quasi dicat, quamuis demissè agat, crimen agnoscat, & veniam petat.

Christo Domini. Dauidi, Prophetæ vnctione in regem inuncto.

Cur effecimini mihi homo. Quia si Dauid eum statim occidi permisisset, alij qui cum Absalom fuerant in persecutando Dauid, timuissent ibi, & illi qui nondum venerant retrocessissent, & fortè aliqui qui iam venerant occultè recessissent, & sic eius occisio potuisset esse occasio magnæ scissionis, & magni mali contra Dauid.

Quid mihi, &c. Quasi dicat, quid vestra interest, si ego misericors esse voluero?

In Satan. Id est, aduersarium, erat enim re ipsa huiusmodi consilium inimici, mors quippe Semei omnes tribus à Dauide alienas reddidisset, dum de venia desperarent, & par supplicium sibi formidarent.

Ergone hodie, &c. Significat in die tantæ lætitiæ non esse sumendum de quoquam supplicium.

Non morieris. Iurauitque ei. Sed videtur quòd Dauid

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 30.

Vulg. Miphiboseth quoque filius Saül, descendit in occursum regis, illotis pedibus, & intonsa barba: vestesque suas non lauerat à die qua egressus fuerat rex, vsque ad diem reuersionis eius in pace.

Pag. Non aptauerat pedes suos, nec aptauerat labrum suum.

Arias. Non fecerat pedes suos, nec fecerat mustacam suam.

Caiet. Non fecit labium suum.

Malu. Labritium suum. *Angelomus.* Infectis pedibus.

Sept. Rom. Non curauerat pedes suos, neque fecerat vn-gues, neque fecerat, &c.

Reg. Barbam suam.

Arab. Is autem nihil dempserat de capillis capitis sui, neque ex barba sua, nec mutauerat vestes.

Vulg. Cumque Ierusalem occurrisset regi, dixit ei rex: quare non venisti mecum Miphiboseth?

Vulg. Et respondens ait: Domine mi rex, seruus meus contempit me: dixique ei ego famulus tuus, vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege: claudus enim sum seruus tuus.

Pag. Sternam mihi asinam, & equitando equitabo super eam.

Malu. Qui transfaltator seruus tuus.

Cald. Dolosè egit contra me.

Arab. Imposuit mihi.

Vulg. Insuper, & accusauit me seruum tuum ad te Dominum meum regem: tu autem domine mi rex, sicut Angelus Dei es, fac quòd placitum est tibi.

Arias. Detraxit.

Malu. Et pedauit.

Sept. Rom. Fallaciter egit.

Cald. Dixit locutiones quæ non rectæ sunt.

Syr. Fefellit me.

Arab. Imposuit mihi.

Vulg. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ: quid ergo habeo iustæ querelæ? aut quid possum ultra vociferari ad regem?

Pag. Qualis est mihi ultra iustitia vt clamem ultra.

Malu. Quia si homines mortis sustentatori meo regi.

Sep. Rom. Posuisti in iis qui comedunt mensam meam, & quæ est mihi ultra iustificatio?

Cald. Nisi viri obnoxij cædis, &c. quod est mihi amplius meritum?

Arab. Nam tota familia patris mei necem merentur ob ca quæ contra te commiserunt, tuque ex benignitate

tua, benignitatem exercuisti in seruum tuum, & efficiisti eum e commensalibus tuis, non possum igitur vincere, neque verba tenere.

Vulg. Ait ergo ei rex: Quid ultra loqueris? Fixum est quod locutus sum: tu & Siba diuidite possessiones.

Pag. Vt quid ultra loqueris verba tuæ?

Malu. Dixi, disperticimini agrum.

Cald. Hæreditatem.

Syr. Sat verborum tuorum pronuntiaui inter te, &c.

Arab. Iam vero edixi.

Vulg. Responditque Miphiboseth regi: etiam cuncta accipiat, postquam reuersus est Dominus meus rex pacifice in domum suam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Illotis pedibus, Alij, Non fecit pedes suos, non aptauerat, vt melius olerent. Itaque non fecerat pedes suos, idem quod non abluerat. Angel. habet. Infectis pedibus: & per eos intelligit ligneos pedes, quos sibi fecerat pro veris Miphiboseth, quibus carebat, vt pote debilibus & claudis. Sep. addunt. Neque fecerat ungues, id est, neque præfecerat in signum luctus. Nisi morti obnoxia, Alij, Nisi viri digni, vel rei mortis. Vide lect. Arab. Quid ergo habeo iuste querelæ? Alij, Quid mihi ultra est iustitia? Sed rectius Vulg. id est, quid amplius possum conqueri? Vt sterneret, Alij, Sternam. Id est, iussi vt sterneret.

ANNOTATIONES.

LYRAN. v. 24.

Miphiboseth. Hic consequenter ostenditur inæqualitas Dauid, in hæreditatis Miphiboseth diuisione, cum dicitur. Miphiboseth quoque filius. Id est, nepos. Alij libri habent, filius Saül. Sed veritas Heb. & libri correcti non habent. Dauid enim non fuit recordatus tunc amicitie Ionathan patris Miphiboseth. Si enim fuisset recordatus, medietatem hæreditatis suæ seruo suo non dedisset.

Intonsa. In Heb. habetur. Incomposita barba. Quia illo tempore non tondebant barbam filij Israël, prout habetur supra cap. 10. de nuntiis Dauid.

Vestesque. In signum tristitiæ propter fugam Dauid. Ex quo patet verum quod dictum est supra c. 16. scilicet quod Siba seruus suus falso diffamauerat eum apud Dauid. Cætera patent vsque ibi.

MENOC. Illotis pedibus, &c. Totum enim Dauidici exilij tempus in luctu posuit, quem in corporis, & vestium neglectu præ se tulit, ex quo aperte agnouit Dauid vera esse quæ dicebantur à Miphiboseth, satis enim apparebat illum in diuturno luctu fuisse.

MENOC. v. 26. Seruus meus contempsit me. Per contemptum scilicet neglexit mandatum meum. In Hebr. & apud Sep. est. Decepit me. Cald. habet, Dolose egit contra me, quia nimirum iumenta, & viaticum non parauit domino suo, cumque frustra expectantem reliquit contemptum simul, & illudum. Munera etiam fortasse Miphiboseth erant, quæ seruus nequam nomine suo obtulit.

MENOC. v. 27. Accusauit me. Vide supra c. 16. num. 3. Sicut Angelus Dei. Eximia sapientia, & quasi supra hominem.

MENOC. v. 28. Domus patris mei nisi morti obnoxia. Sensus est, si placet me reum credere, & non solum possessionibus, sed etiam vita priuare, id facile potes, præsertim cum tota Saülis familia, ob iniurias ab eo in te illatas, morte affici à te poterit.

Vociferari ad regem. Quasi mihi fiat iniuria.

LYRAN. v. 29. Quid ultra. Quasi dicat, pro nihilo, quia dictum meum non retractabo totaliter, retractauit tamen in parte, dicens.

Tu & Siba. Iniuste concedens seruo suo medietatem hæreditatis suæ, propter quod regnum eius fuit postea diuisum tempore Roboam nepotis sui, prout dicitur plenius infra lib. 3. c. 12. Hic autem aduertendum quantum adulatores, & detractores sunt periculosi principibus: quia Dauid tam sanctus, & iustus, verbis Sibæ adulatoris, & detractoris, vt patet ex prædictis, fuit ita captus, & inuolutus, quod hæreditatem Miphiboseth domini sui ei concessit in absentia Miphiboseth, & eo non audito, & quod peius est postquam audiuit Miphiboseth se verè ex-

culantem, vt patet per prædicta, non retractauit dictum suum iniustum totaliter: sed seruum suum pessimum fecit æqualem domino: quem tamen debuisset suspendisse propter falsam accusationem domini sui de crimine læsæ maiestatis.

Ait ergo ei rex. Quid ultra loqueris? Fixum est, quod locutus sum, tu, & Siba diuidite possessiones. Quasi dicat. Sententiam meam, qua Sibæ donauit tuas possessiones, nolo totam retractare sed tantum ex parte, nempe vt tu dimidium habeas, & ille alterum dimidium. Sed hanc sententiam Dauidis tanquam iniustam, notant omnes expositores. Nempe Siba propter mendacium quo accusauerat dominum suum Miphiboseth apud Dauidem læsæ maiestatis, suspensum potius merebatur, quam dimidiam bonorum partem. Quin etiam dicunt ob hanc tam iniquam sententiam, postea regnum eius fuisse diuisum inter Roboam nepotem suum, & Ieroboam seruum. Addunt quoque, & rectè, vt apparet, Dauidem, in hoc suo facto parum memorem fuisse fœderis initi cum Ionatha patre Miphiboseth, idque non tantum cum iuramento, sed etiam cum execratione, qua dicebat 1. Reg. 20. Requirit Dominus de manu inimicorum Dauid, &c. Moraliter discimus quam periculosum, & perniciosum sit principibus, aures accommodare detractoribus, & ex vnus relatu sententiam ferre, altera parte inaudita. Fuit quidem memor sui fœderis cum Ionatha Dauid c. 21. quando morti eripuit filios Ionathæ, sed in hoc loco turpiter sui oblitus est.

Quid ultra loqueris? Quasi dicat Dauid, quid pluribus verbis opus est? qui loquendi modus indicat longiorem intercessisse sermonem præsentem fortasse Siba, & se, vt poterat, verbis, mendaciis, & calumniis defendente.

Fixum est quod loquutus sum. Id est, nolo omnino retractare, & irritum reddere quod statui.

Diuidite possessiones. Sententiam hanc, & factum Dauidis iniustum fuisse omnes fere tradunt, nam inauditum damnauit Miphibosethum, calumniæ fidem accommodans, & innocentem compertum media bonorum suorum parte multauit, & calumniatorem Sibam adeo non puniuit, vt etiam cum domino suo bona diuidere iusserit. Abulensis, & Sanchez putant alia bona Miphibosetho dedisse Dauidem in compensationem eorum, quæ illi abstulerat. Nec voluisse Sibam priuare concessis, vt beneficij accepti memorem se ostenderet, & gratum. Adde Sibam non puniuisse, quia omnibus propter dici illius lætitiã parcebat. Vide supra hoc c. n. 22.

Fixum est quod loquutus sum. Id est, ratam volo esse sententiam, qua Saülis bona tibi ante concessa donauit Si-

ba. Sic tamen illam nunc tempero, vt non nisi pro medietate maneat Sibæ: altera medietas reddatur tibi. Tu & Siba dimidite possessiones.] Facile cognouit Dauid, nullam in Miphibosetho hæsisse culpam, tum ex eius illuie & sordibus iam pridem contractis: tum ex silentio Sibæ adstantis, nec contradicentis, vt colligitur ex versu 17. Noluisset tamen vel ex verecundia, vel ne ingratus in Sibam videretur, prorsus reuocare sententiam: sed partiri ex æquo iussit. In quo putat Abulensis & Caietanus grauitè peccasse Dauidem dum iniuste spoliat bonis suis innocentem. Et Hebraei, teste S. Hieronymo, putant, ob eam causam diuisum postea fuisse regnum Israëliticum, &

A maiorem partem à Roboamo diuisam & ad Ieroboamum translata fuisse, vt dixi 1. Regum 20. versu 42. Sed alia fuere grauiora peccata posteriorum Dauidis, propter quæ diuisum fuit regnum. Imò propter merita Dauidis factum, ne totum regnum à familia Dauidis ad alienam transfret, 3. Reg. II. v. 32. 34. & 36. Deinde crediderim, Dauidem, vt erat ingenio admodum liberali, Miphibosetho iacturam, illam dimidiæ partis bonorum, alia via abundè compensasse, vt etiam Abulensis suspicatur.

Dominus meus Rex. Quasi dicat, qui mihi bonorum omnium instar est. MENO C.
v. 30.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 31. ad 36.

Vulg. Berzellai quoque Galaadites descendens de Rogelim, traduxit regem Iordanem: paratus etiam ultra fluuium prosequi eum.
Pag. Vt transfret cum rege Iarden, vt transmitteret eum ultra Iarden.
Malu. Et transfret ad Regem Iardenem admittere eum in Iarden.
Cald. Vt concomitaretur eum.
Vulg. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, & præbuit alimenta Regi, cum moraretur in castris, fuit quippe vir diues valde.
Pag. Ipse pavit Regem dum mansit in Mechinaim.
Malu. Filius 80. anni, & ipse vniuersitauit Regem in mansionem eius.
Sept. Rom. Quoniam vir magnus valde.
Cald. Ille pauerat Regem dum federet.
Arab. Annonam suppeditauerat.
Vulg. Dixit itaque rex Berzellai, veni mecum vt requiescas securus mecum in Ierusalem.
Pag. Et alam te mecum.
Malu. Transi ad me, & te vniuersitabo coactantem.

Sept. Rom. Nutriam senectutem tuam.

Arab. Ibi mecum vive.

Vulg. Et ait Berzellai ad Regem. Quot sunt dies annorum vitæ meæ, & ascendam cum Rege in Ierusalem?

Malu. Secundum quid dies annorum vitæ mearum?

Vulg. Octogenarius sum hodie, nunquid vigent sensus mei ad discernendum suauem aut amarum, aut delectare potest feruum tuum cibus vel potus, vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum, quare feruus tuus sit oneri Domino meo regi?

Pag. Angustabit feruus tuus quod bibam.

Caiet. An discernam inter bonum & malum?

Malu. Et ad quid erit feruus tuus, adhuc leuanda ad sustentatorem meum Regem?

Sept. In onus supra dominum, &c.

Cald. Num audiam amplius?

Vulg. Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum, non indigeo hac vicissitudine.

Pag. Vt quid retribuuet mihi rex retributionem istam?

Arab. Ne tali quaeso mercede me muneret.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Traduxit Regem Iordanem, &c. Alij, Transfret cum Rege, vt scilicet comitaretur eum abeuntem. Alij, Ad dimittere eum in Iordane, volebat enim eum ibi salutare, & inde domum reuerti. *Vir diues valde.* Alij, *vir magnus*, scilicet opibus. *Vt requiescas securus mecum.* Alij, *Et alam te mecum.* Ita Hebr. est, sed sensum exprimit *Vulg.* *Quid enim timendum ei qui mensis Regis assidet?* Alij, *Ad discernendum suauem & amarum?* Alij, *An discernam inter bonum & malum?* scilicet secundum sensum. *Non indigeo hac vicissitudine.* Alij, *Vt quid retribuuet mihi rex retributionem hanc?* quam mihi vicissim vis rependere?

ANNOTATIONES.

LYRAN. *B*erzellai. Hic consequenter ostenditur gratitudo Dauid erga Berzellai, qui sibi necessaria pro parte ministrauerat, ex prædictis & eum usque ad Iordanem conduxerat, cui Dauid obtulit præmia & honores si vellet ire Ierusalem secum: sed excusauit se propter senectutem dicens.
MENO C. *De Rogelim.* Ciuitate sua trans Iordanem, in qua habitabat.
In castris. In Mahanaim. Vide supra cap. 17. 28.
Vt requiescas securus mecum in Ierusalem, Septuaginta verterunt, & *nutriam senectutem tuam*, cupiebat enim Dauid illi gratam vicem rependere pro acceptis ab eo alimentis.

A *Quot. Quasi dicat, tempus est quod ego cogitem de morte, non de honoribus aut diuitiis. Quod est contra senes se ingerentes curiis magnatorum. Misit tamen filium suum cum Dauid, dicens.*

LYRAN.
v. 34.

Quot sunt dies annorum vitæ meæ, &c. Quasi dicat, quid est opus ad tantulum tempus vitæ quod mihi superest sedem mutare, cum præsertim idoneus non sim ad fruendum aulæ delitiis.

MENO C.

Quare sit oneri, &c. Scilicet senio confectus nulla in re vsui esse possum.

MENO C.
v. 35.

Paululum procedam. Te scilicet comitando.

Non indigeo hac vicissitudine. Vt scilicet vicem mihi reddas acceptorum à me alimentorum.

MENO C.
v. 36.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 37. ad 43.

Vulg. Sed obsecro vt reuertar seruus tuus, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ: est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum Domine mi rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.
Malu. Reuertetur seruus, &c. Et mortuus fui in vrbe cum sepulchro, &c.
Sept. Rom. Sedeat nunc seruus.
Cald. Fac ei quod appositum est, &c.
Syr. Ad latus sepulchri.
Vulg. Dixit itaque ei rex, mecum transeat Chamaam, &

ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne quod petieris à me impetrabis.

Vulg. Cumque transfret vniuersus populus, & rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai & benedixit ei, & ille reuersus est in locum suum.

Sept. Et rex transfret.

Vulg. Transfret ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum eo: Omnis autem populus Iuda traduxerat regem, & media tantum pars affuerat de populo.

Malu. Transire fecerunt Regem.

Vulg. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem, dixerunt ei, Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem, & domum eius Iordanem, omnesque viros David cum eo.

Cald. Quare occultauerunt à nobis fratres nostri?

Arab. Quare celauerunt nos transitum tuum cis flumen?

Vulg. Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israel, quia mihi propior est rex, cur irasceris super hac re? Nunquid comedimus aliquid ex rege, & munera data sunt nobis?

Arias. Cur ira tibi est super hoc verbum, &c. Si donatiuum derulit nobis?

Malu. Si leuandam leuauit nobis?

Sept. Rom. Aut munus dedit, aut tributum sustulit nobis?

Cald. Aut quid durum est tibi, numquid comedimus ex diuitiis regis, num donum numerauit nobis?

Arab. Ergo ne inuidetis nobis, & moleste fertis?

Vulg. Et respondit vir Israel ad viros Iuda, & ait, decem

partibus maior ego sum apud Regem, magisque ad me pertinet David quam ad te, cur fecisti mihi iniuriam, & non mihi nuntiatum est priori vt reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Iuda viris Israel.

Pag. In David complaceo plusquam tu, &c. Cur flocci fecisti me? & non fuit verbum primum mihi?

Arias. Decem manus mihi in Rege.

Caiet. Quare paruipendisti me?

Malu. Et quid cognitionis leuifecisti me? &c. Et perplexum fuit verbum.

Sept. Rom. Et non est reputatum primum verbum mihi.

Cald. David volumus plusquam tu.

Syr. Verum pteualuit verbum Iudæorum verbo Israëlitarum.

Arab. Habemus in Davide sortem potiolem quam vos, quomodo abiistis vos priuatim absque nobis?

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quare te furati sunt? Bene *Cald.* Quare occultauerunt à nobis? quod idem est ac quod habet *Arab.* Quare celauerunt transitum tuum? Aut munera nobis data sunt? *Alij,* An donatiuum donauit nobis? Scilicet Rex. *Sept. ad-*
dunt, Aut tributum sustulit nobis? Sed hæc absunt ab aliis Codicibus Græcis. *Decem partibus maior sum.* *Alij,*
Decem manus mihi in rege. In David complaceo plusquam tu, etiamsi sit de tribu tua, plus cum facio, plus diligo,
Durius responderunt. *Alij,* Perplexum fuit verbum, Id est ex asperans.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **E** *St. autem Chamaam.* Ita quod debet scribi per, m, in A medio & in fine. TIRINTI.
- Y. 37.** Ipse va. Ipse est enim iuuenis, & poterit addiscere ea quæ sunt virtutis & honoris. Notandum est hic, quod in curia David erant cantores & cantatrices instrumentis & vocibus humanis, talibus enim licitum est vti moderatè: quia sicut membra corporis indigent quiete & recreatione, ita & vires animales: ad quod multum facit melodia.
- MENOC.** *Chamaam.* Filius Berzellai.
- TIRINVS.** *Seruus tuus Chamaam.* Addunt Septuaginta, *filius meus.* Suo enim loco voluit filium suum substitui apud Davidem.
- MENOC.** *Transseat,* Iordanem scilicet.
- Y. 38.** *Et osculatus est.* In signum magnæ amicitie.
- LYRAN.** *Et benedixit ei.* Imprecans ei bona vitæ presentis & future.
- Y. 39.** *Benedixit ei.* Bene precatus est, officiosis verbis in digressu, propensam in illum ostendens voluntatem.
- MENOC.** *Omnis.* Suprà posita est ipsius regis reductio, hic consequenter post interpositionem prædictorum describitur reductentium concertatio, cuius causa exprimitur cum dicitur: *Omnis autem,* &c. Iordanem fluuium modo supra dicto.
- LYRAN.** *Et media.* Et ideo in hoc reputabant se dehonoratõs, tum quia plures erant: tum quia primò nuntios miserant ad David pro eius reuersione, vt prædictum est, propter quod dixerunt regi.
- MENOC.** *Media tantum pars,* &c. Vt suæ tribus viris David satisfaceret non expectatis reliquis ex aliis tribubus qui illum deducere parabant, qui media pars erant, vt habet hic facer textus, se dederat in iter. Hinc natum sequens iurgium contra viros tribus Iuda, quasi ambitiosè alios à deducendo rege sua festinatione exclusissent.
- LYRAN.** *Quare te.* Quasi dicat, In clanculo factum est antequam venirem, in contemptum nostrum.
- Y. 41.** *Quare te furati sunt fratres nostri?* Quasi dicat, Cur te furtum, nos non expectans, & hac gloria priuans, in regnum reducere voluit sola tribus Iuda?
- MENOC.** *Quare te furati sunt fratres nostri?* Id est, quare sola tribus Iuda, insciis reliquis tribubus quasi furtiuè solemnem hanc regis reductionem sibi vendicauit? Non quòd nulli adessent ex reliquis tribubus: nam & Semei secum habebat, *mille viros de Benjamin* vers. 17. & *media pars de populo Israel,* dicitur vers. 40. regi *affuisse.* Sed quòd maior pars comitantium regem esset de tribu Iuda, vt potè duplo maior, quàm ex aliis simul omnibus tribubus Israel: & quòd auspiciis ac nomine tribus Iuda omnia gererentur quæ triumphalem regis reductionem concernebant. Id verò agrè tulerunt reliquæ tribus, & occasionem inde sumpserunt sese à tribu Iuda hostiliter seiungendi. Aliquid simile olim acciderat tribui Ephraim Iudic. 12. cum Iephte deuictis Ammonitis lætus rediret & triumphans, nam Ephraimitæ, quòd ad illud bellum inuitati non essent, seditionem concitarunt, quæ non nisi cæde quadraginta duorum millium sedata fuit.
- TIRINVS.** *Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israel.* Superbè.
- LYRAN.** *Quia mihi,* &c. Id est, de tribu & cognatione mea. Y. 42.
- MENOC.** *Mihi propior est Rex.* Quippe qui ex eadem tribu Iuda est, & in nostra tribu, ex quo rex est, semper habitauit.
- Nunquid comedimus aliquid ex rege?* Quasi dicant, non hoc facimus vtilitatis alicuius causa, quasi nos rex alar, aut det munera, sed quia propius nos attingit.
- Decem partibus.* Quasi dicat, licet non sit de tribu nostra, tamen multò plus valemus sibi in subsidium temporale, & adiutorium contra aduersarios.
- Durius.* Tum quia erant viri belliciosi & animosi: tum quia erant homines de tribu regia, ex quo præ aliis in superbiam erigebantur.
- Decem partibus maior sum,* &c. Quasi dicat, si David spectetur vt priuatus, magis ad vos pertinet, quia ex vestra tribu, si verò vt rex, magis ad nos, quia decem partibus vos numero superamus, & ideo maxima illius regni pars sumus.
- Durius responderunt viri Iuda.* Sed quibus verbis vsi sint, ex scriptura non habemus.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS.

TRibus Israelitica duce Seba successione faciunt à domo Iuda & Dauide, sed capite minuto Seba cessat rebellio, Ioab Amasam, ut olim Abnerem, proditoriè occidit.

Accidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Iemineus: & cecinit buccina, & ait: Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. reuertere in tabernacula tua Israël. 2. Et separatus est omnis Israël à Dauid, sequutusque est Seba filium Bochri: viri autem Iuda adhaferunt regi suo à Iordane vsque Ierusalem. 3. Cumque venisset rex in domum suam in Ierusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas reliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: & non est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ, in viduitate viuentes. 4. Dixit autem rex Amasæ: Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, & tu adesto præsens. 5. Abiit ergo Amasa vt conuocaret Iudam, & moratus est extra placitum quod ei constituerat rex. 6. Ait autem Dauid ad Abisai: Nunc magis afflicurus est nos Seba filius Bochri quàm Absalom: tolle igitur seruos domini tui, & persequare eum, ne fortè inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos. 7. Egressi sunt ergo cum eo viri Ioab, Cerethi quoque & Phelethi: & omnes robusti exierunt de Ierusalem ad persequendum Seba filium Bochri. 8. Cumque illi essent iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porrò Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia, in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere. 9. Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salue mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. 10. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est. Ioab autem, & Abisai frater eius, persequuti sunt Seba filium Bochri. 11. Interea quidam viri, cum stetissent iuxta cadaver Amasæ, de fociis, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Ioab comes Dauid. 12. Amasa autem conspersus sanguine, iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amouit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. 13. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Ioab ad persequendum Seba filium Bochri. 14. Porrò ille transierat per omnes tribus Israël in Abelam, & Bethmaacha: omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. 15. Venerunt itaque & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus ciuitatem, & obsessa est vrbs: omnis autem turba, quæ erat cum Ioab, moliebatur destruere muros. 16. Et exclamauit mulier sapiens de ciuitate: Audite, audite, dicite Ioab: Appropinqua huc, & loquar tecum. 17. Qui cum accessisset ad eam, ait illi: Tu es Ioab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio: 18. Rursumque illa: Sermo, inquit, dicebatur in veteri prouerbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: & sic perficiebant. 19. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israël, & tu quæris subuertere ciuitatem, & euertere matrem in Israël? Quare præcipitas hæreditatem Domini? 20. Respondensque Ioab, ait: Absit, absit hoc à me: non præcipito, neque demolior. 21. Non sic se habet res, sed homo de monte Epraim Seba, filius Bochri cognomine, leuaui manum suam contra regem Dauid: tradite illum solum, & recedemus à ciuitate. Et ait mulier ad Ioab: Ecce caput eius mittetur ad te per murum. 22. Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba filij Bochri proiecerunt ad Ioab, & ille cecinit tuba, & recesserunt ab vrbe, vnusquisque in tabernacula sua. Ioab autem reuersus est Ierusalem ad regem. 23. Fuit ergo Ioab super omnem exercitum Israël: Banaias autè filius Ioiadæ super Cerethæos & Phelethæos. 24. Aduram verò super tributa: porro Iosaphat filius Ahilud, à commentariis. 25. Sina autem, scriba: Sadoc verò & Abiathar, sacerdotes. 26. Ira autem Iairites erat sacerdos Dauid.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 3.

Vulg. Accidit quoque ut ibi esset vir Belial nomine Seba, filius Bochri, vir Iemineus, & cecinit buccina & ait, non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai, reuertere in tabernacula tua Israel.

Pag. Ibi autem casu erat vir impius.

Arias. Vir sine profectu.

Sept. Rom. Et ibi Aduocatus filius iniquus, & clancit cornua, &c. Vir ad tabernacula tua Israel.

Syr. Audacter autem se proferens illic nequissimus.

Arab. Profiliens vir sceleratus.

Vulg. Et separatus est omnis Israel à Dauid, secutusque est Seba filium Bochri, viri autem Iuda adhaferunt Regi suo à Iordane vsque Ierusalem,

Pag. Et ascendit.

Arias. A posterioribus Dauid.

Mals. Agglutinati sunt in Rege suo.

Cald. Associauerunt se cum rege suo.

Vulg. Cumque venisset rex in domum suam in Ierusalem, tulit decem mulieres concubinas quas dereliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam,

alimenta eis præbens, & non est ingressus ad eas, sed erant clausæ, vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes.

Arias. Mulieres pellices, dedit eas domo custodiæ.

Malu. Obseruantia, & vniuersitauit eas, &c. In vidui-

tate vitæ.

Cald. Fuerunt custodiæ & vocatæ viduæ viri ipsarum superstitis.

Arab. Collocauit eas in domo quadam seorsim.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V *Ir Belial.* Alij, *Vir impius, sine profectu.* Vide pluries dicta de nomine Belial. *Acciditque.* Sept. Rom. *Advocatus.* Sed Compl. & Reg. habent, *occurrit. Remertere in tabernacula tua.* Sept. Rom. *Vir ad tabernacula.* Ita Hebr. sed subintelligendum *Remertere.* Vir autem, id est, unusquisque. *Tradidit eas in custodiam,* id est, vt habet Arab. *Collocauit eas in domo quadam seorsim,* vt simul in ea custodirentur. *In viduitate viuentes.* *Cald.* *Vocatæ viduæ viri ipsarum superstitis.* Viduitas mortis est, cum vir obiit, viduitas vitæ, cum eo viuente coniuges separantur.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 1.

A *Accidit.* Postquam descripta est punitio Dauid ratione homicidij Vriæ, & ratione adulterij cum Bethsabee, hinc consequenter ponitur eiusdem punitio ratione proditoris, quia Vriam occidit proditorie, vt patet ex supra dictis 2. cap. Et de hoc ponitur hinc rebellio populi contra ipsum ad instinctum Seba filij Bochri. Circa quod sic proceditur, quia primo describitur huius rebellionis ortus, secundo punitio, ibi: *Dixit autem rex Amasa.* Prima in duas, in partem principalem, & incidentalem; Secunda, ibi: *Cumque venisset rex.* Circa primum dicitur.

Accidit quoque. Scilicet in contentione aliarum tribuum contra tribum Iuda.

Vir Belial. Id est, absque iugo disciplinæ, & legis diuinæ.

Nomine Seba. Et sic debet scribi vbiq; per, e, sed communis vsus non habet.

Vir Iemineus. Id est, de stirpe Iemini: Et sic patet quod erat, de cognatione Saül, propter quod odiebat Dauid, propter translationem regni, de domo Saul ad ipsum, & ideo videns populum dispositum, ad rebellandum ipsi Dauid.

Cecinit buccina. Vt ex repentino sonitu omnes tacerent, & sic daretur ei maior audientia.

Et ait. Voce magna.

Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Quasi diceret: ex quo contempsit nos, debemus cum dimittere, & alium regem eligere.

MENOC.

Vir Belial. Rectè Seba *vir Belial* appellatur, iugum scilicet excutiens, improbus, & seditiosus.

Vir Iemineus. De tribu Beniamin, vir primarius, & fortasse vt Semei, Saulis propinquus, ideoque Dauidi infensus.

Cecinit buccina. Israelitas conuocans vt relicto Iudæis rege ipsi secederent, quandoquidem, vt extremo superiori capite vidimus, ita despiciebantur. Emanuel Sa putat cecinisse tuba vt sedaret tumultum, & attentis loqueretur.

Non est nobis pars cum Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Hæc Hebræorum erat formula, qua negabant sibi cum aliquo fututum commercium. Italicè diceremus, *Non habbia mo che fare con Dauid,* sic Act. cap. 8. D. Petrus ait ad Simonem Magum: *Non est tibi pars, neque fors in sermone isto.* Alia exempla vide apud Sanchez latiùs hoc explicantem.

TIRINVS

Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Prouerbialis est locutio, qua significatur, non esse necessariam connexionem cum altero, qualis esse solet membri cum corpore, aut filiorum cum parente à quo hæreditate præstolentur. Vtebantur ergo Hebræi hac formula, quasi solemni & legitima, dum negarent, sibi cum altero fututum commercium aut consortium. Sicuti Romani in repudio ferè simili formula vti solebant, *Res tuas tibi habeto, res tuas tibi arito.* Hinc simili prorsus phrasi repudiarunt postea Hebræi Imperium Roboami 3. Reg. 12. *Que nobis pars in Dauid, vel qua hæreditas in filio Isai?* Et S. Petrus excommunicauit Simonem Magum Act. 8. *Non est tibi*

A pars, neque fors in sermone isto. Contrà voluptuarij de luxu dicunt Sapientiæ 2. *Hæc est pars nostra, & hæc est fors (seu hæreditas) nostra.*

Et separatus est omnis Israel à Dauid. Ad tempus, vt sic Dauid de punitioe contra Vriam puniretur, & Seba propter suam malitiam occideretur.

Cumque venisset rex in domum suam in Ierusalem. Hæc est pars incidentalis, quia Dauid veniens in Ierusalem reperit se esse fœdatum in vxoribus suis per Absalom, vt dictum est supra 16. cap. & ideo reclusit eas, prouidens eis de victu & vestitu, duplici ratione. Primo, quia prohibetur Leuitic. 18. *Turpitudinem nurus tue non discooperies.* Licet autem istæ mulieres non fuerint vxores Absalom filij Dauid secundum veritatem, fuerunt tamen secundum apparentiam propter concubitum carnalem: ideo non erat decens quod Dauid vltra ad eas accederet, nec etiam aliquis alius, & ideo fecit eas recludi. Secundo quia si viderentur in publico, rememoretur factum Absalom, quod in vituperium Dauid redundabat.

In viduitate viuentes. Ex hoc patet quod prædictum est, scilicet eas fuisse vxores Dauid, aliter non dicerentur sic viuere in viduitate. Ista tamen viduitas intelligitur, quantum ad separationem thori, non quantum ad mortem mariti, quia Dauid adhuc viuebat. Absalom autem nunquam fuit earum maritus, quia non poterat accipere vxorem patris, maximè eo viuente.

Et non est ingressus ad eas. Sed erant clausæ vsque in diem mortis sue in viduitate viuentes. Quare Dauid has concubinas reclusit, & ab iis se deinceps abstinet, duæ sunt rationes, vna, quia lex præcipit Leuit. 18. *Turpitudinem nurus tue non discooperies.* Quamuis enim istæ mulieres propriè non essent factæ nurus Dauidis, per hoc quod filius eius Absalom ad eas fuerat ingressus, erant tamen secundum quandam similitudinem, quia eas sibi vendicauerat Absalom tanquam suas vxores. Vnde indecens, & inhonestum erat, vt pater eas deinceps pro vxoribus haberet, quantum ad usum coniugalem. Et ob hanc causam ab earum congressu abstinuit Dauid. Accessit & alia causa, ob quam quoque eas reclusit, quia, si in publico conspicerentur, renouassent in animis populi memoriam fœditatis perpetratæ in eas ab Absalom, idque redundasset in ignominiam ipsius Dauidis. Quod autem additur *(in viduitate viuentes)* intelligendum est non quantum ad mortem mariti (nam Dauid earum maritus viuebat) sed quoad priuationem tantum thori, siue conuictus maritalis. Vnde & Hebræa habent non simpliciter, *in viduitate,* sed, *in viduitate vitæ,* id est, conuictus.

Tradidit eas in custodiam. Liberali custodia, supposebat enim inuitas cum Absalone cubuisse. Dedit etiam alimenta, siue mercedem præcedentis famulatus, siue quia aliis nupturæ non erant, à quibus alerentur.

Non est ingressus ad eas. Quia factæ erant, quasi nurus ipsius, vetitum autem erat Leuit. 18. 15. accessus ad nulum.

In viduitate. In cœlibatu, neque enim erant propriè viduæ superstitæ Dauidi cui nuperant.

LYRAN.
v. 2.

LYRAN.
v. 3.

ESTIVS

MENOC

VARIETAS LECTIIONVM à *Vers.* 4. ad 8:

V*Vulg.* Dixit autem rex Amasæ: Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, & tu adesto præsens.
Pag. Congrega, &c. & tu hic sta.
Sept. Rom. Clama mihi virum Iuda tribus diebus.
Reg. Conuoca.
Cald. Intra tres dies.
Arab. Tu maneto hic apud me.
Vulg. Abiit ergo Amasa vt conuocaret Iudam, & moratus est extra placitum quod ei constituerat rex.
Arias. Abiit ad accersendum, & moratus est à tempore statuto.
Malu. Et ambulauit Ghamasa ad conclamare facere Iehudah, & posteriorauit de statione, &c.
Sept. Rom. Tardauit à tempore.
Arab. Diutius moratus est in exequendo Regis mandato.
Vulg. Ait autem Dauid ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom: tolle igitur seruos domini tui, & persequere eum, ne forte inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos.
Pag. Nunc peius faciet nobis, &c.
Arias. Et se liberet ab oculis nostris.
Malu. Nonne malefaciet nobis Sebagh.
Sept. Rom. Et teget oculos nostros.
Reg. Et inumbret.
Cald. Et affligat nos.
Syr. Nunc negotium faciscet nobis, & eruat oculos nostros. *Ita & Arab.*
Vulg. Egressi sunt ergo cum eo viri Ioab, Cerethi quoque & Phelethi: & omnes robusti exierunt de Ierusalem

ad persequendum Seba filium Bochri.
Malu. Et omnes præualidi.
Sept. Omnes potentes.
Cald. Iaculatores, & fundibularij.
Syr. Sodales Ioab, tam nobiles quam milites.
Vulg. Cumque illi essent iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia, in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere.
Pag. Ioab accinctus tunica vestimenti sui, & super eum cingulum gladij coniuicti lumbis, in vagina sua, & Ioab egressus est, & cecidit gladius.
Arias. Accinctus Sago.
Caiet. Cinctus panno.
Malu. Accinctus vestem commensuratam?
Sept. Ioab indutus mantellum vestimentum suum, &c. Et gladius exiuit, & ipse exiuit, & irruiit.
Reg. Accinctus gladio ancipiti.
Cald. Erat accinctus lumbari, &c. & ipse ambulans inpegit.
Syr. Præcinctus erat instructu armorum suorum & gladius annexus erat, & appositus lumbis eius pugionis instar, is ergo egressus est, & incidit manus eius super gladium suum.
Arab. Appensus erat in vagina ad instar nouacula, cumque egressus esset, proiecit manum suam ad enssem suum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

E*ffugiat nos.* Alij, *Teget oculos nostros, affligat nos.* Duplex sensus. Primus quod subducet se ab oculis nostris, alius, quod molestissimus erit nobis. *Indutus erat tunica stricta, ad mensuram habitus sui.* Alij, *Accinctus tunica vestimenti sui.* Sed optimè *Vulg.* expressit vim vocis מִדּוֹ *middo*, id est, vestis commensurata & stricta. *Desuper accinctus gladio.* Alij, *Et super illud cingulum gladij.* Id est, præter morem super vestes gerebat gladium ad maiorem vtendi facultatem. *Qui fabricatus leui motu egredi poterat & percutere.* Alij, *Qui egrediebatur & cadebat,* Hoc est, qui ita fabricatus erat, vt leui motu è vagina educi posset, & quasi ex ea excidebat, vt subito percuteret.

ANNOTATIONES.

D*xit autem rex Amasa: Conuoca mihi omnes viros Iuda, in diem tertium, & tu adesto præsens.* Hic consequenter describitur punitio Sebæ de rebellionis commotione. Vbi primò describitur ipsius infecutio: Secundo, eius occisio, ibi: *Venerunt itaque.* Tertio repetitur Dauid ordinatio, ibi: *Fuit ergo Ioab.* Prima in duas: in partem principalem, & incidentalem. Secunda, ibi: *Cumque ibi essent.* Circa primum sciendum quod Dauid habebat bellatores ex tribus partibus. Vna erat tribus Iuda quæ sibi adhæferat, vt dictum est, & congregationem istorum commisit Amasæ, quia erat princeps militiæ illius tribus, quia licet Ioab esset super totum exercitum generaliter: tamen in qualibet tribu erat vnus princeps militiæ specialiter. Et idè congregationem militiæ tribus Iuda melius poterat facere Amasa quam alius. Alia pars erat bellatorum qui erant de domo Dauid tanquam famuli eius & stipendiarij speciales, & istos commendauit Abisai, dicens.

A Iuda: tamen de qualibet tribu erant viri bellatores robusti qui coniuncti fuerant ipsi Dauid à tempore quo fugit à facie Saul, vt habetur r. Paralip. 12. cap. & isti volebant iuuare ipsum Dauid, & ad hos congregandos extiterat Ioab, quia erat difficilius negotium: propter quod in eius absentia dum esset dicto modo occupatus, & periculum esset in mora persequendi Seba, Dauid commisit Abisai bellatores de domo sua, qui erant assueti exire cum Ioab & obedire ei, veruntamen Ioab & Abisai cum suis societatibus conuenerunt in vnum, sicut erat conditum, & secundum ista patet littera.

Ait Dauid Abisai. Mittit Abisai, quia Ioabi opera vti volebat, ne timeret Amasa nouus Dux exercitus Ioabum militari præfecturæ, quam hæctenus exercuerat, restituentum.

B *Magis afflicturus est nos Seba.* Hæc per auxesim dicuntur, & cum aliqua amplificatione. Nam Absalonem omnis tribus etiam Iuda ad regnum admouere conata fuerat.

Tolle seruos Domini tui. Id est, Dauid, qui de se in tertia persona loquitur. Alij putant Dominum vocari Ioab, quia ætate maior erat, & dignitate.

Inueniat. Inuadat, occupet.

Cerethi & Phelethi. Vide dicta cap. 8. num. 18.

Cumque. Hæc est pars incidentalis, in qua agitur de infecutione Amasæ, qui occurrit Ioab in dicta infecutione Seba.

Qui fabricatus. In Hebræo habetur: *Et exiit & cecidit,* quod exponens Ra. Sa. dicit quod Ioab à proposito sic

LYRAN.
v. 4.

MENOC.

MENOC.
v. 5.
LYRAN.
v. 6.

MENOC.
v. 7.
LYRAN.
v. 8.

disposuit, vt caderet ad terram de vagina, vt sic Amasa crederet, quod Ioab leuaret de terra ad reponendum in vagina, & non percipiendum ipsum, ideo subditur.

MENOC. *Iuxta lapidem grandem qui est in Gabaon.* Distat locus hic Hierosolymis, stadiis quadraginta ex Iosepho lib. 7. cap. 10. circa hunc eundem locum Ioab cum Abnere pugnauerat initio, ducto à gladiatorio certamine, supra cap. 2. huius libri.

Stricta ad mensuram habitus sui. Hebr. *vestimenti sui*, quo scilicet vestiri solebat.

Qui fabricatus leui motu egredi poterat. Laxiori vaginæ inditus, vt facillimè posset educi, aut inclinato corpore è

vagina sponte cadere. In Hebr. *qui egredietur, & cadet*, modum occisionis clarè Iosephus expressit his verbis loco citato. Ibi Ioabus thorace munitus, accinctusque gladio, accedente ad complectendum Amasa de industria gladium sibi è vagina elabi passus est, eoque mox è terra sublato, & altera manu, barba Amasæ quasi deosculandi causa præhensa, improviso ictu ventrem ei perfodit, hominemque confecit.

Iuxta lapidem grandem, seu iuxta collem faxeum præaltum, *qui est in Gabaon*. In quo erectum erat altare, & vocabatur *excelsum Gabaon*, vbi & Salomon immolauit 3. Reg. 3. v. 4. *Illud quippe erat excelsum maximum.* TIRINVS.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 9. ad 13.

Vulg. Dixit itaque Ioab ad Amasam, *salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum.*

Pag. Num saluus es frater mi? & tenuit barbam, &c. Vt oscularetur eum.

Arias. Num pax tu?

Tigur. Num rectè vales?

Malu. Et obtinuit manus dextra Ioabi.

Cald. Et apprehendit barbam.

Syr. Cecidit manus, &c. super barbam.

Arab. Bene veneris.

Vulg. Porro Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est. Ioab autem, & Abisai frater eius, persequuti sunt Seba filium Bochri.

Pag. Percussit eum in quinta costa, &c. Et non iterauit ei.

Malu. Ad quintum, & non secundauit ei.

Sept. Rom. Percussit illum in inguinem, & effusus est venter eius.

Cald. In latere femoris eius.

Arab. Feruit mediam corporis eius partem.

Vulg. Interea quidam viri cum steterissent iuxta cadauer Amasæ, de fociis Ioab, dixerunt; Ecce qui esse voluit pro Ioab, comes Dauid?

Pag. Et vir stetit iuxta Amasa, qualis est qui voluit esse pro Ioab, qualis est qui voluit esse Dauidi post Ioab?

Caiet. Quis qui voluit pro Ioab, & quis qui Dauidi pro Ioab?

Malu. Qui beneplacitum habuit pro Ioabo.

Varab. Quis est qui amat Ioab, & quis est qui velit esse pro Dauide.

Sept. Rom. Quis volens Ioab.

Syr. Quis es apud Dauidem, qui posterior est Ioabo.

Arab. Vidit quidam Amasum prostratum, & ait illi, vnde es tu, & è cuius amicis es tu, esne ex amicis Dauidis Prophetae, qui est cum Ioabo?

Vulg. Amasa autem conspersus sanguine iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus, ad videndum eum, & amouit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.

Pag. Inuolutus sanguine, &c. Et diuertit eum.

Arias. In medio viae altæ, &c. circumire fecit Amasa,

Malu. Et Ghamasa deuoluere se faciens in medio stratae, circumgyrare fecit de strata, & deiecit super eum.

Cald. Quando videbat omnem, &c. Subsistentem.

Arab. Detracta eius veste expandit eam super ipsum.

Vulg. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Ioab, ad persequendum Seba filium Bochri.

Malu. Secundum quod amotus fuit de strata.

Sept. Postquam declinavit de via.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Salue mi frater. Aliqui interrogatiuè. Num vales tu? Quod æquiualens, sicut Num saluus es? Percussit eum in latere. Alij, *In quinta costa*. Vide superius dicta. Non secundum vulnus apposuit, quod idem est ac quod Pag. habet Non iterauit. Ecce qui voluit esse pro Ioab, comes Dauid. Alij, aliter ex Hebr. *Quis est qui amat Ioab, & quis est qui velit esse pro Dauide?* Id est, qui amat Ioab, & fouet partes Dauid, sequatur Ioab, & cum pro Imperatore exercitus habeat mortuo iam Amasa, qui substitutus à Dauide fuerat pro Ioab: sed en qualis iacet qui exauthorato Ioabo princeps militiae voluit esse.

ANNOTATIONES.

MENOC. **T**enuit manu dextera mentum Amasæ. Hic enim erat B mos osculantium. Sic Thetis apud Homerum Iliad. i. Ioui supplicatura illius genua, & barbam apprehendit. *Antiquis Græcis*, inquit Plin. lib. ii. cap. 45. *in supplicando mentum attingere mos erat*.

TIRINVS. *Mannu dextera tenuit Ioab mentum Amasæ, quasi osculans eum.* Urbanitatis id olim erat & officij, non solum apud Hebræos, sed & apud Græcos, teste Plinio, & simili gestu Homerus Thetim supplicaturam Ioui, dicit, *dextera apprehendisse mentum eius*.

LYRAN. **P**orro. Id est, non se obseruauit à percussione gladij: & interfecit eum proditoriè sub signo pacis & amicitiae, dicit, *Salue, &c.* Erat enim eius cognatus germanus: quia erant de duabus fororibus, vt patet ex prædictis deci-

mo septimo cap. & ideo vocauit eum fratrem. Occidit autem eum ex inuidia, timens ne ei æquaretur: quia Dauid ei iurauerat: *Hoc faciat mihi Deus, & hoc addat, si non magister militia fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Vt dictum est cap. præce. propter quod aliqui de amicis Ioab videntes eum mortuum, dixerunt insultando.

Ecce qui. Quasi dicat propter suam ambitionem reportauit mortem. Cætera patent vsque ibi. LYRAN. v. II.

Ecce qui voluit esse pro Ioab comes Dauid. In Hebr. est, *qualis est qui voluit esse pro Ioab, & qualis est qui voluit esse Dauidi post Ioab.* Id est, Ioabi successor in militum præfectura. MENOC.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 14. & 15.

Vulg. Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abela, & Bethmaaca, omnesque viri electi congregati fuerant ad eum.

Pag. Et omnia loca Berim.

Malu. Transiit in omnia baculis Abelah, &c. Et omnes Berim.

Sept. Rsm.

Sept. Rom. Transiit, &c. Et omnes in Chairi.
Reg. Et omnes ciuitates trangressæ sunt.
Syr. Et transeuntes per omnes tribus Israëlis, &c. insecuti sunt eum.
Arab. Quæsierunt illum in omnibus ciuitatibus.
Vulg. Venerunt itaque, & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus ciuitatem, & obsessa est vrbs, omnis autem turba, quæ erat cum Ioab, moliebatur destruere muros.
Pag. Effuderunt aggerem, & steterunt viri ciuitatis, in an-temurali, & omnis populus, &c. Dissipabant vt ruere facerent murum.
Arias. Et angustiauerunt super eum, &c. Et stetit in an-temurali, &c. Corruptentes ad cadere faciendum murum.
Caier. Et euerterunt aggerem ciuitati.

Vatab. teste aliqui reddunt, Stetit vrbs capienda in an-temurali.
Malu. Et stetit in strenuitate.
Aliqui. Quæ in solo muro stabat.
Tigur. Stetit mulier in propugnaculo.
Alij. Et effuderunt missilia catapularia in ciuitatem quæ resistebat ad anteriorem murum.
Sept. Rom. Obsederunt super eum in Abel & in Pherma-cha, &c. Cogitauerunt deiicere, &c.
Reg. Iecerunt vallum contra ciuitatem.
Cald. Coarctauerunt illum aceruarium aggerem, &c. Et obsederunt eam castra.
Syr. Positisque aduersus ciuitatem insidiis, mansit obsessa.
Arab. Et non destiterunt ab explorando, & inquirendo eum, &c. Ita vt ciues eius in summam redacti essent miseriam.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Porro ille transferat. *Syr. & Arab. Transseuntes.* *Vulg.* refert illud *transferat* ad Seba, sed *Syr. & Arab.* ad Israëli-
tas, & vtrumque verum, nam Israëlitæ sequebantur eum, per loca per quæ transibat, & ipsi vt eum
inuenirent. *Oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha.* *Alij, Obsederunt in Abelah Bethmelhachah:* ita-
que in *Hebr.* non est & coniunctiua, vnde plures volunt hanc conjunctionem significare, id est, nam *Abela* alio nomi-
ne vocabatur *Beth*, id est *domus Maacha*, nec enim *Seba* erat in duabus vrbibus, sed in vna, quam obsedit *Ioab*. Ita
enim *Adrichomius, Abela, qua & Abel Bethmaacha*, siue *Abel domus Maacha*: sed qui volunt esse duo loca, sic expli-
cant. *In Abel qua erat iuxta Beth Mahachah. Et omnes viri electi.* *Alij, Omnes Berim,* vnde noster pro appellatiuo acci-
pit illud *Berim*, nempe electi à *ברב barab*, *Alij* nomen proprium esse volunt. *Circumdederunt munitionibus ciuitatem.*
Alij, Euerterunt aggerem ad urbem, Quia effossa terra effunditur & congeritur in aggerem. *Alij, Euerterunt aggerem ci-*
uitati, Quasi ciuitas aggerem aliquem ante murum, pro munimento & propugnaculo habuerit, quem milites *Ioab* pri-
mum euerterint. *Alij, Effuderunt missilia catapularia,* aiunt enim *סוללה solelab* esse instrumentum, seu machinam bel-
licam, qua lapides proiciuntur in murum, & intra urbem. *Moliebantur destruere muros:* *Alij, Corruptentes ad cadere*
facere murum: Corruptentes, nempe vectibus euellebant lapides è muro, vt eum subuerterent.

ANNOTATIONES.

Porro. Scilicet, *Seba* filius *Bochri*.
Per omnes. Solicitando eas vt constituerent eum
regem.
Vsq̄ue in Abesam. Nomen est ciuitatis fortis & mura-
ta.
Et in Bethmaacha. Nomen est territorij in quo ciuitas il-
la est sita.
Omnesque viri electi, &c. Istud exponitur dupliciter,
vno modo, quod fuissent congregati ad *Sebam* filium
Bochri. Alio modo, quod essent congregati ad *Ioab*, ve-
runtamen qualitercumque accipiatur: ly *omnes*, accipitur
pro multis, quia multi congregati sunt & ad istum & ad
alium. Veruntamen videtur quod fortior pars congrega-
ta fuerit ad *Ioab*, quia *Seba* obsessus non audebat exi-
re.

A *Transferat per omnes tribus.* Peruenerat enim ad tri-
bun *Nephtalim*, quæ vltima est Septemtrionem ver-
sus, à tribu enim *Iuda* digressus, alias tribus perambula-
uerat. M E N O C.

In Abela, & Bethmaacha. In *Hebræo* additur *Sebam*
transisse per omnia loca *Berim*, quo nomine prouinciam
aliqui intelligunt, in qua esset *Abela*, & *Bethmaacha*, quæ
pertinet ad *Galilæam* superiorem, quæ ab *Isaia* c. 9. i. di-
citur, *Galilea gentium.*

Venerunt itaque. Hic consequenter describitur ipsius
Seba occisio, quia ciuitas obsessa erat in periculo de-
structionis, quod notatur cum dicitur: *Omnis autem,*
& ideo excogitata fuit via saluationis ciuitatis per mo-
dum qui sequitur. L Y R A N.
V. 15.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 16. ad 18.

V*Vulg.* Et exclamauit mulier sapiens de ciuitate, audi-
te, dicite *Ioab*, appropinqua huc, & loquar tecum.
Malu. Et vocauit vira, &c. Dicite obsecro, &c. Et loqua-
ta fui ad te.
Vulg. Qui cum accessisset ad eam, ait illi, tu es *Ioab*? &
ille respondit, Ego, ad quem sic loquuta est, Audi ser-
mones ancillæ tuæ, qui respondit: Audio.
Vulg. Rursumque illa; Sermo, inquit, dicebatur in veteri
proverbio, qui interrogant, interrogent in *Abela*, & sic
perficiebant.
Pag. Loquendo loquebantur olim dicendo, interrogent
interrogando in *Abel*, & sic perfecta sunt.
Malu. Postulare postulabunt, &c. & sic consummaue-
runt.
Vatab. Loquentur in principio, &c. sic finissent.
Vatab. eodem teste, Loquendo loquuti sunt ab antiquo

dicentes, Interrogent pro pace.
Sept. Rom. Et dixit dicens verbum, loquuti sunt in pri-
mis dicentes, Interrogando interrogatus est in *Abel*,
& in *Dan*, si defecerunt quæ posuerunt fideles *Israël*,
interrogantes interrogabunt in *Abel*, & ita, fidefece-
runt.
Cald. Memento nunc quod scriptum est in libro legis vt
interrogaret in vrbe antiquitus dicendo, itane sic fuit vt
quereres in *Abel*? Num pacificè?
Syr. Dicto ferebatur antiquitus, quod sedulo consulebant
Prophetas, ac tum vastabant.
Arab. Antiquitus aiebant quod qui gentem perdere vo-
lebant aliquam, sciscitabantur à Prophetis, an id mere-
rentur, ac tum executioni mandabant.
Bibl. Reg. Lat. Et sic proficiebant.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Qui interrogant in Abela, & sic perficiebant. Sept. Et sic deficiebant, Quod contrarium videtur esse Vulg. habent enim *וְיָרְאֵם לְעַשְׂמִי*, sed an deest negatio *לְ*, vel an potior lectio *וְיָרְאֵם* si sic, quasi dicat, nequaquam quoad, alia fatentur romanæ notæ ex pluribus versionibus esse coagmentata: Hebr. autem nostro interpreti sunt conformia, Loquendo loquentur, & sic consummauerunt, &c. Quorum est sensus, si quis magni momenti vel arduum negotium cogitet aggredi, ab Abelianis sapientibus, (Abela enim erat Academia celebris) consilium petat, & fœliciter succedet, proficiet, vel perficiet, consummabit quod intendit. Cald. sicut Syr. & Arab. alium sensum habere videntur, existimant enim, Cald. præcipuè, allusum fuisse ad illud Deuter. cap. 20. vbi præceptum est à Domino, vt quando ingressuri terram Chanaan, essent & gentes deleturi, primum pacem offerrent, & si pax ab ipsis reciperetur, pacem recipientes, tributarij eorum efficerentur, sin secus, delerentur: hæc ergo mulier monet Ioab, vt in Abela obfidione seruet hanc legem (vel saltem consulat prophetas) quam in alijs Alienigenarum ciuitatibus seruare iubentur qui exercitibus præsumunt, sed quæ sequuntur, non videntur posse cum communi illa lege componi.

ANNOTATIONES.

LYRAN. V. 16.

ETexcla. Dicunt Hebr. quòd ista mulier fuit Sara filia Afer, quæ descendit cum Iacob in Ægyptum, vt habetur Genes. 46. & quòd habuit spiritum prophetiæ per quem reuelauit Iacob, cùm lugeret filium suum Ioseph, aestimans eum mortuum, quòd ipse videbat, licet non crediderit, donec vidit plaustra, & munera sibi missa à Ioseph, de quibus habetur Genes. 45. Dicunt etiam, quòd ipsa ostendit Mofi sepulchrum Ioseph, quando filij Israel egressi fuerunt de Ægypto, & secundum hoc exponunt quòd sequitur postea: Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel? Scilicet reuelando Iacob & Mofi quæ dicta sunt. Sed istud videtur omnino fictitium, quia secundum prædicta, mulier ante descensum Iacob in Ægyptum habebat spiritum prophetiæ, & per consequens ad minus habebat 20. annos vel circiter. Item à descensu Iacob in Ægyptum vsque ad exitum filiorum Israel de Ægypto fluxerunt anni 220. sicut patet ex his quæ dicta fuerunt Exod. 12. Item ab exitu de Ægypto vsque ad foundationem templi quarto anno regni Salomonis fluxerunt anni 480. vt habetur 4. Reg. 7. qui simul iuncti faciunt annos 710. Seditio verò excitata per Seba filium Bochri fuit circa finem vitæ Dauid, quia iam erat senex. Cùm igitur Salomon fuerit coronatus ipso adhuc viuente, vt habetur infra 3. lib. cap. 1. & templum fundauerit quarto anno regni sui: vt habetur infra 3. lib. 6. cap. oportet dicere: quòd ista mulier tunc haberet septingentos annos vel circiter, quòd est inconueniens pro illo tempore in quo vita humana protendebatur vsque ad centesimum annum ad plus communiter, & ideo dicendum, quòd fuit alia mulier, & dicitur sapiens non propter spiritum prophetiæ, sed propter industriam naturalem, & eloquentiam, sicut dictum est supra 24. cap. de muliere Thecuite.

Dicite. Quia volebat loqui cum eo secretè, quantum poterat fieri.

A Sermo, &c. Vetus prouerbium supra accipitur pro lege, sicut dictum fuit supra lib. 1. 24. cap. in qua præcipitur filiis Israel, vt venientes ad expugnandum ciuitatem primò offerrent pacem, vt habetur Deuter 20. Et hoc est quòd dicitur hic.

Qui interrogant. Id est, filij Israel qui expugnando ciuitatem debent primò interrogare de pace, sic debent facere in hac ciuitate.

Et sic. Quia implerent legis mandatum, & haberent intentum.

Sermo dicebatur in veteri prouerbio: Qui interrogant, interrogent in Abela, & sic proficiebant. Hebr. ad verbum sic, Loquendo loqui solent initio, dicendo: interrogando, interrogassent in Abela, & sic finissent. Et multa sunt subaudienda, vt clara reddatur sententia. Nempe sensus est. Qui veniunt oppugnatum vrbem aliquam, solent loqui initio, antequam eam oppugnent, interrogando, num velint recipere leges pacis præscriptas Deuter. 20. &

B ita sese dedere? Quod si sic interrogassent, ô Ioab, duces exercitus tui in Abela, quam tu nunc oppugnas (sic finissent) id est, statim, vel iamdudum finiuissent bellum, & recepissimus leges pacis à te proponendas. Et hic sensus conformis est sequentibus. Mox enim, lege pacis proposita, & impleta de tradendo capite Sebae, qui erat author secessionis seu rebellionis, finita est oppugnatio, solutaque obsidio.

Qui interrogant, interrogent in Abela. Commendat mulier patriam suam ab antiquitate, & opinione, quòd ciues haberet sapientes ad quos nimirum se conferrent qui difficilem haberent quæstionem, vt sapientem aliquem ex Abela interrogarent.

Et sic perficiebant. Capto consilio illud sequebantur, & negotia sua feliciter conficiebant.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 22.

Vulg. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel, & tu quæris subuertere ciuitatem, & euertere matrem in Israel? Quare præcipitas hæreditatem Domini?
 Lyran. Ego pacificarum veracium in Israel.
 Arias. Fidelium, &c. Quare tu degluties?
 Caiet. Destrues?
 Pag. Ego Abela sum inter pacificas, & fideles inter Israel, tu quæris interficere, &c. Et metropolim quare tu dissecas?
 Malu. Ego pacificorum fidelium Israelis, tu quærens ad mori facere vrbem, ad quid absorbebis?
 Sept. Rom. Ego sum pacifica de firmamentis Israel, tu autem quæris interficere, &c. Vt quid demergis?
 Reg. Quid absorbes?
 Cald. Nos pacifici sumus in fidelitate, &c. Tu quæris dissipare vrbem quæ est munitio magna, &c. Vt quid corrumpes?
 Syr. Mihine soluendæ sunt pænæ pro Israel, vt velis interfi-

cere puerum cum matre sua?
 Vulg. Respondensque Ioab, ait: Absit, absit hoc à me; non præcipito, neque demolior.
 Pag. Vt subuertam, & disperdam.
 Malu. Profanatio, profanatio mihi, si absorbebo, & si funditus perdam.
 Arias. Si deglutiam & corrumpam.
 Caiet. Si destruem & faciam destrueri.
 Sept. Rom. Propitius, propitius mihi, si demergam.
 Reg. Non mihi fiat vt absorbeam, & si demoliens sum.
 Syr. Nec obruam, nec vastabo.
 Vulg. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, leauit manum suam contra regem Dauid: tradite illum solum, & recedemus à ciuitate. Et ait mulier ad Ioab: Ecce caput eius mittetur ad te per murum.
 Malu. Date eum ad solum eum, & ambulauit desuper vrbem, & dixit vira ad Ioabum, Ecce caput eius deiectum ad te.

Arab. Rebellaui aduersus regem, & extendit manum suam ad negotium regium cui est impar.
Vulg. Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter, qui abscissum caput Seba filij Bochi, proiecerunt ad Ioab, & ille cecinit tuba, & recesserunt vnusquisque in tabernacula sua, Ioab autem reuersus est

Ierusalem ad regem.
Pag. Venit ad populum sapientia sua.
Malu. Et infixit in tuba, & dispersi fuerunt desuper vrbem in tentoriis suis.
Sept. Clanxit in cornea, dispersi sunt ab eo vir.
Syr. Et adiens eum prudentia sua.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israël? Alij, Ego pacificarum veracium in ciuitate, & subintelligitur denumero ciuitatum. Quasi dicat, Ista ciuitas semper fuit pacifica, & fidelis regi, propter quod non est destruenda, sed conseruanda, sed lectio Interpret. consonat sensui præcedentis versus, in quo dicebatur, *Qui interrogant, interrogent in Abela.* Sept. Ego sum pacifica de firmamentis Israel, quorum sensus est, Abalam componere consueuisse controuersias sua prudentia, atque integro, fidelique iudicio, & animos conciliare dissidentes. Tu queris euertere matrem in Israel. Alij, Metropolitim, scilicet præcipuam. Cald. *Quæ est ipsa munitio magna?* Scilicet munitissima ciuitas?

ANNOTATIONES.

Nonne, &c. In Israel. Loquitur in persona ciuitatis, quasi dicat: Ista ciuitas semper tenuit veritatem & fidem regi; vnde in Hebræo habetur sic, *Ego pacificarum veracium Israel.* Id est, vna de numero pacificarum ciuitatum, & veracium regi.

Et tu quæ. Quasi dicat, malum facis.
Et euertere. Quia qualibet ciuitas est mater populi ibidem nati & nutriti. In aliquibus libris interponitur, ciuitatum, sed non est de textu, quia non est in Hebr. nec in libris correctis.

Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel? Hæc dicuntur in persona ciuitatis.

Euertere matrem. Metropolitim, & primariam ciuitatem.
Hæreditatem Domini. Ciuitatem hanc, quæ pertinet ad regnum Israel, quod est hæreditas Domini.

Nonne ego, vrbs Abela, *sum quæ respondeo veritatem in Israel?* id est, sum academia celeberrima, & quasi commune totius Israelis oraculum: abundans viris sapientissimis, qui dubia nodosque omnes seu de religione, seu de politica dissoluere solent. Vnde sermone prouerbiali, si quando occurrit quæstio difficilior, dici solet, *Adi Oedipum: Interroga Oedipum. Et sic perficiebant,* id est, edocui ab Abelanis quid facti opus esset, securi aggrediebantur quidquid suatum fuerat, & felici successu perficiebant quod volebant.

Et tu queris subuertere, armis hanc ciuitatem, tam bene de publico meritam, tam vtilem, tam necessariam: quasi dicat. Egregie scilicet de publico mereri studes, dum ciuitatem excindis, quæ vtilior magisque necessaria est toti populo, quam mater filiis suis: qua excisa, populum vni-

uersum eodem icu excindes. Hoc enim est quod addit, *Præcipuas hæreditatem Domini.*

Abst. Hoc verbum duplicauit Ioab ad maiorem assertionem, vel, vt dicit Ra. Sa. semel pro rege, & semel pro se, quasi dicat: Nec rex querit hoc, nec ego: ideo subditur:

Sed. Qui commouit seditionem contra regem, illum solum quærimus.

De monte Ephraim. Erat Seba de tribu Benjamin, vt patet ex hoc cap. num. 1. sed dicitur de monte Ephraim, quia fortasse in eo habitauit.

Seba de monte Ephraim. Beniaminita erat Seba, vt patet v. 1. sed ex monte sito in finibus Benjamin, qui quod ex forte Ephraim radices traheret, respiceretque tribum Ephraim, vocatus fuit *mons Ephraim.* Sicut apud nos porta fluminis B vocari solet quæ ducit ad flumen & respicit flumen, ita Sanctius.

Ingressa. Id est ad maiores ciuitatis, in quibus populus virtualiter continetur. Sic enim volebat loqui, vt lateret ipsum Seba.

Et locuta. Quid autem dixerit non exprimitur. Sed dicunt aliqui, & probabiliter, quod ipsa respondit eis bona ipsius Dauid, & mala ipsius Seba, & quod tota ciuitas erat propinqua exterminio propter eum. Ex his concludens, quod melius erat ipsum solum occidi, quam, & omnes alios propter ipsum, & sic factum est.

Locuta est eis sapienter. Suadens scilicet vt caput Seba Ioabo mitterent.

Reuersus est Ierusalem ad regem. Quem, mœrore animi ex Amasæ cæde dissimulantem narratione ciuili belli feliciter oppressi, recreauit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 23. ad 26.

V*ulg.* Fuit ergo Ioab super omnem exercitum Israel: Banaias autem filius Ioiadæ, super Cerethæos, & Phelethæos.

Malu. Ioab ad omnem militiam.
Sept. Ad omnem virtutem.
Cald. Præfectus super mulctatores, & fundibularios.
Syr. Præerat nobilibus & militibus.
Arab. Ioab, &c. Lanceam regis ipse portabat.
Vulg. Aduram vero super tributa, porro Iosaphat filius Ahilud à commentariis.
Arias. Iosaphat commemorans.
Malu. Adoram super contributiones, & Iosaphat recordari facis.

Sept. Rom. Commonefaciens.
Cald. Super allatores tributorum, & Iosaphat præfectus super monumenta.
Arab. Achilud erat à commentariis eius, à consiliis eius.
Vulg. Sina autem scriba, Sadoc verò & Abiathar sacerdotes.
Malu. Et Seia numerans.
Arab. Scriba Regis.
Vulg. Ira autem Iairites, erat Sacerdos Dauid.
Pag. Princeps ipsi Dauid.
Sept. Rom. Et etiam Iras qui Iarim.
Cald. Qui erat ex Theragh fuit princeps.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Super Cerethæos, & Phelethæos. Alij, *Superiaculatores, & fundibularios.* Vide Concord. v. 18. cap. 8. *A commentariis.* Alij, *Commemorans, commonefaciens, &c.* Vide Concord. v. 16. c. 8. *Sina autem scriba:* Alij, *Numerans,* Vide Concord. v. 16. c. 17. eiusdem cap. *Sacerdos Dauid.* Alij, *Princeps.* Qui volunt eum proprie sacerdotem fuisse, dicunt sacerdotem Dauidis nuncupatum, quia per eum Dauid sacrificia sua offerebat. Qui autem volunt non sacerdotem proprie dictum, explicant cur dictus sit princeps Dauid, id est, familiaris, & præcipuus minister Dauid.
 Tom. IV. Y y ij

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **F**uit ergo. Hic consequenter post reductionem Dauid A in regnum, & sedationem commotionis excitatæ per Seba, conuenienter repetitur ordinatio domus Dauid, & patet sententia ex dictis supra 8. c. in fine, his exceptis.
- MENOC. **Fuit Ioab super omnem exercitum.** Quia alius sine magnis motibus substitui non poterat.
- LYRAN. **Aduram.** Quæ reddebantur ipsi Dauid à nationibus sibi seruentibus sub tributo, prout dictum fuit supra 8. cap.
- MENOC. **Super tributa.** Quæstor regni.
- MENOC. **A commentariis.** Explicatum est hoc supra capite octauo num. 16.
- MENOC. **Scriba.** Vide eodem cap. 8. num. 17.
- Sadoc, & Abiathar sacerdotes.** Etiam hoc ibidem explicatum est, numero scilicet 17.
- Ira autem.** Dicitur Iairites, à ciuitate de qua erat.
- Sacerdos.** Id est, magnus apud eum, sicut dictum est supra 8. c. quod filij Dauid Sacerdotes erant. Dicit autem Ra. Sa. Quod Dauid fecerat istum Principem & Iudicem, id est, magnum inter Principes & iudices.
- Sacerdos Dauid.** Vide ibidem dicta num. 18.
- Ira erat sacerdos Dauid.** Caldaicè, *erat princeps*, & inter primos maximè familiaris regi Dauidi. Quo eodem sensu dixi cap. 8. versu ultimo, *filios Dauidis fuisse ipsi Sacerdotes.*

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS.

OB Saulis in Gabaonitas iniustam olim sententiam, Deus triennali fame punit Israel. Cui diuertenda deposcuntur, tradunturque noxa septem nepotes Saulis, qui crucibus omnes affixi sunt: sed ossa eorum, vnâ cum ossibus Saulis & Ionathæ iubet Dauid honorificè sepeliri. Recensentur quaterna Dauidis praelia contra Philisteos.

I.



Acta est quoque famens in diebus Dauid tribus annis iugiter: & consuluit Dauid oraculum Domini: Dixitque Dominus: Propter Saül, & domum eius sanguinū, qui occidit Gabaonitas, vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos. (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Israël, sed reliquiæ Amorrhæorum: filij quippe Israël iurauerāt eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel & Iuda.) 3. Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum, vt benedicatis hereditati Domini? 4. Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non est nobis

super argēto & auro quæstio, sed contra Saul, & contra domum eius: neque volumus vt interficiatur homo de Israël. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis vt faciam vobis? 5. Qui dixerunt regi: Virum qui attriuit nos & oppressit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israël. 6. Dentur nobis septem viri de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino in Gaba Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo. 7. Pepercitque rex Miphiboseth filio Ionathæ filij Saul, propter iurandum Domini, quod fuerat inter Dauid, & inter Ionatham filium Saul. 8. Tullit itaque rex duos filios Respha filix Aia, quos peperit Sauli, Armoni, & Miphiboseth: & quinque filios Michol filix Saül, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, 9. & dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi septem, simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. 10. Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: & non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. 11. Et nuntiata sunt Dauid quæ fecerat Respha, filia Aia, concubina Saul. 12. Et abiit Dauid, & tulit ossa Saul, & Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad: qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philistiim cum interfecissent Saul in Gelboë, 13. & asportauit inde ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius: & colligentes ossa eorum qui affixi fuerant, 14. sepelierunt ea cum ossibus Saul & Ionathæ filij eius in terra Benjamin in latere, in sepulchro Cis patris eius, feceruntque omnia, quæ præceperat rex, & propitiatus est Deus terræ post hæc. 15. Factum est autem rursus prælium Philistinorum aduersum Israël, & descendit Dauid, & serui eius cum eo, & pugnabant contra Philistiim. Deficiente autem Dauid, 16. Iesibibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum hastæ trecentas vncias appendebat, & accinctus erat ense nouo, nisus est percutere Dauid. 17. Præsidioque ei fuit Abisai filius Saruix, & percussum Philisthæum interfecit. Tunc iurauerunt filij Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël. 18. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philistæos: tunc percussit Sobochai de Hufati, Saph de stirpe Arapha, de genere Gigantum. 19. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum, cuius hastile hastæ erat quasi licatorium textentium. 20. Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor, & erat de origine Arapha. 21. Et blasphemaui Israël: percussit autem eum Jonathan filius Samaa fratris Dauid. 22. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid, & seruorum eius.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. i. ad 4.*

Vulg. Facta est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter : & consuluit Dauid oraculum Domini : Dixitque Dominus : Propter Saül, & domum eius sanguinum, qui occidit Gabaonitas.

Pag. Tribus annis anno post annum, requisivit faciem Domini.

Sept. Rom. Et annus contiguus anno, & quaesivit Dauid faciem Domini, &c. iniustitia in morte sanguinum eius.

Reg. Iniquitas.

Cald. Exoravit misericordias ab ante Dominum, &c. propter domum reorum mortis.

Arab. Hanc famem in terram intuli propter Saülem, & familiam eius qui sanguines effuderunt.

Vulg. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos. (Porro Gabaonita non erant de filiis Israël, sed reliquia Amorrhæorum: filij quippe Israël iurauerant eis, & voluit Saül percutere eos zelo, quasi pro filiis Israël & Iuda.)

Pag. Quaesivit percutere eos, quando zelatus est.

Cald. Dum illos zelaret.

Arab. Quando voluit Iudæos, & Israëlitas noxios reddere apud Dominum.

Vulg. Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas : Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum, vt benedicatis hereditati Domini?

Pag. Et quo expiabo peccatum?

Sept. Rom. Et in quo depropitiabor?

Arab. Quomodo compellam vos ad depellendum hereditatem Domini?

Vulg. Dixeruntque ei Gabaonitæ. Non est nobis super argento, & auro quaestio, sed contra Saül, & contra domum eius: neque volumus vt interficiatur homo de Israël. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis vt faciam vobis?

Arias. Non nobis argentum, & aurum cum Saül, &c. non nobis virum interficere cum Saül.

Sept. Rom. Non est nobis vir interficiendus.

Cald. Non vos benedicimus accipiendo argentum.

Arab. Non debet nobis, &c. argentum, aut aurum mutuum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tribus annis iugiter, Alij, Anno post annum. *Sept. Et annus contiguus anno.* Id est, tribus annis continuis. *Consuluit Dauid oraculum,* Alij, *Quaeruit faciem Domini.* Id est, consuluit Deum. *Propter Saül, & domum eius sanguinum,* *Cald. Reorum mortis,* id est propter familiam eius ream mortis, vel vt alij, sanguinariam. *Quod erit vestri piaculum?* Alij, *In quo expiabo?* Nempe peccatum, id est, quare placabo vos? *Zelo,* quasi pro filiis Israël & Iuda, Alij, *Quando zelatus est,* non secundum scientiam. Volebat enim ipsorum hereditatem adiicere tribui Iuda, & aliis. *Non est nobis super auro, & argento quaestio;* Arab. sic explicat, *Non debet nobis Saül, & familia eius aurum vel argentum mutuum.*

ANNOTATIONES.

Facta est. Post punitionem Dauid de peccato luxuriæ, hic consequenter ponitur puni- tio pro peccato negligentiae, & primò narratur factum, secundò explicatur quadruplex bellum, ibi: *Factum est autem.* Circa primum sciendum, quod Iosue, & principes Israël iurauerant Gabaonitis, quod non interficerentur, prout habetur Iosue 9. c. Saül autem cum regnaret, multos eorum interfecit contra prædictum iuramentum, quod obligabat nõ solùm Iosue, & principes Israël illius temporis, sed etiam posteros eorum: factum autem istud erat notorium, & ideo debuit puniri per Dauid qui successit Saüli: & quia circa hoc fuit negligens, secuta est ultio diuina cogens ad vindicandum istud factum. Sic igitur proceditur, quia primò ponitur afflictio populi: secundò vindicatio delicti, ibi: *Vocatis ergo.* Primum ponitur, cum dicitur, *Facta est.* Scilicet in terra Israël.

In diebus. Eò quòd negligens fuerat de iustitia faciendâ modo prædicto.

Tribus. Id est, continuè se habentibus.

Et consuluit. Ra. Sa. dicit quod primo anno non consuluit, eò quòd credidit, quod sterilitas terræ contigisset ex cursu naturali temporis. Secundò anno credidit, quod contigisset propter idolum Michæ, quod adhuc erat in tribu Dan, vt dicit Ra. Sa. propter quòd illud idolum destruxit, sed quia sterilitas terræ per hoc non cessauit, tunc consuluit Dominum de causa sterilitatis. Secundò ponitur reuelatio peccati propter quod dicta sterilitas acciderat, cum dicitur.

Dixitque Dominus. Domus Saül vocatur, domus sanguinum, id est, digna sanguinis sui effusione.

Facta est. Hi erant Gabaonitæ quibus Iosue, & principes Israël, Iosue nono, iurauerant se eos non interfecuros. Patet itaque ex hoc loco iuramentum illud eos obligasse, non obstante fraude Gabaonitarum, qui cum habitarent in terra Chanaan, mentiti fuerant se de longinqua regione venisse. Nec illos tantum obligauit, qui tunc iurauerant, sed etiam successores eorum: videlicet cum Saül zelo non bono commotus eos occidisset, tanquam satisfacere volens mandato Dei in lege Moysi, qui omnes habitatores Chanaan deleri iussit, Deus indiscretum hunc zelum, &

Tom. IV.

A temeritatem Saül vindicat in vniuersum populum fame trienni.

Oraculum Domini. Per Abiathar sacerdotem, Ephod applicantem.

Sanguinum. Id est, homicidam.

Occidit Gabaonitas. Contra datam à Iosue fidem. Vide numero sequenti.

Domum eius sanguinum. Id est, sanguinariam, quia sanguinem iniuste effudit Gabaonitarum.

Vocatis. Hic consequenter ponitur vindicatio delicti: Circa quòd primò describitur pœna taxatio, secundò executio, ibi: *Tulit itaque rex.* Tertiò mortuorum tumulatio, ibi: *Et nuntiata sunt.* Circa primum dicitur.

Porro Gabaonitæ. Hoc introducitur duplici causa. Vna est vt sciretur propter quam causam referuati fuerant à filiis Israël cæteris interfecis, quæ notatur, cum dicitur.

Filij quippe. Scilicet quòd non interficerentur: vnde aliqui libri sic habent *Ne perimerent eos.* Sed non est in Heb. nec in libris correctis, subintelligitur tamen: propter quod aliquis posuit per modum glossæ, & postea insertum est textui per imperitiam scriptorum. Iuramentum autem factum Gabaonitis, & modus obligationis, plenè habetur Iosue 9. c. Alia causa est, vt dicit Ra. Sa. quia si Gabaonitæ fuissent de filiis Israël, fuissent magis misericordes, & indulissent factum Saüli contra eos, sicut indulsent sacerdotibus, qui remanserant post mortem Achimelech, & aliorum qui fuerunt interfecis cum eo, vt habetur supra lib. 1. c. 22. & sic populus non fuisset fame punitus.

Et voluit. Dicunt aliqui, quod non interfecit Gabaonitas, sed quia interfecit sacerdotes, vt dictum est, & Gabaonitæ habebant ab eis victum, & vestitum, eò quod seruebant eis portando ligna, & aquas ad locum cultus diuini, prout determinatum fuerat per Iosue, & principes Israël, vt habetur Iosue 9. propter quod loquitur scriptura ac si Saül interfecisset Gabaonitas: quia ille quodammodo dicitur hominem interficere qui aufert sibi victum. Sed litera non concordat huic expositioni, quia dicitur. *Voluit eos percutere zelo,* &c. Saül autem non interfecit sacerdotes hoc zelo, sed quia dederant panes, & gladium ipsi Dauid: vt habetur supra lib. 1. c. 22. Et ideo dicunt alij, quod iste

Y y iij

LYRAN.
§. 1.

LYRAN.
§. 2.

ESTIYS.

zelus intelligitur, quia Saül cupiens possessiones Gabaonitarum, eo quod erant in tribu Benjamin, & occupabant unam civitatem notabilem, dicebat quod melius esset, & Deo acceptius, quod filij Israël ipsimet aquas, & ligna ministrarent in loco diuini cultus, & illi deleterentur, per hoc pallians cupiditatem suam. Sed hoc non verisimile, quia illa comportatio aquarum, & lignorum fuit Gabaonitis imposta tanquam seruitus, & mors ciuilis, prout dictum fuit Iosue c. 9. & ideo non erat pro filiis Israël, sed contra ipsos hanc seruitutem ad eos transferre. Propter quod dicunt alij, quod Saül motus cupiditate prædicta, dicebat quod Iosue, & principes tribuum malè fecerant dimittendo Gabaonitas, quia partem hereditatis Israël occupabant, & quoddam debebat hoc corrigere, cum esset tantæ potestatis, & maior in regimine populi quam Iosue, & principes tribuum qui non habuerunt regiam potestatem.

MENOC. Reliquie Amorrhæorum. Chananeorum, qui aliquando Amorrhæi dicuntur, sic Gen. 15. 16. dicitur, Nondum impleta sunt iniquitates Amorrhæorum, id est, Chananeorum, erant enim Amorrhæi inter Chananeos, potentissimi, ex quo factum ut illorum nomen toti Chananeorum regioni adhæserit.

Filij Israël, &c. Vide Iosue 9. 16.

Voluit Saül, &c. Quasi Gabaonitis parcendum non esset, nec permitti posset saluo officio, ut inter Israël agerent.

Quasi pro filiis Israël, &c. Quasi suppletur ipse id quod Israëlita, & tribus Iuda facere debuissent, ut scilicet exterminarentur Gabaonita.

TIRINVS Porro Gabaonite erant reliquia Amorrhæorum. Erant proprie ex Heuæorum genere, Iosue 11. v. 18. Sed Amorrhæi, utpote omnium habitatorum terræ promissionis po-

tentissimi, reliquis nationibus suum indiderant nomen. Hinc omnes Palæstinæ incolæ vocari solent Amorrhæi, Gen. 15. Nondum impleta sunt iniquitates Amorrhæorum, Amos. 2. Ego autem, &c.

Filij quippe.] Pacem & fœdus incolumitatis, ut narratur Iosue 9. v. 15.

Sed Saül zelo motus, quasi pro filiis Israël, & Iuda.] Id est, quasi suppleturus id quod illi omiserant. Putabat enim Saül (inquit Abulensis) quod Iosue, & principes populi non potuerint dimittere viuentes Gabaonitas, in coque peccasse, tam ipsos, quam sequaces ipsorum omnes, qui Gabaonitis pepercerunt (ut ipse Saül peccauit parcendo Amalecitis quibusdam.) Ideo ut ipse vindicaret, &c. Nihil pensi habens iuramentum quo cauerant deditiis, occidit quot potuit Gabaonitas, zelo non minus iniusto, quam indiscreto.

Quoderit, &c. Id est, emenda vobis sufficiens.

Ut benedicatis. Id est, ut Deus placatus emenda vobis sufficienti, benedicat terræ Israël, dando pluuiam ad terræ fecunditatem.

Quod erit vestri piaculum. Quomodo vobis vultis satisfieri, licet expiari Saülis peccatum in vos commissum?

Ut benedicatis, &c. Quasi dicat, ne efficiatis ut diuina maledictio exitio nobis sit.

Non est nobis, &c. Erant enim pauperes, & ideo verisimile est quod Dauid eis obtulerit primo emendam pecuniariam, sed ipsi renuerunt, dicentes.

Super argento & auro. Quasi dicant, nolumus nobis compenari iniuriam, aut damnum argento, vel auro.

Nolumus, &c. Id est, nullos alios ex Israëlitis ad necem querimus, nisi domum Saülis.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 5. 6. & 7.

Vulg. Qui dixerunt regi: Virum qui attriuit nos, & oppressit iniquè, ita delere debemus, ut ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israël.

Pag. Virum qui contempsit nos, & qui imputauit nos, disperdemus.

Arias. Et qui cogitauit in nos, ut disperderemur à stando in omni termino.

Caiet. Vir qui destruxit nos, & qui cogitauit, &c. quando fuimus destructi.

Vatab. Et deleti sumus ut non subsistamus.

Malu. Vir qui consummauit nos, & qui silere fecit nobis, aboliti fuimus de stare facere nos ipsos in omni termino.

Sep. Rom. Qui persequutus est nobis, qui malè cogitauit exterminare nos, delectamur cum ut ne stet.

Reg. Vir qui finiuit nos.

Cald. Excisi sumus ut non habitemus.

Arab. Qui exterminare nos tentauit, ne consisteremus in terminis filiorum Israël.

Vulg. Dentur nobis septem viri de filiis eius, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saül, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo.

Lyran. In Gabaa Saül, eligens Dominus.

Pag. Affigemus Domino.

Arias. Strangulabimus.

Caiet. Et facient affigere eos.

Malu. Luxabimus eos.

Sep. Rom. Det nobis septem viros, &c. & soli exponamus eos Domino, in Gabaa Saül electos Domini.

Reg. Electi.

Cald. Suspendemus illos ante Dominum.

Syr. Ut inuolemus eos.

Arab. Ut iugulemus eos in colle Saülis, &c. trademus.

Vulg. Pepercitque rex Miphiboseph filio Ionathæ, filij Saül, propter iurandum Domini, quod fuerat inter Dauid, & inter Ionatham filium Saül.

Arab. Inter ipsos, & nempe Dauid, &c.

Malu. Commiseratione motus fuit.

Sep. Rom. Quod inter eos, & inter Dauid, & inter Ionatham.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Oppressit nos iniquè, Alij, Qui cogitauit in nos. Qui silere fecit nobis. Vis verbi דימה dimah in Pihel exponitur variè, Cogitauit aduersum nos, silentium intulit nobis. Id est, qui effecit ut actum sit de nobis, ut non amplius inter homines memoretur. Ita delere debeamus, Alij, Quando fuimus destructi, deleti. Verbum שמה shamad, hic positum in Niphel, actiue, & intransitiue accepit Vulg. quod non est penitus insolens, & quam formulam sequutus est Pag. Imo & Sep. Alij autem passiuè, sed vtraque lectio sensum legitimum habere potest: nam si passiuè sumatur nihil aliud vult, quam quod adeo inhumaniter se gessit erga Gabaonitas, ut ferè omnes ab ipso deleti fuerint: si autem actiue, sensus erit, quod in punitionem tantæ inhumanitatis volunt Gabaonita delere omnes ex stirpe eius relictos. Ut crucifigamus eos, Alij, Suspendamus in modum crucis, Alij, Exponamus Domino, scilicet ad eum nobis placandum. Electi Domini, nempe Saül. Lyran. Eligens Dominus: Ita ut post Saül, sit punctum, & sequatur, eligens Dominus, id est, Deo placet quod sic fiat.

ANNOTATIONES.

LYRAN. v. 5.

Virum qui attriuit nos, &c. Ita quod primo petierunt occisionem omnium qui erant de domo Saülis, sed quia Dauid eis suggestit quod nimis petebant, fuerunt finaliter de septem viris.

Virum qui attriuit nos. Saulem scilicet.

Ut crucifigamus eos Domino, &c. Id est, declarationem

MENOC. LYRAN. v. 6.

iustitiæ diuinæ.

Et ait rex. Tum quia sciebat voluntatem Domini, quod factum Saülis puniretur, vt patet ex prædictis, tum quia magis erat condescendendum toti populo, qui affligebatur fame, quousque hoc factum vindicaretur.

ESTIVS.

Dentur nobis septem viri, &c. Quæritur, quomodo Dauid non peccarit hæc contra legem, quâ præcipitur filios non esse puniendos pro patribus, sed vnumquemque pro suo peccato interficiendum? Respondeo, Dauid consuluerat oraculum Domini, vt patet v. 1. ex quo intellexit hanc famem factam propter Saül, & vt ibi additur) *domum eius sanguinum.* Vnde verisimile omnino est, eodem oraculo simul responsum fuisse, vt petitione Gabao- nitarum, iniuria ipsis facta expiaretur. Atque ita Dauid tradens septem viros ex posteris Saül crucifigendos, non tam officium fecit Iudicis aut regis, qui in lege prohiben- tur contra filios sententiam ferre pro delicto patris, quam

A officium executoris sententiæ diuinæ, quam intellexerat ex oraculo. Diuino autem iudicio, cui omnes sunt obnoxij, & apud quem nemo innocens, rectè filij pro peccatis patrum luunt, vt variis locis scriptura testis est.

Dentur nobis, &c. Prius omnes extinguere volebant, postea septem tantum postulant. Fortasse Dauid dum hi miscebantur femones, significauerat se Miphiboserhum non daturum, itaque septem tantum petunt, vt Dauid, & si cui alij voluerit, parcere possit.

Crucifigamus eos Domino. Id est, ad placandum Dominum.

In Gabaa Saülis. Quod calamitatem auget miserorum, si in qua vrbe Saül regiam suam constituerat, in ea ipsi agantur in crucem.

Quondam electi. A Domino electi, vt rex esset.

Insurandum Domini. Per quem iurauerat Ionathæ. Vi-
de 1. Reg. 18. 3. & c. 20. 42. MENO 6.
v. 7.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 10.

Vulg. Tulit itaque rex duos filios Respha filia Aia, quos peperit Saüli, Armoni, & Miphiboseth: & quinque filios Michol filia Saül, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi.

Sept. Rom. Quos peperit ipsi Esdriel.

Reg. Qui geniti sunt Adriel.

Cald. Quos educauerat Machal filia Saül, quos pepererat Ghadrieli.

Arab. Accepit, &c. filia Auæ, & quinque filios Nadab, filia Saülis.

Aliqui volunt legendum. Et quinque filios Merob.

Vulg. Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi

septem, simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei.

Arias. Strangulauerunt eos in monte ad facies Domini.

Sep. Et soli exposuerunt in monte.

Vulg. Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substrauit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: & non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.

Malu. Et accepit saccum, & extendit, &c. de principio decurtationis, & non dedit volatile desiderare super eos.

Sep. Non dedit requiescere. Ita & Cald.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

ET quinque filios Michol quos genuerat, &c. *Sep. Reg. Qui geniti sunt. Cald. Quos educauerat, Alij, Et quinque filios Merob.* Scio aliquos velle esse mendum in Michol, & substituendum Merob, tum quia Michol non habuit filios, tum si eos suscepit, non ex Hadriele, cui non fuit nupta, sed soror eius maior natu. Dicendum tamen textum nequaquam esse corruptum, sed Michol legendum esse, & sensum esse, quos pepererat Merob, & Michol eos adoptatos tanquam proprios filios educauerat: quam lectionem confirmat Paraph. Cald. & licet Reg. hoc videantur confirmare, non enim habent quos genuerat, vt noster, sed qui geniti sunt, scilicet ab alia matre, verum in Codice Rom. scribitur *εὗς ἔπειτα τῷ Εἰδριελ*, quos peperit ipsi Esdriel.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 8.

Tulit itaque rex duos. Hic ponitur pœnæ taxatæ ex-
cutio, cum dicitur. *Tulit itaque rex duos filios Respha, &c.* Dicit Ra. Sa. quod isti duo specialiter nominantur, quia fuerunt in occisione sacerdotum cum Doeg.

Et quinque filios Michol, &c. Isti fuerunt filij Merob sororis Michol naturales. Sed Michol eos nutriuit, & adoptauit postea, eò quod non habebat filios naturales, ideo dicuntur eius filij, & secundum hoc dicitur eos genuisse Hadrieli, non quia fuerit eius vxor, sed Merob soror eius, vt habetur supra lib. 1. c. 18.

ESTIVS.

Et quinque filios Michol, &c. Difficilis hæc quæstio est, quomodo hæc vera sint, cum Michol, recedente Dauide, non nupserit Hadrieli, sed Phaltiel; vt patet 1. Reg. 25. & 2. Reg. 3. Hadrieli vero omnino nupsit soror Michol nomine Merob, vt 1. Reg. 18. narratur. Legendum ergo hic videtur (*filios Merob*) pro (*filios Michol*) maxime quod Michol nullos legatur habuisse liberos. Et omnino Caiet. hoc loco suspicatur lectionem Heb. esse corruptam, & pro (*Michol*) legendum esse (*Merob*). Sed potius dicendum, hos dici filios Michol, & quod eos genuerit Hadrieli, scilicet, quia post mortem sororis suæ Merob, eos adoptauit, & educauit, sic vt nihilominus vocarentur filij Hadrielis, atque ita quodammodo dicatur genuisse Hadrieli.

MENO 6.

Quinque filios Michol. Adoptiuos, nam genuerat eos Merob soror Micholis, qui Hadrieli nupserat, vt patet ex 1. Reg. 18. 19. Hic autem filij dicuntur Hadrielis. Ita ferè auctores explicant hunc locum. Ingerit tamen difficultatem quod filios illos genuisse dicitur Michol in nostro textu, mater vero adoptans non potest dici genuisse. Ema-
Tom. IV.

nuel Sa, cenfer Merob, etiam Michol appellatam fuisse; Alij quos refert Sallianus, nec omnino improbat, putant in textum Heb. mendum irrepisse, & pro *Merob*, scriptum fuisse *Michol*.

Quinque filios Michol, &c.] Caietanus, & Canus dicunt locum hunc esse corruptum (licet omnia exemplaria sic habeant) & pro *Merob* quæ hos genuerat, suppositam esse sterilem *Michol*. Alij dicunt, hos quinque filios *Merob*, iam defunctæ, adoptatos fuisse ab illius sorore *Michol*, ac proinde hæc vocari *filios Michol*, & *genitos à Michol*, quia non aliter ab illa tractabantur, quam si ex ipsa concepti, & geniti forent.

Petes, Quo iure potuit Dauid filios istos innoxios tradere Gabaonitis crucifigendos? Respondeo: Instinctu, imò monitu Dei (vt ex v. 1. colligitur) & tanquam executor iustitiæ diuinæ, qua puniuntur subinde peccata in tertiam, & quartam generationem. Non solet tamen id facere Deus, nisi etiam filij, maxime adulti, propriis peccatis eam pœnam promeriti fuerint: vti de his verisimillimum esse docent Caiet. Abulensis.

Qui crucifixerunt. Id est, in loco parenti.

Coram Domino. Id est, ad declarationem diuinæ iustitiæ.

In monte. Id est, in Gabaa, cuius situs excelsus erat, & montanus. MENO 6.
v. 9.

Coram Domino. Ad placandum Dominum, vel publicè.

Incipiente. Quæ fit in Iudæa circa æquinoctium vernum, & festum azymorum.

Tollens autem. Quia corpora illa dimissa fuerunt in par-
tribus, volens ea seruare intacta ab auibus, & feris, ideo
Y y iij

LYRAN.
v. 9.

MENO 6.

LYRAN.
v. 10.

parauit sibi locum iuxta ea. Nec tamen erat sola, quia non A posset sic custodire, quia aliquando oportebat eam dormire. Tamen sola nominatur, quia erat principalis in hoc facto. Sed videtur quod Dauid fecerit contra legem, Deut. 21. vbi præcipitur quod adiudicatus morti, & appensus in patibulo, deponatur eadem die, & sepeliatur. Dicendum, quod illud erat sciendum de communi lege, sed in hoc facto fuit principaliter reuelatum ipsi Nathan Prophetae, & per Nathan denuntiatum Dauid, quod voluntas Dei erat, quod remaneret in patibulis, donec ostenderetur signum propitiationis pluuia, per dationem pluuia, quia dicta sterilitas per succitatem contigerat. Et ideo subditur.

Donec stillaret. Madefaciens terram. Super eos, nominantur ipsi suspensi specialiter, quia descensus pluuia erat signum, quod tunc deberent dari sepulturae. Ra. Sa. assignat etiam aliam causam morae ipsorum in patibulo, quia erant iuxta viam communem in qua multi gentiles transibant, & cum peterent quales homines fuissent, respondebatur eis, de genere regio. Et cum quærerent ultra causam suspensionis, respondebatur eis, quod erat propter occisionem Gabaonitarum, qui de gentilitate conuersi fuerant ad Iudaismum: quia tempore Iosue fuit ista conuersio, vt dictum fuit Iosue c. 9. Et per hoc multi Gentiles monebantur ad hoc quod transirent ad fidem, & ritum Iudæorum.

ESTIVS. *Donec stillaret.* Id est, donec pluuia caderet de cælo, quod signum erat Deum esse placatum, & iam famem mitigandam. Significatur autem pluuiam cito diuinitus datam. Nam non poterant corpora crucifixorum relinqui suspensa.

MENOC. *Donec stillaret.* Quia Saülis peccatum prohibebat pluuiam, & sterilitatem faciebat, probabile est non multo post horum crucifixionem imbrem decidisse. Aliqui putant vsque ad incuntem Septembrem non pluuisse, raro enim illis in regionibus pluit æstate, appetente vero au-

tumno ea pluuia cadere solet, quam scriptura temporaneam appellat. Vide dicta Iosue c. 3. n. 15. quod si tamdiu non pluit, per aliquot menses Respha filiorum cadauera, singulari pietatis exemplo, custodiuit. Quamuis autem iuberet lex vt crucifixorum cadauera eodem die de crucibus deponerentur Deut. 21. 28. tamen rex de cruce pendere voluit vsque ad superuenientem pluuiam, quia illa erat signum diuinæ clementiæ exorata, ad quam propitiandam illi suspensi erant, & suo illam modo implorabant.

Respha concubina Saülis cilicium, seu rude stragulum, *si- bi in petra,* seu rupe vicina, *substravit,* vt ibi quiesceret subinde, dum auibus, & feris abigendis inuigilat: idque *donec stillaret aqua super eos de calo.*] Id est, donec Deus, expiato iam peccato Saülis morte tot filiorum eius, redderet terris pluuiam quam triennio iratus subtraxerat. Plus quam virili pectore erat hæc fœmina, quæ nil terri- ta sanie taboque cadauerum, & fœtore inde exhalante, etiam belluas à præda famelicentes arcet noctu diuque. *Audacem faciebat amor.*

Petes, Quomodo tanto tempore cadauera ista crucibus inhærere permilla, cum Deut. 21. v. 23. iubeatur, *cadauer crucifixi eadem die sepeliri?* Respondeo. Crucifixio hæc non ab Hebræis fiebat, sed à Gabaonitis, qui lege Heb. non tenebantur, quomodo Christus, & duo latrones cum illo crucifixi, quia non à Iudæo, sed à Romano iudice damna- ti fuerant, non fuissent iuxta legem Iudæorum è crucibus eodem die depositi, nisi Iudæi præcibus id à Pilato impe- trassent, Ioan. 19. v. 31. *Iudei rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Causa vero cur Gabaonitæ voluerint istorum cadauera tamdiu in patibulis hære, fuit, quod vellent publicum diuinæ vltionis, & patrociniij sui documentum quam diutissimè extare, & quaquaerfum propalari, ne quis in posterum quid Saül simile aduersus suam gentem attentare auderet, ita Sa- cius.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. II. ad 14.

- Vulg.** Et nuntiata sunt Dauid quæ fecerat Respha, filia Aia, concubina Saül.
- Sep. Rom.** Et resoluti sunt, & cepit eos Dan filius Ioa ex pronepotibus Gigantum.
- Vulg.** Et abiit Dauid, & tulit ossa Saül, & Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad: qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philistiim cum interfecissent Saül in Gelboë.
- Pag.** A maioribus Iabes.
- Malu.** De potentibus Iabes.
- Mariana.** De foro.
- Sep.** Quia statuerant ibi eos alienigenæ.
- Cald.** De muro.
- Vulg.** Et asportauit inde ossa Saül, & ossa Ionathæ filij eius: & colligentes ossa eorum qui affixi fuerant.

- Arias.** Ascendere fecit ossa.
- Malu.** Collegerunt ossa laxatorum.
- Sep. Rom.** Et ossa expositorum.
- Cald.** Ossa suspensorum.
- Reg.** Congregauit ossa propitiatorum.
- Vulg.** Sepelierunt ea cum ossibus Saül, & Ionathæ filij eius in terra Benjamin, in latere, in sepulchro Cis patris eius: feceruntque omnia, quæ præceperat rex, & repropitiatus est Deus terræ post hæc.
- Arias.** In Selah in sepulchro.
- Malu.** Et exoratus fuit Elohim.
- Sep. Rom.** Exaudiuit Deus terram post hæc.
- Reg.** Et propitiatus est Deus.
- Cald.** Suscepit Dominus orationem incolarum terræ.
- Arab.** Placatus est Deus incolis terræ.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DE platea Bethsan. Cald. De muro. Quia 1. Reg. 31. v. 10. dicuntur suspensa de muro, Saülis & Ionathæ corpora, quæ viri Iabes inde acceperunt, & modo Dauid alio transfert. Mariana vertit de foro, quoniam muro, & portis vrbis fora coniuncta erant. Vox Heb. Herob à latitudine deducta, foro satis conuenit: Platea proprie viam intra urbem denotat. De latere, Alij, In Tselagh, quod est nomen vrbis, de qua Iosue 18. v. 18. Tselagh autem latus significat. Et repropitiatus est Deus terra; Cald. hoc in sua Paraphrasi explicat. *Suscepit Dominus orationem incolarum terræ* demittendo pluuiam, quæ erat signum clementiæ diuinæ.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. V. II.** **E**T nuntiata sunt. Hic consequenter ponitur istorum C cuius tribu erant. *In latere, &c.* Id est, iuxta latus sepulchri Cis patris sui.
- LYRAN. V. 12.** *Et abiit Dauid, &c.* Quæ erant sepulta in nemore Iabes, vt habetur supra lib. 1. c. 31. qui non erat locus solemnus pro talibus personis.
- MENOC.** *Qui furati fuerant ea de platea Bethsan.* Vide historiam 1. Reg. 31. 10.
- LYRAN. V. 13.** *Et colligentes ossa eorum.* Id est, in terra Benjamin, de
- LYRAN. V. 14.** *Montis alicuius extra oppidum Gabaa,* de more Heb. qui extra urbem sepulchra habebant. Alij putant *in latere,* quod in Heb. est צלע *tselah,* esse nomen proprium. Ita Pag. Vatab. Sa, Salianus, & alij. *Omnia que præceperat rex.* Ad funus spectantia. *Repropitiatus est Deus terra.* Fertilitate restituta.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 15. ad 17.

Vulg. Factum est autem rursus praelium Philistinorum aduersum Israël, & descendit Dauid, & serui eius cum eo, & pugnabant contra Philistim. Deficiente autem Dauid,
Malu. Et fuit adhuc caesus Palæstinorum, & defatigatus fuit Dauid.
Sep. Rom. Et iuit Dauid.
Reg. Defecit.
Vulg. Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum hastæ trecentas vñcias appendebat, & accinctus erat ense nouo, nisus est percutere Dauid.
Pag. Pondus ferri hastæ eius erat trecentorum siclorum ponderibus aris, &c. cogitauit.
Lyran. teste aliqui habent. Iesbi de Nob, quæ fuit de genere Gigantissæ.
Arias. De natis Araphah ipse accinctus nouo, & ipse dixit.

Varab. De filiis Gigantis.
Et ipso teste aliqui habent. Accinctus cingulo nouo.
Malu. Libratio lanceæ eius trecentum libratio aris, & ipse accingens nouo.
Sept. Et Iesbi qui erat in nepotibus ipsius Rapha, &c. pondus lanceæ eius, & ipse accinctus claua, & ipse studeuit.
Cald. De filiis robustorum, pondus hastæ.
Reg. Et Iesbi de Nob, qui erat de genere gigantum ipse accinctus balteo.
Syr. Extimuit Dauid Ioab, & Abisai gigantem quendam.
Arab. Impetiit Dauidem vt occideret eum.
Vulg. Præsidioque ei fuit Abisai filius Saruix, & percussit Philistæum interfecit. Tunc iurauerunt filij Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël.
Cald. Vt non extinguas regnum Israël.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Deficiente Dauid, Alij, Defatigatus, scilicet ex belli labore, Sep. Rom. habent, Iuit, scilicet deficiendo: vnde aliqui Codices Græci, ἔλαβον, Dilapsus est, defecit. Iesbibenob, Alij, Iesbi de Nob, arbitrantur quod Iesbi de Nob sunt tres dictiones, ita quod Iesbi sit nomen proprium, de præposito, & Nob, locus, vnde fuit oriundus: sed hoc patet esse falsum, ex fine huius capituli, vbi dicitur, quod fuit natus in Geth, & ideo Iesbidenob est vnicum nomen, tam Heb. quam Latine: Non autem apud Sep. Reg. Qui fuit de genere Arapha, Alij, Gigantissæ, Alij, Gigantis, רפח raphah gigantem denotat. Theod. admonet gigantes solitos olim appellari, qui maxima haberent corpora; Cuius ferrum hastæ 300. vñcias appendebat. Alij, Pondus ferri trecentorum siclorum, pondus aris, quod pondus dimidio minus est quod Vulg. habet, nempe 150. vñcia, ex nostris: Siclus enim dimidiam vñciam pendebat. Fortassis noster potest exponi de vñciis minoribus, vel dimidiatis. Sep. & Cald. non de pondere solius ferri loquuntur, sed totius lanceæ. Accinctus erat ense Nouo. Alij solum, Nouo, sed bene addidit Vulg. Ense, Alij habent, Balteo, claua. Nobilius ait fortasse per clauam κορύνη, intelligitur ensis nouus. Ne extinguas lucernam Israël, Alij, Regnum. Id est, ne tecum pereat gloria, & splendor Israël.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y.** 15. **F**actum est. Hic consequenter ponitur quadruplex bellum; & primò ostenditur qualiter Dominus protexit Dauid in illis periculis. Secundò gratiarum actio redditur pro his, & alijs beneficijs, c. 12. Circa primùm dicitur. Factum est. Dicunt aliqui, quòd istud acciderat ante famem prædictam, quia iam ante in persecutione Absalom serui Dauid non permiserant ipsum ire cum alijs ad prælium, vt habetur supra c. 18. Sed hoc non videtur verum, per hoc quod dicitur hinc, Post hæc, &c. Et sic videtur referri ad factum narratum ante immediatè: aliter non haberetur aliquid certum ad quod referretur. Præterea istud bellum videtur contigisse, quando vires Dauid iam debilitata erant senectute, vt ostendunt circumstantiæ literæ. Nec valet istud quod inducitur de bello contra Absalom. Quia enim serui Dauid non permiserunt ipsum ire ad prælium: fuit ex causa speciali, scilicet, quia Dauid principaliter, & singulariter quasi ad mortem quærebarur vt patet ibidem, & c. 17. Dixit Achitophel de Dauid. Vnum enim virum, &c. Et idè illud impedimentum fuit singulare.

A Sed in isto bello videntes serui Dauid ipsum viribus debilitatum, ordinauerunt, & iuramento firmauerunt, quod de cætero non iret ad prælium in propria persona.
Iesbibenob. Dicunt aliqui quòd sunt tres dictiones, ita quòd de, est præpositio, & Nob nomen loci: Sed patet hoc falsum. Tum quia iste non fuit de Nob, sed de Geth, vt patet in fine huius c. Tum quia in Heb. ly de, non potest esse præpositio, & ideo totum est vna dictio.
De genere. Id est, gigantæo, vt dicunt Hebræi.
Et accinctus. In Heb. habetur. Et accinctus erat de nouo. Ita quod ly ense, non est de textu. Dicunt enim Heb. & est verisimile, quòd illa die fuerat factus miles de nouo: & idè nitebatur facere probationem euidentem in percussione regis. Cætera patent ex dictis.
Trecentas vñcias. Duodecim scilicet libras cum dimidia. MENOC. Vide dicta I. Reg. 17. n. 5. & 17.
Ne extinguas, &c. Ne scilicet gloria, & splendor Israël te moriente extinguatur, Cald. habet. Et non extinguas, &c. MENOC. **Y.** 17.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 18. & 19.

Vulg. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philistæos: tunc percussit Sobochai de Husati, Saph de stirpe Arapha, de genere Gigantum.
Malu. Et fuit sic, & fuit adhuc caesus, tunc percussit Sibehai Chufathæus Saph, qui in natis Raphaph.
Cald. Ex filiis Robusti.
Arab. Qui remanserant è gigantibus.
Vulg. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philistæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Polymitarius Bethleemites Goliath Gethæum, cuius hastile hastæ erat quasi licitorium textentium.

Lyran. Elhanan filius cortinas textentium.
Malu. Elohanam filius Zachare Oreghim, & lignum hastæ eius sicut iugum textorium textentium.
Caiet. Filius sylvarum textorum.
Sept. Et prælium in Rhom cum alienigenis, & percussit, &c. filius Ariorgim.
Reg. In Nob.
Cald. Et occidit Dauid filius Iisai textoris veli domus Sanctuarij Goliath Gethæum.
Syr. Trucidauit Elhanan filius Malaphi textoris.
Arab. Cuius lancea crassior erat ligno textorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN quo percussit Adeodatus filius Saltus Polymitanus Bethleemites, Alij, Olchanam filius Iachare Oregliim, &c. Sed Vulg. significationem Hebræorum nominum expressit: Qui hic dicitur Iaharen 1. Paral. 10. vocatur Iahur, vel Iahir. Plures sunt qui sequuti Cald. existimant hunc Elchanam interfectorem Goliath gigantis, ipsum fuisse Dauidem ita appellatum, tanquam Deo charum, quæ est etiam significatio nominis Dauid; dictum etiam filium sylvarum, vel per Metathesin, filium cortinarum, siue aulæorum, quod in eius domo vel familia texerentur aulæa pro tabernaculo Domini; sed hic Adeodatus fuit alius à Dauide, sicut & hic Goliath alius à primo: sic enim 1. Paral. 20. v. 5. & percussit Elchanam, &c. Goliath, Geththai fratrem. Aduerte autem Iare significare saltum, vel syluam, vnde noster vertit, filius saltus, Pater enim Adeodati dictus est Iare siue sylua, vel saltus, eò quòd natus sit in sylua, vel quod in sylua venari, & versari consueuerit. To igitur Saltus est nomen proprium patris Adeodati, ideoque maiuscula littera scribendum, vti habent Rom. Adeodatus vocatur Polymitanus. Heb. Gregim, id est, textorum, quia secundum aliquos erat oriundus è textoribus, aut secundum alios, quia ipse erat vnus è textoribus, qui polymita, id est, licia variegata contextunt, indeque faciunt pannos, & vestes polymitas, id est, variorum colorum, lyciorum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **§. 18.** **S**ecundum bellum quoque fuit in Gob. Ly secundum A
non significat hic ordinem temporis, quia hoc modò
non narratur hic ista bella, quod patet ex hoc quòd illud
bellum, quod dicitur hic tertium, fuit simpliciter primum
vt patebit: illud autem quòd dicitur hoc primum, fuit
simpliciter vltimum, quia post illud Dauid non iuit ad
prælium. Narratur tamen hic primo propter continuatio-
nem ad præcedentia immediatè, quia contigit post famem
supradictam in senectute Dauid, & ideo non est hic ordo
temporis, sed narrationis, quia istud bellum immediatè
narratur post præcedens: & ita dicendum de aliis sequen-
tibus.
Tunc. Nomen est proprium militis.
De Husati. Id est, de tali loco.
Saph. Aliàs Ziph: nomen est gigantis ab eo percussit.
MENOC. *In Gob.* Primi Paral. 20. v. 4. dicitur hoc bellum gestum
in Gazer. Fortassè locus ille vtroque nomine appellabatur.
Porrò Gazer erat in tribu Ephraim, & dicebatur etiam
Gazera, & Gezer, & à Iosepho Gazara.
Sobochai. Hic Sobochai 1. Par. 11. 29. numeratur inter
fortes Dauid.
De stirpe Arapha. Vide dicta num. 15.
LYRAN. **§. 19.** **T**ertium quoque. Istud fuit bellum in quo Dauid inter-
fecerat Goliath, vt patet ex sequentibus: propter quod di-
cendum quòd Gob est nomen loci specialis qui erat in val-
le Terebinthi, in qua fuit illud bellum, sicut habetur su-
prà lib. 1. c. 17. sicut in valle Sueffionensi sunt multa loca
particularia: & sic istud bellum quod fuit in Gob tanquam
in loco particulari fuit etiam in valle Terebinthi sicut loco
communi.
In quo. Id est, Dauid qui fuit à Deo electus, & ad re-
gimen populi, vt patet ex dictis suprà lib. 1. c. 21.
Filius Quia longo tempore habitauit in nemoribus fu-
gens à facie Saül, vt patet ex prædictis, suprà 1. c. 23.
Polymitanus. Quia descendit de genere Bezeleel, qui
fuit principalis in opere polymitatio tabernaculi, vt habe-
tur Exod. 31.
- A** Bethleemites. Quia ibi fuit natus, vt patet ex dictis, suprà
lib. 1. c. 16.
Goliath. Cum quo pugnavit Dauid singulare certa-
men. Et ex hoc patet, quod dictum est, scilicet, quòd
istud bellum ordine temporis fuit primum, quia ante bel-
lum illud non fuit Dauid in aliquo bello, imò domi re-
manserat aliis fratribus suis ad bellum post Saül euntibus,
tanquam nimis iuuenis.
Adeodatus. Heb. Elcana, cuius nominis Latina inter-
pretatio est Adeodatus. Hic numeratur inter fortissimos
Dauid 1. Par. 11. 26. **MENOC.**
Filius saltus. Heb. filius Iachare, quæ vox saltum signi-
ficat.
Quasi liciatorium texentium. Iugum' circa quod textores
telam circumuoluunt, quod intellige quoad hastilis
crassitiem. Abulensis putat hunc Goliath eius fratrem fuis-
se, qui à Dauide occisus est, 1. Reg. 17.
B Adeodatus filius Saltus polymitanus.] Vulgatus hic, vt **TIRINVS**
alibi millies, appellatiua ponit nomina pro propriis, seu
nominum significationes pro ipsis nominibus. Nam no-
men viri illius erat, *Elchana* filius *Iaere Orgim*: quod ap-
pellatiuè significat *Adeodatum filium saltus*, seu syluæ,
polymitarium, id est, tinctorum variis coloribus, ita ha-
bent Sep. Cald. Pag. Tigurina, Isidorus, Caiet. Sanctius,
& alij. Hic percussit Goliath Gethaum. Id est, fratrem Go-
liath Gethai, vt expressè dicitur lib. 1. Par. c. 20. fratrem,
inquam, si non sanguine, certè similitudine roboris, & sta-
tura: sicut Prou. 18. v. 9. *Qui mollis est in opere suo, frater
est sua opera dissipantis.*
Nota, bella hæc cum Philistæis gesta, vt & famem trien-
nalem, de qua initio huius capituli, & quæ duobus seq. cap.
continentur, probabilius videri ante rebellionem Absalo-
mi contigisse, nempe post vltimum Vriæ thalamum, cu-
ius tamen violati pœnas voluit ordine recensere scriptor
sacer: reliquis, quæ eò non spectabant, in hæc capita re-
iectis, ita ferè Abul. De *Arapha* matre istorum gigantum,
vnde stirps *Raphaim*, vide quæ dixi 1. Reg. 17. v. 4.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 20. ad 22.

Vulg. Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit
excelsus, qui senos in manibus pedibusque habe-
bat digitos, id est, viginti quatuor, & erat de origine
Arapha.

Pag. Vir magnæ mensuræ.

Sep. Rom. Et fuit vir Madon.

Reg. Ex Madon.

Cald. Etiam genitus ex robusto.

Syr. Erat vir quidam Gigas.

Alij. Fuit vir litis, certaminis.

Vulg. Et blasphemavit Israël: percussit autem eum Iona-
than filius Samaa fratris Dauid.

Pag. Et probris affecit.

Malu. Perfodit Israël.

Sep. Rom. Exprobrauit.

Reg. Improperauit.

Arab. Conuitiis appetiuit.

Vulg. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, & cecide-
runt in manu Dauid, & seruorum eius.

Lyran. Nati sunt de gigantissa.

Pag. Mortui sunt per manum Dauid.

Sep. Rom. Quatuor hi sunt pronepotes gigantum in Geth
ipsi Rapha domus.

Cald. Nati sunt robusto vni, & traditi sunt, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V Ir fuit excelsus, Alij, Magna mensura. Vir litis. Id est, bellicosus à *לית דון*; Alij à *ממד* madad, vir mensuræ. Sep. Rom. Madon, vox Heb. quæ significat mensuram. Reg. tanquam ex patria. Ex Madon. Blasphemauit, Alij, Probris affectit, insultans, & conuitians. Hi quatuor nati sunt de Arapha, Alij, De gigantiffa. Volunt enim esse nomen mulieris proceræ mensuræ, Sep. Rom. addunt, Ipsi Rapha domus, quæ absunt à Compl. ab aliis quibusdam abest solùm illud, domus.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
y. 20.

Quartum, &c. In quo, id est, magnitudine excedens A aliis. communem staturam hominum.

Qui senos. Hoc ponitur ad ostendendum, quod sicut erat excessiua magnitudinis, ita etiam erat terribilis

Et blasphemauit. Id est, vituperauit prouocando eos ad L Y R A N Æ prælium, sicut de Golia dicitur, supra lib. 1. c. 17.

Blasphemauit. Probris affectit Israël.

* 21.

CAPVT VIGESIMVMSECVDVM.

SYNOPSIS.

Canticum Eucharisticum seu gratiarum actionis, quæ rex Dauid pro sua ab omnibus hostibus liberatione debitas Deo grates persoluit.



1. Ocurus est autem Dauid Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorū suorum, & de manu Saül. 2. Et ait: Dominus petra mea, & robur meum, & saluator meus. 3. Deus fortis meus, sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ: eleuator meus, & refugium meum: saluator meus: de iniquitate liberabis me. 4. Laudabilem inuocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero. 5. Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me. 6. Funes inferni circumdederunt me: præuenerunt me laquei mortis. 7. In tribulatione mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo suo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures eius. 8. Commota est: & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est eis. 9. Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo. 10. Inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus eius. 11. Et ascendit super Cherubim & volauit: & lapsus est super pennas venti. 12. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum: cribrans aquas de nubibus cælorum. 13. Præ fulgore in conspectu eius, succensi sunt carbones ignis. 14. Tonabit de cælo Dominus: & excelsus dabit vocem suam. 15. Misit sagittas, & dissipauit eos: fulgur, & consumpsit eos. 16. Et apparuerunt effusiones maris, & reuelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione furoris eius. 17. Misit de excelso, & assumpsit me: & extraxit me de aquis multis. 18. Liberauit me ab inimico meo potentissimo, & ab his qui oderant me: quoniam robustiores me erant. 19. Præuenit me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus firmamentum meum. 20. Et eduxit me in latitudinem: liberauit me, quia complacui ei. 21. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: & secundum munditiam manuum mearum reddet mihi. 22. Quia custodiui vias Domini, & non egi impiè, à Deo meo. 23. Omnia enim iudicia eius in conspectu meo: & præcepta eius non amoui à me. 24. Et ero perfectus cum eo: & custodiam me ab iniquitate mea. 25. Et restituet mihi Dominus secundum iustitiam meam: & secundum munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum suorum. 26. Cum sancto sanctus eris: & cum robusto perfectus. 27. Cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris. 28. Et populum pauperem saluum facies: oculisque tuis excelsos humiliabis. 29. Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illuminabis tenebras meas. 30. In te enim curram accinctus: in Deo meo transiliam murum. 31. Deus, immaculata via eius, eloquium Domini igne examinatum: scutum est omnium sperantium in se. 32. Quis est Deus præter Dominum: & quis fortis præter Deum nostrum? 33. Deus qui accinxit me fortitudine: & complanauit perfectam viam meam. 34. Coæquans pedes meos ceruis, & super excelsa mea statuens me. 35. Docens manus meas ad prælium, & componens quasi arcum æreum brachia mea. 36. Dedisti mihi clypeum salutis tuæ: & mansuetudo tua multiplicauit me. 37. Dilatabis gressus meos subtus me: & non deficient tali mei. 38. Persequar inimicos meos, & conteram: & non conuertar donec consumam eos. 39. Consumam eos, & confringam, vt non consurgant: cadent sub pedibus meis. 40. Accinxisti me fortitudine ad prælium: incuruasti resistentes mihi subtus me. 41. Inimicos meos dedisti mihi dorsum: odientes me, & disperdam eos. 42. Clamabunt, & non erit qui saluet: ad Dominum, & non exaudiet eos. 43. Delebo eos vt puluerem terræ: quasi lutum platearum comminuam eos, atque confringam. 44. Saluabis me à contradictionibus populi mei: custodies me in caput Gentium: populus, quem ignoro, seruiet mihi. 45. Filij alieni resistent mihi, auditu auris obe-

dient mihi. 46. Filij alieni defluerunt, & contrahentur in angustiis suis. 47. Viuit Dominus, & benedictus Deus meus; & exaltabitur Deus fortis salutis meæ. 48. Deus qui das vindictas mihi, & deiicis populos sub me. 49. Qui educis me ab inimicis meis, & à resistantibus mihi eleuas me; à viro iniquo liberabis me. 50. Propterea confitebor tibi Domine in gentibus: & nomini tuo cantabo. 51. Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius in sempiternum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 3.

Vulg. Locutus est autem Dauid Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saül.
Malu. De vola maleuolentium eius.
Cald. Cantauit Dauid verba laudis huius super omnibus diebus, quibus liberauerat de manu omnium authorum inimicitarum eorum, & ex gladio Saül.
Vulg. Et ait: Dominus petra mea, & robur meum, & saluator meus.
Pag. Arx mea, & liberator meus mihi.
Cald. Dominus firmitudo mea, & fiducia mea.
Syr. Diligam te Domine fortitudo mea, & fiducia mea, Domine robur meum, asylum meum.
Arab. Diligo te, quia tu es robur meum, tuque potentia mea, & refugium meum.
Vulg. Deus fortis meus, sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ: eleuator meus, & refugium meum: saluator meus, de iniquitate liberabis me.

Pag. Deus fortitudo mea, &c. à rapina saluum fecisti me.
Arias. Deus petra mea.
Malu. Protegam in eo circummunimentum meum, &c. de violentia saluabis me.
Sept. Rom. Custos meus erit mihi, confidens ero in eo, &c. de magno, &c.
Cald. Dominus fortitudo mea quod ab ante ipsum data sit mihi firmitas, & liberatio ad superandum auctores inimicitarum, & fiducia mea, quod super verbum eius confido in tempore angustia, protegens me ab authoribus inimicitarum, & qui dixit quod extolleret cornu meum in liberatione sua fulciuit me: ecce fuit dictum eius sustentaculum mihi quando fugiebam ante persecutores meos, liberabit me, de authoribus inimicitarum mearum liberauit me.
Syr. Sulffultor meus, & confugium meum.
Arab. Seruans me à sceleratis, saluator meus laudandus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Robur meum, Alij, Munitio, arx mea. Est enim מצור *metzarath*, quod est arx, defensio, munimentum, &c. Saluator meus, Alij, Euadere faciens. Additur in Heb. mihi, nec non in Sep. quod emphasi non caret, quasi totus esset Deus in eo liberando. Deus fortis meus, Alij, Fortitudo mea, custos meus. Heb. est צור *isur*, quod est rupes, petra; De iniquitate liberabis me, Alij, De violentia, rapina, חמס *chamas*, hinc rapinam, & iniquitatem significat. Cald. plura habet, sed paraphrasticè dicta.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **L**ocutus est. Post liberationem Dauid à periculis, hinc A consequenter ponitur canticum actionis, & primò ponitur gratiarum actio pro præteritis: secundò vaticinatio de futuris c. 23. Circa primùm præmittitur quædam præfatio, secundò subditur gratiarum actio, ibi: Dominus petra mea. Circa primùm dicitur. Locutus est. Scilicet, quod sequitur postea. Et dicitur carmen, quia Psal. iste in Hebræo compositus est metricè, & per modum laudis diuinæ.
- In die.* Ex quo patet, quod iste Psalmus fuit factus à Dauid post omnes persecutiones eius, & sedatis aduersariis, ipso existente in quiete contemplationis.
- Et de manu.* Ista persecutio specialiter exprimitur, quia B fuit diuturnior aliis, & periculosior.
- MENOC.** Hoc caput nihil aliud continet quam Psal. 17. qui commodius suo loco cum aliis Psalmis explicabitur.
- TIRINVS** Hoc caput continet Psal. 17. Psalterij: nisi quòd in illo multa verba, etiam in textu Heb. mutata legamus. Id verò inde accidit quod Dauid prius hunc Psal. rudiore quodam modo, & stylo composuerit, vt Deo pro tantis tamque frequentibus ab eo acceptis beneficiis gratias ageret: & talem habemus hunc Psalmum hoc capite. Postea verò limatum magis nitidiusque concinnatum tradidit sacerdotibus, vt in templo deinceps cantaretur: & talis extat in lib. Psal. vbi & illum explicabimus.
- LYRAN.** **D**ominus petra. Hinc consequenter ponitur canticum pro gratiarum actione: vbi primò ponitur catici narratio: & secundò intenta conclusio, ibi: Viuit Dominus. Canti-
- cum autem istud factum fuit à Dauid pro sua liberatione à periculis multis, vt patet ex dictis: & idè primò exprimitur Dei ipsum liberantis efficacia: secundo suæ liberationis materia, ibi: Saluator meus. Tertio modus siue forma, ibi: Misit de excelsis. Circa primum dicitur. Dominus: Id est, fundamentum me stabiliens contra multiplices impulsus.
- Et robur.* Me fortificans contra hostiles insultus.
Scutum meum. Muniens me contra hostium ictus.
Et cornu salutis. Repellens, & deiiciens aduersariorum incurfus.
- Saluator.* Hinc consequenter exprimitur materia huius liberationis, videlicet multa mala, & pericula de quibus liberatus fuit virtute diuina. Circa quod primo describitur sua liberatio. Secundo subditur liberatio populi de Ægypto quasi pro exemplo, ibi: Commota est. Circa ea quæ sunt dicenda in hoc cantico, considerandum quod factum fuit metricè, vt dictum est, & ideo ratione metri hic ponuntur aliqui modi loquendi, qui non ponuntur communiter in oratione prosaica, quia frequenter accipit præteritum pro præsentem vel futuro, & è conuerso, & aliquando de figuratiua locutione transit ad planam, & è conuerso. Dicit igitur. Saluator meus. Id est liberaasti. Et notatur hinc iniquitas Dauid in facto Bethsabee, de qua fuit liberatus quantum ad culpam per veram contritionem, & confessionem, & quantum ad pœnam per diuinam ultionem, vt patet ex supradictis.

LYRAN
V. 3.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 4. ad 7.

Vulg. Laudabilem inuocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero.
Malu. Sublatum vocabo Iuh, & de maleuolentibus meis saluabor.

Cald. In laude oro ante Dominum, qui in omni tempore ab authoribus inimicitarum liberauit me.
Vulg. Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me.

Cald.

Cald. Quia circumdedit me angustia tanquam mulierem, quæ sedet in sella parturientis, & virtus non est illi ad pariendum, multitudo peccatorum territat me.

Syr. Dolores mortis.

Arab. Cum odissent me angores viui scelestorum tremefecissent me.

Vulg. Funes inferni circumdederunt me: præcuerunt me laquei mortis.

Lyr. Societates inferni circumdederunt me.

Malu. Circumgyrauerunt me, anteriorauerunt me illaqueationes mortis.

Sept. Rom. Dolores mortis, &c. præcuerunt me asperitates mortis.

Cald. Castra improborum obsederunt me, anticipauerunt me qui armati erant vas occisionis.

Arab. Vnxisse me dolores sepulchri, & tendicula mor-

tis præuenissent me.

Vulg. In tribulatione mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo suo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures eius.

Arias. In angustia mihi inuocabo Dominum, &c. exaudiuit de palatio suo.

Malu. In coangustatione mihi vocabo, &c. audiuit de basilica sua, &c. & acclamatio mea in auribus eius.

Sept. Rom. Dum ego tribulor inuocabo, & vociferatio mea.

Cald. Quando angustia erat mihi, ego orabam ante Dominum, & ante Deum meum, ego deprecabor, accipiebat orationem meam, & postulatio mea ab ante ipsum suscipiebatur in auribus eius.

Syr. In calamitate mea inuocabo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Laudabilem inuocabo, Alij, Subleuatum vocabo. Qui enim laude dignus est, præ aliis effertur. Circumdederunt me, Alij, Obsederunt me. *אפא* vis verbi huius est quasi viuenti, vel flatus, seu alio impetu inuoluere me. Contritiones mortis, Alij, Confractiones. *מסבירי* *mischbarim*, fractiones actiue, & passiuè significat, vnde & flatus, & procellæ dicuntur, quæ & naues frangunt, & ipsæ quoque franguntur, & colliduntur. *Torrentes Belial*, Alij, Peccatorum. *Funes inferni*, Alij, *Sepulchri*. Id est, lethales, deducunt ad sepulchrum. *Laquei mortis*, Alij, *Tendicula mortis*, id est, insidiæ, quas homines nequam tetenderunt in necem meam. *Ad Deum meum clamabo*, Alij, *Vocabo*, *inuocabo*. *אקרא* *ekra*, hæc omnia significat. *De templo suo*, Alij, *De palatio*, *de basilica*, quod idem est. *היכל* *hical*, etiam tabernaculum denotat.

ANNOTATIONES.

Laudabilem inuocabo. Id est, dignum omni laude. Et ab inimicis meis. Scilicet ab inimicis inuisibilibus, qui sunt maligni spiritus, sicut iam liberatus sum ab inimicis visibilibus.

Quia circumdederunt me. Post mala spiritualia à quibus liberatus fuit, enarrat corporalia ex persecutione Saülis, in hoc quod dicitur.

Circumdederunt me contritiones mortis. Quia Saül, & viri eius cingebant Dauid in modum coronæ, ita quod Dauid desperabat se posse euadere, vt habetur supra lib. I. c. 23.

A *Torrentes Belial.* Id est, impetus persecutionis Saül, qui erat absque iugo disciplinæ, & legis diuinæ.

Funes inferni. In Heb. habetur. *Societates inferni.* Id est, LYRAN. demones incitantes Saulem ad me prosequendum. v. 6.

Præcuerunt me laquei mortis. Scilicet Ziphæi, & alij insidiatores, qui quærebant tempus, & locum, quomodo Dauid caperetur, vt habetur supra lib. I. c. 23.

In tribulatione mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo. Id est, inuocauit. LYRAN. v. 7.

Et exaudiet de templo. Id est, de cælo, quod est templum gloriæ suæ.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad 12.

Vulg. Commota est & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, conquassata, quoniam iratus est eis.

Arias. Fundamenta cælorum contremuerunt.

Malu. Impetu concussa fuit de terra, &c. & commouere se fecerunt, quia exarsit ei.

Sept. Rom. Et quassata sunt, quoniam iratus est Dominus.

Cald. Fundamenta cælorum expauerunt, & defecta sunt, quia grauis erat indignatio eius.

Syr. Scissa.

Arab. Quia succensuit.

Vulg. Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo.

Malu. Comeder. Carbones arserunt de ex eo.

Cald. Ascendit fumus indignationis eius, sicut ignis comburens, & increpatio eius, &c. succensa est à dicto eius.

Arab. Et eius vultu inflammatus est ignis, fuitque flamma eius vehementior flamma carbonum.

Vulg. Inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.

Vatab. Et demisit cælum.

Malu. Extendit cælos.

Cald. Reuelata est gloria eius, & nubes caliginis scabel-

lum ante eum.

Arab. Aperuit cælum, & apparuit nebula.

Vulg. Et ascendit super Cherubim, & volauit: & lapsus est super pennas venti.

Pag. Equitauit super Cherubim, &c. apparuit super.

Malu. Inuectus fuit, &c. & visus fuit super alas spiritus.

Sep. Insedit.

Cald. Reuelatus est in fortitudine sua super, &c. & deduxit in fortitudine.

Arab. Alas venti conscendit.

Vulg. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum: cribrans aquas de nubibus cælorum.

Pag. Colligantiam aquarum, nubes cælorum.

Arias. Posuit obscuritatem circuitus suos, opertoria, &c. nubes ætherum aëris.

Malu. Posuit tenebrositatem, &c. absconsiones, &c. densitates ætherum.

Mariana. Posuit tiguria nigredinem aquarum.

Sep. Rom. Tenebras aquarum condensauit in nubibus.

Cald. Posuit maiestatem suam in obscuritate nubis gloriæ, circum se descendere faciens aquas fortes de multitudine nubium.

Syr. Collocauit tenebras in latibulo suo, & vallauit eum tabernaculum suum. Tenebræ aquarum obortæ sunt in nubibus aëris, ex fulgore tabernaculi eius.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fundamenta montium, Alij, *Cælorum*. Licet Heb. *השמים* *hascamaim*, id est cælorum, tamen in Psal. dicitur montium, & apud Sep. Cald. Syr. & Arab. & verior hæc lectio. Pro montibus ponuntur cæli ab Heb. quia ita alti sunt, montes, vt ipsi videatur quasi cælum incumbere. *Inclinauit cælos*, Alij, *Demisit, operuit*. Sermo est de repercus-

sione nubium, cum nubes inter se concurrunt, ut caelum ipsum descendere, seu aperiri videatur.

Ascendit super Cherubim, Alij, *Equitavit*: Cherubim enim quasi equitare visus est. *Et lapsus est*, Alij, *Visus est*. In Psal. Heb. Graec. habetur, *volauit*, nimirum quia hic legitur *ארי* iera, id est, visus est, & in Psal. *אדי* ieda, *volauit*, quae lectio commodior videbatur: mutatio facilis Daleth in Res, quae litterae sunt figura simillimae. *Super pennas venti*. Alij, *Spiritus*, *רוח* ruach enim & ventum, & spiritum denotat. *Posuit latibulum*, Alij, *Posuit obscuritatem, circuitus suos, operatoria, tuguria*, quasi inter tenebras operiatur, & habitat latitans. *Cribrans aquas de nubibus*, Alij, *Colligantiam aquarum, nigredinem*. Sep. hic & Psal. 17. *Tenebras aquarum, & tenebrosam aquam dicere*. Tenebrosam aquam, nubes dixit Interp. quod voces proximae magis declarant: Nubes caelorum, seu aeris, ut Sep. Fortassis Heb. pro *הרשת* *hasrath*, id est, *colligantia aquarum*, quae hic est, legi debet *השכח* *heschal*, tenebrositas aquarum, ut est in Psal. Ita Hieronymus vertit, *Tenebrosa aqua in nubibus etheris*. Mariana addit, quod ipse diceret, *Tenebrosam aquam nubes aetheris*, ut omnia regantur a verbo, *posuit latibulum*.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **C**ommota est & contremuit terra, &c. Hoc inducit A ta pariter ferebantur ad punitionem Aegyptiorum, & liberationem Hebraeorum.
- ψ. 8. **C**onmota est & contremuit terra, &c. Hoc inducit A ta pariter ferebantur ad punitionem Aegyptiorum, & liberationem Hebraeorum.
- Et inclinavit celos.* Non per loci mutationem, sed per effectus inhibitionem, scilicet ad punitionem Aegyptiorum, & liberationem Hebraeorum.
- Et caligo.* Quia fecit tenebras palpabiles tribus diebus in Aegypto, ut habetur Exod. 10.
- Et ascendit.* Per hoc designatur velocitas diuini subsidij, ad liberationem populi de Aegypto, quia omnes filios Israel eadem die simul eduxit, cum tamen essent in numero maximo, ut habetur Exod. 12.
- Posuit tenebras.* Hoc intelligitur de nube existente inter filios Israel, & exercitum Aegyptiorum super mare rubrum, quae erat obscurissima, & densissima ex parte Aegyptiorum, ita quod non poterant accedere ad filios Israel, ut habetur Exod. 14.
- Cribrans aquas.* Quia ex densitate illius nubis fluebant pluuias grossae ad maius impedimentum Aegyptiorum. Veruntamen, quia illa nubes illuminabat noctem ex parte filiorum Israel, ut ibidem dicitur, ideo subditur.
- LYRAN. **C**onmota est & contremuit terra, &c. Hoc inducit A ta pariter ferebantur ad punitionem Aegyptiorum, & liberationem Hebraeorum.
- ψ. 10. *Et inclinavit celos.* Non per loci mutationem, sed per effectus inhibitionem, scilicet ad punitionem Aegyptiorum, & liberationem Hebraeorum.
- LYRAN. **C**onmota est & contremuit terra, &c. Hoc inducit A ta pariter ferebantur ad punitionem Aegyptiorum, & liberationem Hebraeorum.
- ψ. 11. *Et ascendit.* Per hoc designatur velocitas diuini subsidij, ad liberationem populi de Aegypto, quia omnes filios Israel eadem die simul eduxit, cum tamen essent in numero maximo, ut habetur Exod. 12.
- LYRAN. **C**onmota est & contremuit terra, &c. Hoc inducit A ta pariter ferebantur ad punitionem Aegyptiorum, & liberationem Hebraeorum.
- ψ. 12. *Posuit tenebras.* Hoc intelligitur de nube existente inter filios Israel, & exercitum Aegyptiorum super mare rubrum, quae erat obscurissima, & densissima ex parte Aegyptiorum, ita quod non poterant accedere ad filios Israel, ut habetur Exod. 14.
- ψ. 13. *Cribrans aquas.* Quia ex densitate illius nubis fluebant pluuias grossae ad maius impedimentum Aegyptiorum. Veruntamen, quia illa nubes illuminabat noctem ex parte filiorum Israel, ut ibidem dicitur, ideo subditur.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 13. ad 16.

Vulg. Prae fulgore in conspectu eius, succensi sunt carbones ignis.

Arias. Prae fulgore è regione eius.

Malu. De splendore praesentia eius arserunt.

Sep. De lumine.

Cald. A fulgore gloriae eius candent caeli caelorum, increpatio eius sicut carbones ignis, succensa est à dicto eius.

Syr. Vertit nubes suas in grandinem, & carbones ignis.

Arab. Fecit nubes.

Alij. De splendore praesentiae eius densitatis, seu nubes eius transferunt, grando & carbones eius.

Vulg. Tonabit de caelo Dominus: & excelsus dabit vocem suam.

Malu. Tonare faciet, &c. & Ghelim.

Arias. Altissimus dabit.

Cald. Extulit dictum suum.

Sep. Intonuit.

Arab. Edidit fragorem tonitruui, &c. audire fecit vocem suam cum grandinibus, & carbonibus igneis.

Vulg. Misit sagittas, & dissipauit eos: fulgur, & consump-

lit eos.

Pag. Contrinuit eos.

Malu. Conturbauit eos.

Sep. Corruscavit corruscationem, & exterruit eos.

Arab. Iacula sua misit, & dispersit eos, multiplicauit fulgura sua, & tremefaciet eos.

Vulg. Et apparuerunt effusiones maris, & reuelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris eius.

Pag. Propter increpationem Domini.

Arias. Apparuerunt aluei, &c. ab inspiratione spiritus nasi eius.

Vatab. Apparuerunt vada, &c. ab exploratione flatus naris.

Sep. Emissiones maris, &c. à spiratione, &c.

Cald. Visae sunt profunditates maris, &c. ab increpatione ante Dominum, à dicto valido indignationis eius.

Syr. Ab anhelitu flatus irae tuae.

Arab. Patuerunt fontes aquarum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Prae fulgore in conspectu eius, &c. Alij, *De splendore praesentia eius, densitates transferunt, &c.* Verbum *עברו* *ghabaru*, transferunt, videtur transpositum ex eo quod hic ponitur *בערו* *bagharu*, arserunt, incensi sunt, & sic hoc verbum intelligunt de generatione grandinum, vel fulgurum, vel corruscationum. Quasi dicat à splendida, & fulgenti praesentia eius, nempe Dei, abeunt, & dissoluuntur nubes in grandines, & corruscationes, & fulmina.

Tonabit, Sep. *Intonuit.* Arab. *Audire faciet vocem suam*, cum carbonibus, & grandinibus ignis, sed hoc desumptum ex Psal. 17. *Consumpsit eos*, Alij, *Conturbauit eos*, quod videtur magis genuinum, fulgura enim metum incutiunt, tamen etiam consumunt. *Apparuerunt effusiones maris*, Alij, *Aluei, vada.* *אפיקים* *aphikim*, non solum decursus, rapiditates, impetus, sed & alueos, vada, & fundum significat. Et sensus est: Ciente Deo tempestatem, & ipsum maris fundum aperitur, ut conspici queat: *Ab inspiratione spiritus furoris eius*, Alij, *Ab expiratione flatus naris*, sed per nasum, vel nares, intelligitur ira eius.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Ps. 13.** **P**rae fulgore. Et quia ex nube illa generata fuerunt fulgura, & tonitrua, quibus rotæ currum ferebantur in profundum, sicut dictum fuit ibidem, ideo subditur.
LYRAN. **Ps. 15.** **Misit sagittas.** Id est, fulgura, & coruscationes, quibus territi dixerunt: Fugiamus Israël, Dominus enim pugnat pro eis contra nos: quia tamē sicut ibidem dicitur, fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ: ideo subditur.
LYRAN. **Ps. 16.** **Et apparuerunt.** Ægyptios submergentes.
Et reuelata. Quia superficies terræ, quæ erat in profun-

do maris, fuit discooperta, ita quod filij Israël transierunt per medium maris: vt habetur Exod. 14. Dicitur autem terra, quæ est sub aquis maris, fundamentum orbis, ad similitudinem fundamenti domus, quod est pars inferior. Similiter terra quæ est in profundo maris, habet super se elementum aquæ, & postea aëris, & consequenter alias partes orbis. Consequenter ostenditur à quo talis punitio Ægyptiorum facta sit, cum dicitur, *Ab increpatione, &c.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 20.

Vulg. Misit de excelfo, & assumpsit me: & extraxit me de aquis multis.
Arias. De altitudine, &c. eduxit me.
Malu. Mittet de eleuatione, accipiet me, attrahet me.
Cald. Misit prophetas suos rex fortis, qui sedet in fortitudine celsitudinis, gubernauit me, & eripuit me de gentibus multis.
Vulg. Liberauit me ab inimico meo potentissimo, & ab his qui oderant me: quoniam robustiores me erant.
Malu. Eripuit me de maleuolente meo obfirmato, &c. quia surrexerunt de à me.
Sep. Rom. Eripuit me de inimicis meis fortitudinis, &c. quoniam confortati erant super me.
Reg. Liberauit me de robore.
Cald. Quia præualuerant in me de authoribus inimicitæ meæ.
Arab. Qui robur ac vires contra me acquisierant.
Vulg. Præuenit me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus firmamentum meum.
Pag. Præuenerunt me, &c. & fuit Dominus baculus mihi.
Arias. In die exitij mei, & fuit, &c. fulcrum mihi.

Caiet. Sustentaculum.
Tigur. Præueterant tempore calamitatis.
Malu. Anteriorabant me in die improuisæ calamitatis meæ.
Alij Qui me temporibus aduersitatis occupauerant.
Alij. Præuenient me in die interitus mei.
Sep. Rom. Præuenerunt me dies tribulationis meæ.
Reg. Perditionis meæ.
Cald. Anticipauerunt me in die, in die migrationis meæ, ac fuit dictum Domini sustentaculum mihi.
Arab. In die persecutionis, sed Deus fuit adiutor meus.
Vulg. Et eduxit me in latitudinem: liberauit me, quia complacui ei.
Tigur. Educebat me in locum spatiosum, eripiat me, fauebat enim mihi.
Malu. Exire fecit, extrahet me, quia bene complacuit sibi in me.
Sep. Rom. Quoniam bene sensit de me.
Reg. Quia voluit me.
Syr. Quia gratus.
Arab. Eduxit me ex angustia, &c. adiuuit me ob amorem suum erga me.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DE inimico meo potentissimo. **Sep. Rom.** De inimicis meis fortitudinis. Id est, fortibus, est enim Hebraismus, vnde **Reg.** E fortitudinæ inimicorum. Præuenit me, **Alij,** Anticipauerunt me, scilicet hostes. In die afflictionis, **Alij,** Perditionis, interitus. Respectum volunt ad illud quo Saül misit lictores, vt eum in lecto deferrent ad occidendum. Firmamentum meum, **Alij,** Baculus, fulcrum. **וַיְהִי מִשְׁבְּחָן** mischghan, sustentaculum, fulcrum, fulcimentum, baculus, scilicet pedum subsidium dicitur. Quia complacui ei, **Alij,** Quia fanit, voluit, singulari amore me diligens.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Ps. 17.** **M**isit de excelfo. Hic consequenter describitur forma, siue modus liberationis ipsius Dauid, qui modus factus est virtute diuina, & primò describitur modus suæ liberationis, per modum euasionis de manu aduersariorum; secundò per modum insecutionis, & destructionis eorum, ibi: In te enim curram accinctus. Prima in duas: in partem principalem, & incidentalem; secunda, ibi: Cum sancto. Circa primum dicitur.
LYRAN. **Ps. 18.** Liberauit me. Scilicet, Deus sua gratia & virtute.
Ab inimico. Id est, secure.
Et ab his qui oderunt me. Absalom, & suis sequentibus.

Quoniam. Et in hoc confitetur Dauid se liberatum virtute diuina, non suâ.

Præuenit me in die afflictionis meæ. Quia cum desperaret se non posse euadere à facie Saül, vt habetur supra lib. 1. c. 23. venit nuntius ad Saül, dicens: Festina, & veni, quoniam Philistin confuderunt se super terram. Quod factum fuit ordinatione diuina, vt Saül dimitteret persequi Dauid.

Et eduxit me in latitudinem. Quia Dauid, qui à Saül, & viris eius, erat circumdatus in modum coronæ, vt ibidem dicitur, recedente Saüle liber potuit ire quo voluit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 21. ad 27.

Vulg. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: & secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.
Arias. Restituit, &c. retribuit mihi.
Malu. Secundum puritatem, &c. reuertere faciet mihi.
Cald. Secundum meritum meum, &c. reddidit mihi.
Arab. Rependit mihi.
Vulg. Quia custodiui vias Domini, & non egi impiè à Deo meo.

Malu. Obseruauit, & non improbè egi.
Cald. Quia rectæ sunt ante Dominum, & non ambulauit in improbitate ante Dominum.
Caiet. Non inalienatus sum à Deo meo.
Syr. Nec rebellauit.
Arab. Nec defeci.
Vulg. Omnia enim iudicia eius in conspectu meo: & præcepta eius non amoui à me.
Pag. Et statuta eius: non recedam ab eo.
Caiet. Non amouebo.

Malu. Iudicia eius præsentia meæ, & constituta eius, non discedam de ex eo.

Sep. Iustificaciones eius.

Cald. Iudicia eius reuelata apud me, ad faciendum ea, & fœdera eius.

Syr. Leges eius non reieci à me.

Vulg. Et ero perfectus cum eo: & custodiam me ab iniquitate mea.

Arias. Fui perfectus ei, & custodiui me.

Malu. Fui consummator ei, & obseruare me feci de prauitate mea.

Sep. Rom. Ero immaculatus ei, & præcauebo.

Reg. Et custodiam.

Cald. Fui perfectus in timore eius, & custodiui animam meam.

Arab. Cum eo candidè me gesserim, & à peccatis deuitauerim.

Vulg. Et restituet mihi Dominus secundum iustitiam meam: & secundum munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum meorum.

Vulg. Cum sancto sanctus eris: & cum robusto perfectus.

Pag. Cum pio pius eris, & cum perfecto, &c.

Arias. Cum forti perfecto perfectus.

Caiet. Cum gratioso gratiosum ages, cum viro perfecto perfectum ages.

Tigur. Qui bonitati studet, ei benignè facies, & erga vltimum simpliciter integrum, integrum te exhibes.

Malu. Cum benigno benignè ages, cum præualido consummè ages.

Sep. Rom. Cum sancto sanctificaberis.

Reg. Et cum innocenti innocens eris.

Cald. Abraham qui inuentus est pius ante te, ideo multiplicasti facere misericordiam cum semine eius. Isaac qui fuit perfectus in timore tuo, idcirco perfecisti dictum voluntatis tuæ cum illo.

Syr. Viro integro integer eris.

Arab. Cum viro improbo malè te geris.

Vulg. Cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris.

Pag. Cum mundo mundus eris.

Arias. Et cum peruerso peruersum te facies.

Caiet. Mundum ages, cum tortuoso tortuosum ages.

Malu. Cum expurgato expurgatè ages, & cum hypocrita complicatè ages.

Alij. Cum purificato purificabis te.

Alij. Cum peruerso eluctaris.

Cald. Iacob qui ambulauit in puritate ante te, elegisti filios eius ab omnibus gentibus, Pargho, & Mizraeos, qui excogitabant cogitationes malas super populum tuum, confundisti illos in cogitationibus suis.

Syr. Cum obliquo obliquè te geris.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non egi impiè à Deo meo, Alij, Non malignus sum à Deo meo, non ex malitia declinaui. Non amouì à me, Alij, Non discedam ex eo. Est אשור *asur*, futurum cal: Additur in Heb. De ex eo. Id est, ab vltimo, à quoquam ex eius præceptis, & institutis. Et custodiam me ab iniquitate mea. Alij, Obseruare me feci. Verbum est formulæ hithpael, vigilem & attentam obseruationem significans. Secundum munditiam manuum mearum, Alij, Secundum puritatem meam, sed legitur etiam in Psal. 17. vt hîc. Cum sancto sanctus eris, Alij, Cum pio, gratioso. חסיד *chafid*, benignus, pius, misericors, sanctus interpretatur. Sanctus, Alij, Gratiosum ages. Est תהחטת *thitchassad*, & est formulæ hitpacl, gratiosum ages, benignè facies: Electus eius, Alij, Mundum te præbebis, &c. Est תתבר *titabar* etiam in hitpacl, vnde variè redditur: Mundum te præbebis, expurgatum, purificatum te exhibebis. Peruerteris. Alij, Cum tortuoso tortuosum ages, &c. Vox שפץ *ghikkesh*, interpretatur peruersus, tortuosus, versutus, fallax, hypocrita, & פתל & patal, peruersè ages, distortum te præbebis, fallacem, hypocritam, &c.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **R**etribuet mihi. Ex hoc enim quod Saül pepercit, cum tamen posset eum occidere, vt habetur supra lib. 1. c. 24. & 26. & quia Absalom se persequentem saluare voluit, ne in peccato mortali moreretur, prout dictum fuit, supra cap. 18. ex misericordia fuit dispositus ad hoc, quod Deus esset sibi misericors, & propitijs, in dando sibi gratiam in præsentem, & gloriam in futuro, secundum illud Matth. v. *Beati misericordes, &c.*

ESTIUS. *Retribuet mihi, &c.* Notandus locus contra hæreticos nostri temporis qui dicunt iustitiam nostram nullam apud Deum retributionem mereri. Hîc enim Dauid apud Deum suam iustitiam præterdit, & pro ea à Domino iustam retributionem expectat. Respicit autem Dauid hoc loco, potissimum ad innocentiam, & clementiam suam, qua vsus est erga Saülem hostem suum capitalem, quem cum semel, atque iterum haberet in manibus, & occidere posset, tamen ei pepercit, eo quod esset Christus, id est, vnctus Domini. Quod eo respiciat, patet. Quia hoc Canticum Dauid, idem est cum Psal. 17. nisi quod verba multa hîc aliter legantur, vtpote versâ immediatè ex Heb. cum Psalmi sint ex versione Sep. At vero titulus Psalmi illius sic habet. *Psalmus Dauid in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saül.* Adde quod 1. Reg. 26. vbi coram Saül, cui pepercit, suam innocentiam allegat, similia quoque verba habet, dicens: *Dominus autem retribuet unicuique secundum iustitiam suam, &c.*

LYRAN. *Omnia enim, &c.* Vt caueam ab eorum transgressione.

LYRAN. *Et ero, &c.* Quia in coniunctione ad Deum per charitatem consistit essentialiter perfecta visio.

LYRAN. *Et custodiam me ab iniquitate.* Cauendo diligenter de cætero à reciduo.

A Cum sancto sanctus eris: & cum robusto. Hic est pars incidentalis, quia Dauid locutus fuerat de sua liberatione propter suam innocentiam, ideo hîc incidentaliter ostendit Dei misericordiam, & benignitatem generaliter erga bonos, dicens ipsi Deo, *Cum sancto sanctus eris*, quia sanctus te sanctum confitebitur à quo sua sanctitas deriuatur, *Et cum robusto, &c.* Ad tolerandum aduersa patienter.

Perfectus. Scilicet eris, dando sibi gratiam tolerandæ aduersa non solum patienter, sed etiam suscipiendi gaudenter, sicut Martyres gaudebant in passionibus, quod est maximæ perfectionis in virtute fortitudinis.

B *Cum sancto sanctus eris, & cum robusto perfectus. Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Hanc sententiam vulgo referunt ad conuersationem hominum inter se. Vt sensus sit. Si cum sancto homine conuerseris, & ipse sanctus euades, & è contra; Si cum peruerso, & impio, talis quoque ex eius commercio efficieris. Et in genere: Quales sunt, cum quibus conuersaris, talis ex eorum conuersatione euades. Sensus pius est, sed non proprius huic loco. Verba enim sunt Dauid loquentis ad Deum, & docentis, qualem se Deus gerat erga vnumquemque hominem, vel bonum, & innocentem, vel malum, seu peruersum. Sensus igitur est. Cum sancto, & innocente homine sanctus es, benignus & clemens, retribuendo ei secundum suam sanctitatem, innocentiam & iustitiam; Cum peruerso autem peruerteris, id est, durus, & seuerus eris, retribuendo ei secundum suam peruersitatem, & malitiam. Hinc August. Et cum peruerso videris peruersus, quoniam dicunt; Non est recta via Domini, cum ipsorum via non sit recta. Vide etiam Psal. 17.

LYRAN. Et cum electo. Ad vitam beatam ex tua liberalita- A
 y. 27. te. Electus eris. Quia eliget te, omnibus aliis contemp-
 tis. Et cum peruerso peruerteris. Reddendo ei pœnam se-
 cundum peruerfiratem suam, iustè tamen ex parte tua:
 vel aliter, *Cum peruerso*, &c. Scilicet secundum iudi-
 cium suum erroneum, quia homines peruersi cum ab
 eo puniuntur, dicunt Deum cum eis peruersè age-
 re.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 28. ad 31.

Vulg. Et populum pauperem saluum facies: oculif-
 que tuis excelsos humiliabis.
Arias Populum afflictum, &c.
Pag. Pones super excelsos.
Vatab. Deiciis eos.
Malu. Super eleuatos.
Reg. Mansuetum.
Cald. Et populum miserum tu futurus es vt salues, &
 in dicto tuo forti, eos qui inualescunt super illos, hu-
 miliabis.
Arab. Oculos sese efferentes.
Syr. Deprimes.
Vulg. Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illu-
 minabis tenebras meas.
Arias. Illustrabis obscuritatem meam.
Malu. Splendere facies tenebrositatem meam.
Sep. Rom. Dominus illuminabit.
Reg. Quoniam tu illuminabis lucernam meam Domine,
 & Dominus illuminabit in tenebris meis.
Cald. Quoniam tu ipse, tu es lux ipsius Israël, & Do-
 minus educet me de obscuritate in lucem, & videre
 me faciet in sæculo quod futurum est, quod futurum
 est vt eueniat iustis.
Arab. Tu accendes lucernas meas, per te clarescent te-
 nebræ meæ.
Vulg. In te enim curram accinctus: in Deo meo transi-
 liam murum.
Pag. In te conteram exercitum.
Arias. Percurram agmen.

Malu. Curram latrocinium, &c. transilium propugnacu-
 lum.
Tigur. In te militares cuneos perumpo.
Cald. Quia in dicto tuo multiplicabo castra, & in dicto
 Dei mei subigam omnes arces validas.
Arab. Ego enim per te adipiscar facultatem currendi post
 eos qui sunt tui similes, ô Deus meus, tuaque virtute
 transilium murum.
Vulg. Deus, immaculata via eius, eloquium Domini igne
 examinatum: scutum est omnium sperantium in se.
Pag. Perfecta via, &c. sublimatum.
Arias. Conflatum.
Caiet. Purificatum.
Vatab. Purum.
Tigur. Repurgatum.
Malu. Consummata, &c. dictum Iuh vltum, circum-
 munitum, ipse omnibus protegentibus ab eo.
Sept. Rom. Fortis, immaculata via eius, verbum Domini
 potens, igni examinatum, protector est omnibus con-
 fidentibus super eum.
Reg. vt Vulg.
Cald. Deus noster est, cuius viæ rectæ eius, lex Domini
 electa est, ipsa est fortitudo omnibus qui confidunt in
 eo.
Syr. Eloquium Domini purgatissimum.
Arab. Deus iustissimus est, & nullum in viis eius
 vitium, sermo Domini est in veritate probatissi-
 mus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Populum pauperem, Alij, *Afflictum*, *humilem*. Vox עני *ghani*, hæc significata complectitur. *Illuminabis tene-
 bras meas*, Alij, *Splendere facies tenebrositatem meam*: aduersa propellens immisilis prosperis: luce enim prospera
 intelliguntur, sicut tenebris aduersa. *In te curram accinctus*, Alij, *Conteram exercitum*, &c. Futurum ארוץ
 ארוץ, quidam à רצף *ratsbats* concutere, alij à רוץ *ruts* deriuant, quod est currere, hinc varia lectio cum eodem
 tamen sensu, nempe quodd accinget se rursus armis, & quodd ab hostibus victor euadet, vrbesque eius muratas, li-
 cèt munitissimas conscendet, & ingredietur, Per latrocinium autem intelligit prædam, quam ab inimicis extrahet.
Ignem examinatum, Alij, *Sublimatum*, *vltum*, &c. צרופה *tseruphab* vltum, excoctum, confatum, repurgatum, exa-
 minatum, probatum, defæcatum, velut igne exploratum interpretatur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T populum pauperem. Id est, abiectum, & humi- B
 y. 28. lem. & illuminantur recuperata gratia.
Saluum facies: oculisque, &c. Quia secundum quod L Y R A N.
 dicitur Iacob. 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat* V. 30.
gratiam.
 LYRAN. *Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illumi-
 nabis tenebras meas.* Quod potest intelligi dupliciter. Lu-
 y. 29. cerna enim est lumen in testa, & ideo lumen naturale
 intellectus humani positum in corpore terreo, bene di-
 citur lucerna Domini, quia lumen naturale rationis, est
 quædam impressio diuini luminis, secundum illud Psal.
 4. v. 6. Signatum est super nos lumen, &c. Item Deus
 præfens homini per gratiam suam, dicitur enim lucer-
 na, quia omnis creatura ad Deum comparata, tenebræ
 est: idèò subditur.
Et tu Domine illuminabis tenebras meas. Potest etiam
 dici, quod tenebræ hîc vocantur opera meritoria per pec-
 catum mortale superueniens extincta, quæ viuificantur,

In te. Hic ponitur liberatio David per modum infrac- L Y R A N.
 tionis, & destructionis aduersariorum suorum, cum dici- V. 30.
 tur. *In te.* Id est, in tua virtute.
Curram accinctus. Id est, ad prælium expeditus.
In Deo meo. Capiendo aduersarios intra suum fortali-
 tium.
Deus immaculata. Via ista est lux diuina, in qua non L Y R A N.
 est aliqua immunditia concessa tanquam licita, licèt ali- V. 31.
 qua mala fuerint permilla propter maiora mala euitanda,
 sicut libellus repudij permillus fuit in lege veteri, & vsura
 cum extraneis, ne vxores occiderent, & ne fratres suos
 vsuris grauarent, prout dictum fuit plenius Deut. 25. &
 26.
Eloquium Domini. Id est, purum, & mundum, sicut
 metallum in fornace probatum.
Scutum est. Scilicet ipse Deus.

VARIETAS LECTIONVM à *Verf. 32. ad 36.*

Vulg. Quis est Deus præter Dominum : & quis fortis præter Deum nostrum ?
Arias. Et quis petra præter, &c.
Sep. Rom. Quis fortis præter Dominum, & quis creator erit præter Dominum?
Cald. Nec quis sit fortis.
Syr. Nec est qui sit potens.
Vulg. Deus qui accinxit me fortitudine: & complanauit perfectam viam meam.
Pag. Deus fortitudo mea in exercitu, soluit perfectam, &c.
Arias. Fortitudo mea virtutis.
Calet. Accingit.
Tigur. Qui me virtute roborat, facit expeditam, &c.
Malu. Et obfirmatio mea, strenuitas, & transilire fecit consummatum, &c.
Sep. Rom. Fortis confortans me virtute, explanauit immaculatam, &c.
Reg. Deus corroborans me.
Cald. Deus qui auxiliatus est mihi in virtute, & constituit perfectam, &c.
Syr. Deus, qui cinxit me robore, & viam meam fecit irreprehensibilem.
Vulg. Coæquans pedes meos ceruis, & super excelsa mea statuens me.
Pag. Ponens pedes meos tanquam ceruas.
Malu. Stare faciet me.

Cald. Et super domum fortitudinis meæ statuit me.
Arab. Firmos solidosque reddidit pedes meos, sicut pedes ceruorum, & collocauit me in editissimo locorum.
Vulg. Docens manus meas ad prælium, & componens quasi arcum æreum brachia mea.
Lyrans. Concussus arcus.
Alij. Remissus, depressus.
Pag. Contritus est arcus æreus brachiis meis.
Malu. Consternatus erit.
Sep. Confringens arcum, &c. brachio meo.
Reg. Frangens super brachia mea.
Cald. Fortificans vt arcum, &c. brachia mea.
Arab. Roborauit.
Vulg. Dediti mihi clypeum salutis tuæ, & mansuetudo tua multiplicauit me.
Lyrans. Et mansuetudo mea.
Pag. Et in mansuetudine tua multiplicasti me.
Calet. Multiplicabis.
Malu. Dediti mihi circummunimentum, &c. & afflictio tua multiplicauit.
Sep. Rom. Placabilitas tua.
Reg. Humilitas tua.
Cald. Dediti mihi fortitudinem liberationis, & liberaisti, & in dicto tuo multiplicasti.
Syr. Dexteræ tuæ fulciet me, & correctio tua nutriet me.
Arab. Humilitas tua magnificet me.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quis fortis, Alij, Quis petra. Est enim *צור tsur*. Deus, qui accinxit me fortitudine, Alij, Deus fortitudo mea in exercitu, scilicet qui dedit mihi virtutem in prælio: *Complanauit perfectam viam meam.* Alij, *Soluit, facit expeditam, explanauit.* Vox *Iather* non est satis perspicua: Sensus est, planam fecit, constrauit, Alij, irreprehensibilem, immaculatam fecit, &c. Id est effecit vt vitæ meæ ratio sit inculcata. *Coæquans pedes meos ceruis*, hoc est vt habet *Cald.* *Fecit pedes meos veloces instar cernuarum.* *Componens, quasi arcum æreum brachia mea*, Alij, *Concussus est, contritus brachiis meis.* Heb. *נחט* *nichat*, qui deducunt à *חטח chathath*, vertunt contritus, concussus, qui à *נחת nachath*, remissus, depressus; & sensus tam Interpretis, quam aliorum est, quod ita fortis vt confringeret arcum æreum brachiis suis, quod arcus ex ære à se contereretur: *Mansuetudo tua*, Alij, *Afflictio, placabilitas, humilitas.* Heb. *ענות ghanenoth*, seu vt est in *Pl. 17.* *ענוה ghananah*, est apud aliquos mansuetudo, benignitas, apud alios afflictio, humilitas, sed vario sensu, licet utroque genuino, qui enim habent: *Mansuetudo tua multiplicauit*, exponunt, benignitas tua, & misericordia tua, vt multiplicarentur exercitus mei, vel multiplicauit me dignitate, opibus, &c. *Qui autem legunt afflictio tua, humilitas, multiplicauit me*, id est castigatio, tua institutio tua, depressio tua erexit me, & cumulatè rectum reddidit. *Lyrans.* legens *mansuetudo mea* explicat quod meritorie multiplicauerit eum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **Q**uis est. Quasi dicat, quia alij sunt Dij participatiue, scilicet homines sancti, secundum illud *Pfalm. 81. v. 6.* Ego dixi, Dij estis, vel Dij falsi, sicut idola gentium. **LYRAN.** **V. 32.**
- LYRAN.** *Deus qui, &c.* Corporali contra hostes visibiles, & spirituali, contra inuisibiles. **LYRAN.** **V. 33.**
- LYRAN.** *Coæquans.* Dando mihi agilitatem ad insequendum hostes meos fugientes, & est locutio hyperbolica, quia non habuit tantam velocitatem currendi sicut ceruus, sicut dicitur, talis mulier est albior niue, ad designandum excellentiam suæ albedinis, quamuis non sit ita alba sicut nix. **LYRAN.** **V. 34.**
- Et super excelsa mea, &c.* Id est, stabilis in regia dignitate.
- B** *Docens manus meas ad prælium.* Quia artem præliandi me docuit. **LYRAN.** **V. 35.**
- Et componens quasi arcum.* Id est, fortitudinem ad hoc conuenientem mihi dedit: in Hebr. habetur *נחת venichath*, id est, & concussus est arcus æreus brachiis meis: quia arcum æreum faciliter tendebat, vt dicit *Rabb. Sal.*
- Dediti, &c.* Quasi dicat, fortitudo mea parum esset, nisi adesset protectio tua. **LYRAN.** **V. 36.**
- Et mansuetudo.* Est enim dispositio ad hoc quod homo multiplicetur in bonis temporalibus, & spiritualibus, secundum *Matth. v. Beati mites, &c.* In Hebr. habetur, *ענות ghanothecha*, id est, mansuetudo tua multiplicauit me: & est sensus, & ex benignitate tua prouenit mihi multiplicatio in bonis temporalibus, & spiritualibus, & prole, & non ex merito meo.

VARIETAS LECTIIONVM à *Vers. 37. ad 42.*

Vulg. Dilatabis gressus meos subtrus me : & non deficiet tali mei.

Pag. Et non declinauerunt.

Arias. Et non nutabunt vertebrae meae.

Varab. Crura mea.

Malu. Non vacillauerunt.

Sep. Reg. Dilatasti, &c. & non defeci in viis meis.

Cald. Auxisti, &c. & non est commotus poples meus.

Arab. Nec debilitati sunt pedes mei.

Vulg. Persequar inimicos meos, & conteram : & non conuertar donec consumam eos.

Pag. Et disperdam eos.

Arias. Et non redibo vsque consumere eos.

Malu. Maleuolentes meos, & aboleui eos.

Arab. Quæram, & apprehendam eos.

Vulg. Consumam eos, & confringam, vt non consurgant : cadent sub pedibus meis.

Pag. Et perfodiam eos.

Arias. Et transixi eos.

Tigur. Exscindam.

Malu. Infeci eos.

Cald. Exterminaui eos, nec potuerunt stare ante me, & ceciderunt occisi subtrus plantam pedum meorum.

Vulg. Accinxisti me fortitudine ad prælium : incuruasti re-

sistentes mihi subtrus me.

Arias. Me virtute.

Malu. Strenuitate castioni curuatis cruribus surgentes meos.

Alij. Sparxisti mihi.

Sep. Rom. Confortabis me.

Cald. Roborasti me ad gerendum bellum, fregisti populos qui insurgabant vt malefacerent.

Vulg. Inimicos meos dedisti mihi dorsum : odientes me, & disperdam eos.

Pag. Dedisti mihi ceruicem, &c. excidi.

Tigur. Efficis vt terga mihi vertant hostes.

Malu. Et constrinxi eos.

Sep. Rom. Et morti tradidisti eos.

Cald. Fregisti ante me : vertentes ceruicem authores inimicitiae meae.

Syr. Ceruicem inimicorum meorum exposuisti mihi.

Vulg. Clamabunt, & non erit qui saluet : ad Dominum, & non exaudiet eos.

Arias. Et non respondit eis.

Malu. Aspicient blandè.

Sep. Et non est adiutor.

Cald. Quærentes auxilium, & non fuit eis liberator, orantes ante Dominum, & non fuit accipiens oratione eorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non deficient tali mei, Alij, *Non nutabunt vertebrae meae, crura.* Deficere talos, idem est quod lassare pedes, neque in locis etiam firmis posse consistere. *Confringam.* Alij, *Perfodiam.* Sic enim in Heb. חמץ *chamatz*, confodere, transfodere significat. *Accinxisti me,* Alij, *Sparxisti mihi.* Heb. וזרני *vazzeni*, quidam deducunt à זרה *zarab.* Et sparxisti, scilicet per omnia mea, fortitudinem, robur, sed alijs ab זר *azar*, quod est accingere. *Inimicos meos dedisti mihi dorsum;* Alij, *Dedisti mihi ceruicem,* vt scilicet iugo meo ceruices submitterent. *Clamabunt :* Alij, *Aspicient.* וישבחו *uisabhu*, à שבע *saghab*, aspicient. Psal. 17. scribitur ישבחני *ieschaegu*, à שוע *schuagh*, quod est exclamare, vociferare. *Et non exaudiet,* Alij, *Et non respondebit.*

ANNOTATIONES.

LYRAN. v. 37. **D**ilatasti. In Heb. Heb. *Passus meos.* Quando enim pedes sunt coniuncti adinuicem, tunc homo est dispositus ad cadendum, sed quando sunt conuenienter elongati, tunc stat firmius. Per hanc igitur similitudinem intelligitur, quod firmitas in statu regio inerat ipsi Dauid à Deo. Cætera patent ex dictis vsque ibi.

A **Et non erit.** Quia in eis nulla virtus est saluandi. Vel aliter. *Clamabunt.* Inuocando auxilium humanum : & non erat, qui auderet iuuare. *Ad Dominum.* Conuertent se humano auxilio deficiente. *At non, &c.* Quia talis clamor precedit ex seruili timore.

LYRAN. v. 42.

VARIETAS LECTIIONVM à *Vers. 43. ad 46.*

Vulg. Delebo eos vt puluerem terræ : quasi lutum platarum comminuum eos, atque confringam.

Pag. Distendam eos.

Malu. Leuifeci eos, &c. attenuabo eos, expandam eos.

Sep. Rom. Tanquam lutum viarum comminui eos.

Cald. Calcaui eos, & conculcaui illos.

Arab. Calcabo eos, quasi calcatur semen in viis tritis.

Vulg. Saluabis me à contradictionibus populi mei : custodies me in caput gentium : populus, quem ignoro, seruiet mihi.

Arias. Eruiisti me à contentionibus.

Caiet. Saluasti me à litibus populorum.

Sep. Rom. Erue me de pugna, & populus quem non no-

ui.

Reg. Quem non cognoui.

Cald. Liberasti me de medio populi; præfecisti me caput omnibus gentibus.

Arab. In iudicii populi constitues me in principem.

Vulg. Filij alieni resistent mihi, auditu auris obedient mihi.

Vulg. Filij alieni defluxerunt, & contrahentur in angustiis suis.

Lyran. In clausuris suis.

Pag. Contremiscent à clausuris.

Arias. Et cingent se.

Caiet. Filij alieni arescent.

Tigur. Marcescebant, & pauebant in penetralibus suis.

Malu. Filij nothi defluent.

Alij. Pauore concutientur ex penetralibus suis.

Sep. Rom. Abiicientur.

Reg. Et errabunt ex angustiis.

Cald. Filij gentium defecerunt, & commoti sunt de palatibus suis.

Arab. Retrahent se à via sua, excæcabantur à semitis suis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cominuum eos, Alij, *Distendam attenuando eos.* Ita Pag. Alij, *Calcabo,* vilissimo prætio eos habens. *A contentionibus,* Alij, *A litibus, rixis,* quas in me mouit populus. *Custodies me in caput gentium.* Bene Arab. *Pones me in principem gentium.* *Resistent mihi,* Alij, *Mentiti sunt mihi, negauerunt.* Verbum פחד *pachafsch*, quod hic in futuro hitpacl ponitur, & Psal. 17. in piel, variè redditur per mentiri, per negare se, & est sensus : Mendaciter sese dederunt mihi, negauerunt pacta, & fœdera, Alij vertunt, *defraudabuntur,* id est votis suis excident, quibus sperabant me perdi-

turos. *Auditu auris obedient mihi*, Alij, *Audient sermonem meum*; sed mendaci animo. *Defluerunt*. Alij, *Arescent*. נבב nabal, defluere, clangescere, arescere significat. *Contrahentur*. Alij, *Pauebunt*, commoti sunt, constringentur, scilicet ex nimia angustia, & formidine pœnæ. *In angustiis suis*. Alij, *In clausuris suis*, penetrabilibus, &c. מסגרתה misgherotham, variè transfertur, vt videre est in lectionibus, vnde qui reddunt claudicauerunt, scilicet ex grauitate compedum ac vinculorum, quibus derenti sunt in clausuris carcerum, qui habent *Commoti sunt*, de palatiis in quibus scilicet se ex timore concluderant.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *S*aluabis me, &c. Id est, saluasti.
 V. 44. *A contradictionibus populi mei*. Id est, in rebellione populi mei contra me excitata per Seba filium Bochri, vt dictum est supra 20. cap.
Custodies me in ca. Id est, in statu regni.
Populus quem. Quia Philistæi, Ammonitæ, & Moabitæ, & Idumæi seruibant ei sub tributo, vt patet ex prædictis, cap. 8. & 11. qui tamen erant Gentiles & idololatræ, & sic erant ignoti ipsi Dauid notitia approbationis.
 LYRAN. *Filij alie.* Id est, illi qui deberent esse filij mei, per malitiam suam alienati restiterunt mihi, vt patuit supra in re-

A bellione Absalom & aliorum existentium cum eo: qui tamen debebant obedire Dauid sicut patri.

Auditu auris. Id est, simulatoriè & non verè, quia Absalom & sui sequaces qui simulabant se Dauid obediens, de facto fuerunt rebelles.

Filij alieni. quia debellati fuerunt, & mortuo Absalom LYRAN. fugerunt, vt dictum est supra. 18. V. 46.

Et contra. In Hebræo habetur, *In clausuris suis.* Quia Seba cum fautoribus suis præ timore reclusit se in Abela, vbi fuit decapitatus, vt dictum est supra 20.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 47. ad 51.

Vulg. Viuit Dominus, & benedictus Deus meus; & exaltabitur Deus fortis salutis meæ.

Pag. Et benedictus fortitudo mea, exaltetur Deus fortitudo.

Arias. Benedictus petra mea.

Sept. Rom. Benedictus custos meus.

Cald. Permanet ipse Dominus & benedictus fortis ex eo quod ab ante eum dabitur nobis robur, & liberatio, & ex alto Deus noster robur liberationis nostræ.

Syr. Benedictus fit liberator meus.

Arab. Magnifico Deum seruatorem.

Vulg. Deus qui das vindictas mihi, & deiicis populos sub me.

Arias. Submittens subtus me.

Caiet. Deducens.

Malu. Descendere faciens.

Sept. Rom. Castigans. Reg. Humiliauit.

Cald. Frangit gentes, quæ stant vt mihimalefaciant.

Vulg. Qui educis me ab inimicis meis, & a resistens mihi eleuas me, a viro iniquo liberabis me.

Arias. A viro rapinarum liberabis me.

Malu. Exire faciens me de malevolentibus meis, de viro violentiarum eripies.

Sept. Viris iniquitatum.

Reg. De viris iniquis.

Cald. Qui liberabis me ab oforibus meis, & contra eos qui stant vt malefaciant mihi, roborabis me ab exercitu raptorum, &c.

Vulg. Propterea confitebor tibi Domine in gentibus, & nomini tuo cantabo.

Pag. Psallam.

Malu. Meditabor.

Cald. Dicam laudes.

Arab. Nomen tuum celebrabo.

Vulg. Magnificans salutes Regis sui, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius in sempiternum.

Arias. Turris salutem regis sui (Ita Malu) Et faciens benignitates vncto suo.

Cald. Qui multiplicat liberationem facere cum rege suo.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DEiicis populos sub me. Alij, *Submittens, descendere faciens*, Qui antea eleuabantur subiecisti deditio, castigans populos sub me, non enim leue supplicium aliis nolentibus subiici. *A viro iniquo liberabis me.* Alij, *A viro rapinarum, iniquitatum*, Id est, a viro violentissimo. *Magnificans salutes.* Alij, *Turris salutem.* Hebr. in contextu מגדל Magdil. participium hiphil grande faciens, magnificans. In margine est מגדול magdol, turris, ara salutem, id est plenæ & omnimodæ salutis.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *V*iuu do. Hic ponitur huius cantici intenta conclusio, B videlicet diuini nominis magnificatio pro prædictis beneficiis, & hoc est quod dicitur, *Viuu*. Quia est ipsa vita per essentiam, & omnia viuunt in eo, secundum quod dicitur Ioan. 1. *Quod factum est*, Scilicet, omnis creatura. *In ipso vita erat.* Quia creatura antequam crearetur non est nisi ipsa creatrix essentia, quæ est idem quod intelligere diuinum, siue intelligentia diuina, & quia intelligere est supremus gradus vitæ, vt habetur 11. de Anima, & Deus solus vnico actu intelligendi perfectè se comprehendit & omnia, qui quidem actus est sempiternus, ideo dicit Philosoph. 12. Metaphysicæ. Quod Deus viuunt vita nobilissima, sempiterna & optima.

Et benedi. Ex beneficiis mihi collatis.

Et ex. Non in se, cum sit magnitudinis infinitæ, sed in creaturis ipsum laudantibus.

LYRAN. *Deus.* Vt patet ex præcedentibus, propter quod concluditur.

V. 49.

Propterea. In psalmis laudi tuæ.

Ingenti. Quia Psalmi facti à Dauid deriuati sunt ad gentes conuersas ad fidem Christi in diuersis partibus orbis.

Magnificans. Id est, mei, qui sum constitutus rex ab eo.

Et faciens. Qui de mandato Dei vnctus fuit à Samuèle, vt habetur supra. primo lib. 17. cap.

Et semini. Quia filij Dauid regnauerunt vsque ad captiorem Babylonicam, & post reuersionem de Babylone Zorobabel, qui descendit de Dauid, habuit ducatum super populum, & alij consequenter de tribu Dauid vsque ad Herodem alienigenam, sub quo natus est Christus de semine Dauid secundum carnem, cuius regnum & imperium manet in secula seculorum amen. Et ista fuerunt diffusius tractata Genesis 49. & Matth. 11. In quadam quæstione de quolibet is quam de hac materia diffusius disputauit.

LYRAN. V. 50.

LYRAN. V. 51.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS.

Symmarium totius Psalterij Davidis, & Catalogus virorum ipsius illustrium.



1. Hæc autem sunt verba David nouissima. Dixit David filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius psalter Israel: 2. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. 3. Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel, Dominator hominum, iustus dominator in timore Dei. 4. Sicut lux auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat, & sicut pluuiis germinat herba de terra. 5. Nec tanta est domus mea apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas, nec est quidquam ex ea quod non germinat. 6. Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi: quæ non tolluntur manibus. 7. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque succensæ comburentur vsque ad nihilum. 8. Hæc nomina fortium David. Scdens in Cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. 9. Post hunc Eleazar filius patru eius Ahohites inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobrauerunt Philistiim, & congregati sunt illuc in prælium. 10. Cumque ascendissent viri Israel, ipse stetit & percussit Philistæos, donec deficeret manus eius, & obrigesceret cum gladio: fecitque Dominus salutem magnam in die illa: & populus qui fugerat, reuersus est ad cæforum spolia detrahenda. 11. Et post hunc, Semma filius Age de Arari, & congregati sunt Philistiim in statione: erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus à facie Philistiim, 12. stetit ille in medio agri, & tuitus est eum, percussitque Philistæos: & fecit Dominus salutem magnam. 13. Nec non & antè descenderant tres qui erant principes inter triginta, & venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam: castra autem Philistinorum erant posita in Valle gigantum. 14. Et David erat in præsidio: porrò statio Philistinorum tunc erat in Bethleem. 15. Desiderauit ergo David, & ait: O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethleem iuxta portam! 16. Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad David: at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino, 17. dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere, hæc fecerunt tres robustissimi. 18. Abisai quoque frater Ioab filius Saruix, princeps erat de tribus: ipse est qui leuauit hastam suam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus, 19. & inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed vsque ad tres primos non peruenerat. 20. Et Banaias filius Ioiadæ viri fortissimi, magnorum operum, de Cabseel. Ipse percussit duos leones in media cisterna in diebus niuis. 21. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam: itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptij, & interfecit eum hasta sua. 22. Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ. 23. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores: verumtamen vsque ad tres non peruenerat: fecitque eum sibi David auricularium, à secreto. 24. Asael frater Ioab inter triginta, Elchanan filius patru eius de Bethleem. 25. Semma de Harodi, Elica de Harodi, 26. Heles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua, 27. Abiezer de Anathoth, Mobonnai, de Hufati, 28. Selmon Ahohites, Maharai Netophathites, 29. Heled filius Baana, & ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, 30. Banaia Pharathonites, Heddai de Torrente Gaas, 31. Abialbon Arbathites, Azmaueth de Beromi, 32. Eliaba de Salaboni. Filij Iassen, Ionathan, 33. Semma de Orori, Aiam filius Sarar Arorites, 34. Eliphelet filius Aasbai filij Machati, Eliam filius Achitopel Gelonites, 35. Hefrai de Carmelo, Pharai de Arbi, 36. Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi, 37. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Ioab filij Saruix, 38. Ira Iethrites, Gareb, & ipse Iethrites, 39. Vrias Hethæus. Omnes triginta septem:

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 3.

Vulg. Hæc autem sunt verba David nouissima. Dixit David filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius psalter Israel.

Pag. Dulcis carminibus.

Calet. Et iucundus psalmis.

Arias Dixit vir constitutus excelsus vnctus Dei.

Malu Fidelis sermo Davidis, sermo præualidi, surgere factus fuit excelsus iocundus modulationum.

Alij. Qui erectus est superum.

Hieron. in trad. Hebr. Dixit vir cui constituta est Scala

Christo Dei Iacob.

Sept. Rom. Fidelis vir quem suscitauit, &c. Et decori psalmi.

Reg. Pulcher psalmus.

Cald. Hæc verba prophetiæ David quæ vaticinatus est consummationi sæculi. diebus consolationis qui futuri sunt vt veniant. Dixit vir qui sublimatus est in regnum, vnctus in dicto Dei Iacob, & constitutus vt præficiat in ludo suauitatis laudem.

Syr. Erexit iugum Christi, & Dei Iacob, qui suaves red-

didit cantus.

Arab. Dic ò Dauid fili Isai, dic ò vir qui portauit iugum, qui cantum & harmoniam legis Israëlitaë suauem fecit.

Vulg. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.

Pag. Fuit super lingua mea,

Malu. Et dictio eius.

Cald. Dixit Dauid in spiritu prophetiæ Domini, ego loquor hæc, & verba sanctitatis eius in ore meo ordino.

Arab. Spiritus Domini locutus est per linguam meam, & sermo quem profert lingua mea, sermo Domini est.

Vulg. Dixit, Deus Israël mihi locutus est, fortis Israel, dominator hominum, iustus dominator in timore Dei.

Pag. Iustus dominator timoris Domini.

Malu. Locutus fuit petra Israël dominans in homine.

Sept. Rom. Mihi locutus est custos ex Israël parabolam, dixi in homine, quomodo tenebitis timorem Christi?

Reg. Mihi locutus est plastes Israël.

Cald. Dominator in filiis hominum verax Iudex dixit, quòd constitueret mihi regem: Ipse est Messias qui futurus est vt surgat in timore Domini.

Syr. Mihi dixit potentissimus Israëlitis qui præest hominibus iustis.

Arab. Reuelauit mihi, & oracula eius pronuntiaui qui dominatur in turbam iustorum, vt indat illis verba reuelationum suarum, qui dominatur in pios qui timent Dominum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

C *Vi consuetum est de Christo, Alij, Vir constitutus, excelsus.* Noster *ly ghal* accepit pro super, cui constitutum est super, vel de Christo Dei. Alij, quod *ly ghal* punctetur cum camets, aduerbium esse volunt, & significare excelsum, eleuatum, scilicet constitutus fuit excelsus, nempe in magna dignitate, scilicet vt esset vnctus Dei Iacob: sed sensus Interpr. est optimus, cui constitutum est, stabilitum, firmatum, super Christo Dei, id est, cui aeterno & immutabili Dei verbo promissus est Iesus-Christus, verus Messias de femine eius nasciturus. Hebr. apud D. Hieronym. in Trad. Hebr. vertentes, *Dixit vir cui constituta est scala Christo Dei Iacob*, sic explicat, scala eidem Christo Dei Iacob, id est Dauidi constituta est, per quam conscenderet ad Deum, eo quod idem scilicet confessus sit se peccasse Domino. *Egregius psaltes.* Alij, *Incundus Psalmis, dulcis carminibus*: voci *נֶחֱמִים* *naghim*, hæc significata subsunt, iucundus, dulcis, gratus, suauis carminum, psalmorum. Arab. *Qui suauem harmoniam & concentum Israelis reddidit. Sermo eius per linguam meam.* Aliquid amplius addit Arab. *Sermo quem profero lingua mea, sermo Domini est. Iustus dominator in timore Dei.* Alij, *dominator timoris Dei*, Id est dominator eorum qui timent dominum, siue eorum quos fundatos inuenit in timore Dei.

ANNOTATIONES.

LYRAN.

7. 1.

H *Ec autem.* Posita gratiarum actione de præteritis, hic consequenter describitur prophetia Dauid de futuris. Et primò ponitur huiusmodi vaticinium, secundo catalogus fortium, ibi: *Hæc sunt nomina.* Circa primum præmittitur prophetia Dauid de præmiatione bonorum; secundo de punitione malorum, ibi: *Præuaticatores autem.* Circa primum primo ostenditur excellentia prophetiæ Dauid verbo: secundo exemplo, ibi: *Sicut lux aurora.* Circa primum sciendum, quod excellentia prophetiæ maximè accipitur ex duobus; scilicet, ex materia reuelata, & ex modo reuelationis. Primò ergo ostenditur excellentia prophetiæ Dauid ex primo; secundo ex secundo, ibi: *Spiritus Domini.* Circa primum sciendum quod quantum futurum est excellentius, tantò reuelatio facta de illo, siue prophetia est excellentior, quia cognitio notabilitatem sortitur ex obiecto, vt habetur primo de Anima. Tempore autem vet. testam. illud quod fuit futurum excellentissimum, fuit incarnationis mysterium: quod fuit reuelatum ipsi Dauid, non solum quantum ad futuritionis certitudinem, sed etiam quantum ad eius progeniem, videlicet quod Christus de femine suo esset nasciturus, & per eum mundus esset saluandus, sicut Dauid à persecutionibus inimicorum suorum fuerat virtute diuina saluatus, & hoc est quod dicitur:

Hæc. Et ideo præ cæteris memoriter retinenda, secundum quod dicit Greg. Homil. 19. Idcirco dominus tunc discipulos increpauit, cum eos corporaliter reliquit, vt verba quæ recedens diceret, arctius in corde audientium impressa remanerent.

Dixit vir. Id est Dauid.

Cui con. Id est, firmiter promissum absque retractatione.

De Christo Dei Iacob. Id est, de Christo quem Iacob Spiritu sancto inspiratus prædixit venturum ad salutem hominum, secundum quod dicitur. Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium tanquam saluator earum.* Vbi notandum est quod translatio Caldaica habet, *donec veniat Messias.* Id est, Christus Græcè, & vnctus Latinè, quæ quidem prophetia fuit impleta in Domino nostro Iesu Christo vncto præ cæteris plenitudine

A gratiæ, vt habetur Io. primo. *vidimus eum quasi vnigenitum à patre, plenum gratiæ & veritatis.* Quia natus fuit de virgine tempore Herodis regis, sub quo fuit translatum sceptrum regni ad alienigenam, vt dictum est, cap. præc. quia pater eius fuit Idumæus, vt aliàs est diffusius declaratum.

Egregius. Quia cantica quæ cantabantur in templo, erant de psalmis Dauid.

Hæc sunt verba nouissima, quæ dixit filius Isai, &c. ESTIVS

Nouissima verba dicuntur, non quod ea omnium postremo loquutus sit, sicut quæ quis loquitur in lecto ægritudinis statim moriturus; qualia sunt quæ Iacob ad duodecim filios, & Moyses ad tribus Israel iam iam morituri loquuti sunt; sed vocantur verba nouissima Dauid, quia ea cecinit & recitauit post omnes Psalmos à se compositos, & sub finem regni, vt verba ista sint sigillum quoddam omnium Psalmorum eius, quo præcedentem Prophetiam suam omnem, Psalmis comprehensam consignat. Significat autem his nouissimis verbis excellentiam suorum Psalmorum, idque duabus rebus; scilicet ex modo, & ex materia: modum quo illos cecinit, indicat, cum ait, *Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo eius per linguam meam.* Significat ergo se in scribendis Psalmis fuisse instrumentum Spiritus sancti, loquentis per os eius. Materiam verò indicat verbis præcedentibus istis: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius psaltes Israel.* Quibus verbis significat præcipuam suorum Psalmorum materiam fuisse, prænuntiare aduentum Christi, & ea quæ ad Christum, eiusque corpus, id est, Ecclesiam pertinerent.

Verba Dauid nouissima. Quæ scilicet, spiritu prophético loquutus est. MENOC

Vir cui constitutum est de Christo Dei Iacob. Septuaginta habent, *quem suscitauit Dominus in Christum Dei Iacob.* Sensus nostræ vulgatæ idem est; vir, scilicet, cui à Deo concessum est vt rex constitueretur, aut in cuius fauorem de regno illi tribuendo constitutum est, & deceretur.

Egregius psaltes. Sacrarum cantionum scriptor, & modulato.

Hæc sunt verba Dauid nouissima. Scilicet quæ Psalte- TIRINVS

rio suo subtexitur prorsus ultimo loco. Sed possent non incommode primo loco collocari, cum sint quasi titulus & præfatio totius Psalterij, & summa quædam eorum quæ in Psalterio toto pluribus locis digesta sunt. Prima enim verba vsque ad vers. 3. explicant nomen auctoris, & notas ac signa quibus ab aliis hagiographis discerni possit: *Dixit David filius Isai, egregius psalter Israel: Vir cui constitutum est de Christo Dei*, Id est, cui à Deo concessum est ut rex constitueretur & vngeretur. Cuius ore & lingua *Spiritus sanctus locutus est*. A vers. 3. vsque ad 8. explicatur generale argumentum vel summa eorum quæ in decursu totius Psalterij Deus Dauidi inspiravit: puta Primò, attributa seu proprietates Dei, ut quòd sit per excellentiam fortis, & iustus, quòd dominator omnium, sed maximè in timore Dei, Id est, eorum qui Deum timent: quia his tam clementer, tam largiter præ aliis indulget, ut horum quasi solorum curam, neglectis ferè aliis gerere videatur. Secundò, explicatur in Psalmis excellentia domus seu familiæ Dauidis, quæ propter illustres principes inde exorturos, nominatimque propter Messiam, *rutilat*, toto orbe sicut lux aurora, oriente sole, manè absque nubibus, &c. Et quia hæc omnis felicitas à Deo obuenit, tertiam Psalterij sui partem consumit in Deo laudando, & omni sua prosperitate eidem adscribenda vers. 5. *Cuncta salus mea ipse est, & omnis voluntas mea*, ipse est, id est, Deum solum volo, solum amo super omnia, in ipso solo spero, de ipso solo gaudeo. Et iure quidem merito, cum familiam meam solus ipse tam crebris, tam fecundis donis irrigarit, ut non sit quidquam ex ea, quod non germinet, & læta florum fructuumque varietate gaudeat. Quartum genus materiæ Psalmorum sunt iudicia & plagæ impiorum, qui quasi spinae euellentur uniuersi, &c. à vers. 6. vsque ad 8.

LYRAN.
p. 2.

Spiritus. Hic ostenditur excellentia prophetiæ Dauid ex modo reuelationis sibi factæ. Circa quod sciendum, quod licet reuelatio prophetica fiat multis modis, ut plenius declaravi super Da. & super lib. Psalmorum, tamen duo modi sunt magis generales quos accipio, quantum ad præsens. Vnus est quando menti prophetæ fit reuelatio alicuius futuri supernaturaliter cogniti, & cum hoc in virtute imaginatiua prophetæ virtute diuina formatur aliqua visio imaginaria, in qua tanquam in speculo inspicitur veritas intellectualis, sicut in cognitione naturali, cognitio quidditatiua inspicitur in phantasmatibus in virtute imaginatiua formatis, secundum quod dicit Philosoph. 3. de Anima. Intelligentibus nobis necesse est phantasmata speculari. Et

A hoc modo Ieremias propheta vidit destructionem ciuitatis Ierusalem futuram per intellectum in visione imaginaria *olla succense & virga vigilantis* ut habetur Hier. 1. Alio modo fit reuelatio veritatis supernaturalis absque tali visione imaginaria, & iste modus prophetiæ altior est primo, sicut melior intellectus iudicatur ille in cognitione naturali, qui veritatem intelligibilem sibi propositam statim capit absque exemplo ad hoc manu ductiuo, quàm ille qui non potest eam capere, nisi sibi proponatur exemplum sensibile manu ductiuum: & similiter ille qui conclusiones Geometricas intelligeret absque descriptione alicuius figuræ: quàm ille qui non posset hoc capere absque tali descriptione. Isto autem secundo modo fuit cognitio prophetica ipsius Dauid: ut habetur in prologo super Psal. & hoc est quod dicitur: *Spiritus*. Id est, spiritali visione instruxit me absque visione imaginaria.

Et ser. Quia non solum illuminauit intellectum meum ad intelligendum, sed etiam linguam meam speciali modo direxit ad loquendum, quia prophetias suas locutus est per modum laudis diuinæ magis quàm alij prophetæ.

Dixit. Scilicet Dauid.

B *Deus Israel*. Licet enim sit Deus omnium generaliter, tamen dicitur Deus Israel per veram fidem & cultum patriæ specialiter.

Fortis. Id est, ad protectionem Israël, sicut paruit in educatione Israel de Ægypto in signis mirabilibus.

Dominator. Reddens unicuique propria merita.

Dominator in timo. Quia à subditis suis vult timeri timore filiali, non timore seruili.

Dixit Deus Israel mihi, loquutus est fortis Israel, Dominator hominum, iustus dominator in timore Dei. Quidam verba posteriora illa (*Dominator hominum*) referunt quod, que ad Deum, ut dicatur ipse dominator hominum, &c. Ut pote cui homines obedire debeant, & seruire in timore Dei. Sed rectius ad Dauidem ipsum referuntur; Nam præcedit (*Dixit Deus Israel mihi*). Ut ergo Dauidi hæc verba sint accommodanda, sensus est: Dixit Deus Dauidi, ut ipse sit dominator & rex hominum, sed ut sit dominator iustus in timore Dei, Id est, ut præsit & regat suos in timore Dei, sciens se habere supra se maiorem Dominum.

LYRAN.
p. 3.

ESTIUS.

In timore Dei. Verba, in quibus est timor Dei, pia, scilicet, ac religiosa, & ad mores sanctè instituendos accommodata.

ME NOC.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 4.

V *Vlg.* Sicut lux auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat, & sicut pluuiis germinat herba de terra.

Pag. Et sicut lux matutina orietur sol mane absque nubibus à splendore, & à pluuiis herba, &c.

Arias. Non densitates à splendore, &c. Germen de terra.

Caiet. Suam lucem matutinam illustrabit sol mane non nubes ab illustratione.

Vatab. teste, Et sicut lumen temporis matutini.

Malu. Et sicut lux mane exorietur sol &c. Progerminatio.

Tigur. Et sicut lux matutina quum sol oritur: Matutina inquam quæ non habet nubes præ fulgore suo, propter pluuiam quæ herbam è terra elicit.

Sept. Rom. Et in luce Dei matutina exorietur sol mane non Dominus transit à splendore & tanquam ex pluuiis vi-

ror è terra.

Reg. Et non obscuritatem inducet à luce, & ex pluuiis herba de terra.

Cald. Beati vos iusti, fecistis vobis facta bona, quia vos futuri estis ut luceatis in luce gloriæ vestræ, sicut splendor auroræ qui ambulat & constat, & sicut sol qui splendet absque nubibus in splendore gloriæ suæ, ecce sicut ager qui expectat in annis siccitatis ut descendat pluuiis super terram.

Syr. Lucis instar matutini cum sol oritur, matutini inquam, nubibus expertis, inde ab aurora, & à pluuiis quæ terram geminare facit.

Arab. Ad quos oracula illius sunt veluti lux matutina oriente sole & lux matutini in quo nullæ extant nubes nascente aurora, &c.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Sicut lux aurora, &c. Alij, Sicut lux matutina orietur sol. Non est dubium quin noster sensum huius versus aptè ex Hebræo reddiderit, sed in alijs est concisus, obscurus, & difficilis, quem sic aperiemus ex omnibus lectionibus. Sicut lux auroræ, Hebr. Et sicut lux matutina, scilicet erit regnum meum, semper maiora incrementa suscipiet. Oriente sole mane, Alij, Oritur sol mane, pro, Et sicut oritur sol mane. Absque nubibus rutilat. Alij, Et non densitates, Ab splendore, à pluuiis, id est non erit vicissitudo, ut quando dies est nebulosus, iam splendet, iam obscuratur pluuiis, Non ita regnum meum. Et sicut pluuiis germinat herba de terra. Hebr. Germen de terra, pro, Et sicut herba de terra scilicet pluuiis germinat, quæ contraria capit incrementa, sic erit regnum meum, vnde vox sicut, quam Noster semel solum exprimit, Hebr. iterum & tertio supplenda est.



ANNOTATIONES.

LYRAN. *Sicut lux.* Hic inducit exempla ad prædicta, & primò ad ultimum dictum, scilicet de prophetia & visione spiritali absque imaginaria. Ad cuius intellectum sciendum, quòd sol dupliciter videtur. Vno modo tectus aliqua nubecula. Alio modo in sua claritate sine tali nube, & certum est, quòd ille est acutioris visus, qui potest eum videre sine tali nube, quam ille qui non potest videre absque nube excessum claritatis solis suo visui contemperante. Et ideo istud pro exemplo inducitur ad ostendendum excellentiam prophetiæ David, quæ fuit sine imaginibus vt prædictum est, quæ sunt quasi nubes contemperantes veritatem intelligibilem debilitate intellectus humani, vt patet ex prædictis, & hoc est quod dicitur.

Absque nubibus rutilat. Id est, absque imaginibus, visione intellectuali me illustrat. Secundo inducit exemplum ad aliud dictum; scilicet de reuelatione facta ipsi David de Christo nascituro de semine suo, quod factum est ex diuina liberalitate, & non merito humano; Et hoc est quod dicitur in exemplo.

Et sicut plu. Terra enim quæ de se est arida, non habet aptitudinem ad proferendam herbam, sed eam profert ex

humore pluuiæ desuper descendente. Sic Christus natus est de beata virgine perfusa plenitudine gratiæ, secundum illud Isa. 45. *Rorate cali desuper, & nubes pluant iustum, aperiat terra, & germinet saluatorem.* Vnde subditur.

Sicut lux aurora, &c. Intelligi hæc similitudines possunt de sacris Psalmorum canticis, vt de omnibus Scripturis, quibus illud conuenit Elogium: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, Psal. 18. 9. secundo intelligi possunt de Dauid, aut eius familia, & prole ex eo nascitura, ac præsertim de Christo Domino, de quo etiam Psal. 51. 5. dicitur: *Permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem, descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.*

Et sicut pluuiis germinat herba de terra. Vel Christus imbrī comparatur, de quo Isaias cap. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*, hoc enim imbre fecundata tellus iustos plurimos, noua sanctitatis germina protulit. Vel imber est fauor diuinus in Dauidem, quo eò prouectus est, vt de terra illius, posteris scilicet suis, pluuiæ cælesti in Virginem descendente, Christi Domini eximium germina existeret.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 5. 6. & 7.

Vulg. Nec tanta est domus mea apud Deum, vt pactum iniret mecum firmum in omnibus atque munitum; cuncta enim salus mea & omnis voluntas mea: non est quidquam ex ea quod non germinet.

Pag. Non enim sic, &c. Cum Deo, quia pactum æternum posuit mihi dispositum in omnibus, & custoditum, &c. Quia non germinare faciet.

Lyran. Et omnis voluntas, quia non germinabit.

Tigur. Neque vt germen crescit.

Vatab. Pactum sæculi posuit mihi ordinatè per omnia sancitum, & inuiolabile, &c. Et omne desiderium non producet.

Malu. Cum El quia fædus æterni, &c. Et omne beneplacitum.

Sept. Rom. Cum forti, testamentum enim æternum posuit mihi paratum, in omni tempore custoditum, &c. Quoniam non germinabit impius.

Reg. Vt saluaret me paratum, &c. Omnis voluntas mea in Domino.

Cald. Dixit Dauid, plus est quam hæc domus mea ante Deum, quia iuramentum æternum iurauit mihi, quòd esset regnum meum firmum, sicut firmi sunt ordines Beseith, & custoditum sæculum quòd veniet, nam omnes indigentia meæ, & omnes petitiones meæ, ante ipsum factæ sunt, ideo omne regnum amplius contra ipsum non firmabitur.

Syr. Et omnia parata sunt atque conseruata, omnem enim voluntatem meam, & omne mandatum meum ipse perficit.

Vulg. Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus.

Pag. Impij, &c. Mouentur quia non manu capient.

Arias. Et Belial tanquam spina motus vniuersi ipsi.

Caiet. Sicut spina commota omnes ipsi.

Tigur. Vt spina in vniuersum euulsa, quam nemo manu atrectat.

Malu. Sicut spina diuagari facta, omne.

Sept. Rom. Sicut spina eiecta, omnes hi, quoniam non in manu sumentur.

Reg. Præuaricator sicut spina.

Cald. Et improbi factores peccati erunt similes spinis, quæ in ortu suo molles ad eruendum, & omnis filius hominis parcat super eis, & finit eas, procedunt & inualescunt vsquequo non possibile sit appropinquare ad eas manu.

Syr. Verum scelerati omnes asperarum sunt instar spinarum.

Vulg. Et si quis voluerit tangere eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque succentiæ comburentur vsque ad nihilum.

Pag. Qui tetigerit eas, replebitur ferro, &c. Et igne comburentur in habitaculo.

Arias. In mansione.

Caiet. Et vir tanget eas, incidet ferro.

Lyran. Comburentur per sedem.

Sept. Rom. Et vir non laborabit in eis, & pleni ferro, & lignum lanceæ, & in igni comburet, comburentur confusiones eorum.

Reg. Plenus ferro & lignis combustione, comburentur in confusionem.

Cald. Et sic omnis homo qui incipit appropinquare ad peccata progredientia & se roborantia super se, vsquequo operiant eum tanquam vestis ferrea, non proualent illi in lignis hastarum & lancearum, ideo non est ultio eorum in manu hominis, sed in igne incendendo, incenduntur enim cum apparuerit domus iudicij magni, vt se deat super solum iudicij ad iudicandum sæculum.

Syr. Sed cum quis atrectaturus est eas, hasta quidem securi aut ferro cogit illas, tum igne comburuntur ad quietem consequendam.

Arab. Tum destinatur illas ad accendendum ignem in usum & quietem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Non tanta est domus mea apud Deum. Alij, *Non enim sic domus mea cum Deo forti*, Non est familia mea tanti meriti. *Firmum in omnibus.* Alij, *Dispositum, preparatum, conseruatum*, scilicet per omnia. *Atque munitum.* Alij, *Custoditum*, Id est, vt habent aliqui, *Inuiolabile: Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas.* Alij, *Desiderium meum*, scilicet fertur in eum, quasi dicat, totus ab eo pendeo. *Non est quidquam ex eo quod non germinet.* Alij, *Quia non germinare faciet*, scilicet alium Regem excitando, qui non sit de familia mea, Alij, *Quia neque vt germen crescat*, Id est, non erit vt germen agri quod cito arefcit & euanescit, sed perpetuò regnabit ille qui est salus mea, & desiderium meum.

Quæ non tolluntur manibus. Alij, *Quia non manu capiuntur*, nam pungerent & laderent. *Armabitur ferro.* Alij, *Replebitur*, Non enim manu tractantur spinæ. *Vsque ad nihilum,* Alij, *In mansione, sede sua*, Id est in stirpe sua exurentur, & quasi

& quasi ad nihilum redigentur. Cald. eleganti Paraphr. omnia à v. 4. hinc vsque; sanctis viris, & Dauid adaptat. Lyran; habens, *Comburentur per sedem*, explicat per sententiam diuini Iudicij.

ANNOTATIONES.

Nec tanta est domus, &c. Id est tanti meriti. *Vt pactum sempiternum.* De Christo nascituro de domo iacea, cuius regnum stabit in æternum, secundum quod dicitur Esa. 9. 6. Super folium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternum. Ideo subditur.

Cuncta enim. Supple dependent & expectantur ab eo. *Et omni vol.* Id est, omne desiderium meum, supple, tendit in ipsum. Et est modus loquendi qui apud Hebræos vocatur decurtatus, scilicet quando loquens non exprimit totum conceptum suum, quod maxime contingit quando loquitur ex excessu deuotionis, sicut erat in proposito.

Nec est quidquam. Quod fit quando ex voluntate nihil procedit deliberatè, quod non ordinetur in Deum, secundum quod dicit Apostolus, ad Corint. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*, & in statu tali erat Dauid in fine vitæ suæ, quando dixit ista verba.

Nec tanta est domus mea, &c. Quasi dicat, indigna cui tanta præstaret Deus.

Pactum æternum. De quo Psal. 131. 11. *Iurauit Dominus Dauid veritatem. & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Cuncta enim salus mea. Ipse scilicet est.

Et omnis voluntas. Quasi dicat, quod Deum timeo, & amo, quod virtuti adherere studeo, &c. beneficium Dei est, qui mihi bonam mentem tribuit.

Nec est quicquam ex ea quod non germinet. Familia scili-

cet mea, bonis omnibus abundat, quæ magna copia domi meæ quasi germina nascuntur, nam benedixit mihi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ.

Præuaticatores. Hic ponitur prophetia Dauid de punitione malorum, & primò quantum ad pœnam temporalem, cum dicitur: *Præuaticatores autem.* & hoc impletum fuit quando Iudæi per Titum & Vespasianum propter præuicationem in Christum fuerunt de terra Israël euulsi.

Qua non. Quia correctionem Christi & Apostolorum mansuetam non receperunt, sed contra eos insurrexerunt, & ideo ommissa est correctio dura Romanorum, quæ notatur cum dicitur.

Quæ non tolluntur manibus. Nam tangere volentium manus cruentant.

Et si. Quia Romani venerunt super Iudæos, cum exercitu magno & bene armato.

Ignemque. Quia Romani combusserunt ciuitatem & templum, & magnam partem populi ibidem existentem: Secundo tangitur pœna æterna, cum subditur.

Combu. Quia mortui in infidelitate descenderunt in ignem gehennæ. Potest etiam hoc intelligi de punitione malorum in generali in iudicio extremo.

Si quis tangere voluerit. Vt scilicet eas euellat, aut ab aliquo loco remoueat.

Ligno lanceato. Oblongo vt lanceæ sunt, ne propius accedere necesse habeat.

Vsque ad nihilum. Donec planè in cineres redigantur,

VARIETAS LECTIONVM Vers. 8.

Vulg. Hæc nomina fortium Dauid, Sedens in cathedra sapientissimus princeps, inter tres ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.

Pag. Sapiens caput magnorum, ipse Hadino Hefinta, &c. vice vna.

Arius. Sedens in sede, &c. Tertiarius, &c. Super octingentos occisos.

Caier. Sedens sapientificans me caput tertij ipse Hadino, &c.

Tigur. Hæc sunt nomina Heroum quos habuit Dauid, cum sederet in folio sapientiæ, præcipuus inter tres hic fuit qui excitabat hastam suam semel, super octingentos vulneratos.

Malu. Ista nomina præualidorum qui Dauidi.

Alij. Ipse erat delicatus & ligneus, super octogintos profanum se facit,

Alij. Huic gratum fuit hastato inuadere vice vna octogin-

gentos confodiendos.

Sept. Rom. Iesbothe Chanaanus, princeps tertij est Adinon Adinos, hic deduxit gladium super 800. milites.

Reg. Thesbaad filius Thecemani primus trium hic.

Cald. Hæc nomina robustorum qui fuerunt cum Dauid robusti capitis exercituum sedentis super folium iudicij, vncti in vnctione sancta, electi & iucundi, pulchri forma, & decori aspectu, sapientis sapientia, & intelligentis consilio, fortis robore capitis præfectorum, ipse præfectus super vasa armorum & exiens in ore vocis, & vincens in tertio prælio, & contorquens manu lanceæ suæ 800. occisos.

Syr. Primam sedem ac dignitatem obtinentis nomen erat Gedehu, vir qui descendens occidit, &c. Tempore vno,

Arab. Qui primam sedem, & secundam dignitatem obtinebat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Hæc nomina fortium Dauid. Alij, *Præualidorum qui Dauidi*, est enim Ledavid, & est sensus, qui fuerunt Dauidi. *Sedens in cathedra sapientissimus inter tres*, Alij, *Sapiens caput magnorum.* Sept. Rom. *Iesbothe Chanaanus princeps tertij.* Reg. autem *Iesboad filius Thecemani.* Primus ergo fortium fuit Iesbaad, vel Iesbaam, vt habetur 1. Paral. 11. Iesbaam autem Hebr. significat sedens in populo, quod hic dicitur sedens in cathedra, quasi omnium dignissimus. To ergo *ישב בשבת Iosheb basscebet*, id est sedens in cathedra, est nomen tam proprium, idemque quod Iesboam, quam appellatiuum, quia verè Iesboam erat sedens in cathedra quasi dux, & princeps militum. Iesbaam autem qui hic dicitur sapientissimus, 1. Paralip. 11. dicitur filius Hachamoni, id est sapientis, tum quia pater eius vocabatur Hachamon, id est sapiens per excellentiam, tum quia ipse Iesbaam erat sapientissimus. *Ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus.* Alij, *Ipse Hadino Hefnita*, Vnde Sept. & aliqui Hebraisantes retinent vt nomen proprium. Ita vt Iesbaam vocatus sit nomine proprio Hadino, ex patria verò Hadino Hefnita accipit vertitque vt appellatiuum. *Qui octingentos interfecit*, Alij, *Qui excitabat hastam super octingentos vulneratos*, at 1. Paral. 11. dicitur: *Ipse excitauit hastam suam super 300. occisos in vice vna.* Quidam loqui putant de alia vice, quia vna vice interfecerit 300. & alia vice 300. atque duabus vicibus seu præliis, occiderit 1100. Alij volunt solum 800. vulnerasse, ex quibus 300. in prælio ipso occiderit, sic tamen vt 500. postea ex vulneribus obierint.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 8.

Hæc sunt. Hic ponitur catalogus fortium Dauid. Et primo exprimuntur nomina aliquorum valde notabilium; secundo, aliorum magis communium ibi: *Asef*. Circa primum sciendum aliter exprimuntur hic & primo Paral. 11. & aliqua ibi exponuntur, quæ hic tacentur, & è contrario, aliqua hinc tacentur, quæ superius sunt sufficienter expressa, & omnia ista sunt consideranda ad intelligendum istum catalogum. Sciendum igitur quod in vniuersali fuerunt 39. computatis Dauid rege & Ioab, principe militiæ, & præter istos duos fuerunt 32. vt concluditur in fine huius cap. quorum 7. fuerunt valde notabiles, quorum tres primi dicuntur robustissimi, quia quilibet eorum debellauit quasi vnum exercitum, & primus de illis tribus fuit Iezbaan de quo habetur 1. Paral. 11. Secundus fuit Eleazar filius Ahohi. Tertius fuit Semma filius Age, de quibus habetur in hoc capite. Post istos alij fuerunt valde fortes, quorum quilibet interfecit vnum gygantem. Et primus istorum fuit Abisai, frater Ioab qui interfecit Iezbienob; secundus Sobochai, qui interfecit Saph. Tertius, Jonathan filius Semmæ fratris Dauid, qui interfecit illum gigantem qui habebat senos digitos in manibus & pedibus: & de istis dictum est supra cap. 2. Post istos tres fuit Banaias filius Ioiadæ, de quo agitur in hoc ca. qui fuit valde fortis, & ideo singulariter nominatur post sex præcedentes ante 30. sequentes. His visis descendamus ad litteram.

Dauid. Plus enim commendatur de sapientia quàm de fortitudine, quia Prouerb. 13. dicitur. *Melior sapientia, quàm vires.*

Princeps int. Id est, excellentior in fortitudine quàm tres primi, qui vocati sunt robustissimi

Ipsè est qua. Quia licet vermiculus in se sit mollissimus, tamen perforat lignum durum. Sic Dauid in se mansuetissimus, contra hostes rebellantes fuit fortissimus.

Qui obtin. Quod non intelligendum sic, quod omnes interfecerit propria manu, sed quia per eius probitatem fuerunt principaliter occisi. Vel quia fugientes eum præ timore aliqui ceciderunt in aquam vel loca ruinosa, vbi fuerunt mortui, & secundum istam expositionem de Dauid oportet dicere, quod Iesbaan hic non nominatur, quia immediatè subditur.

MEN OC.

Sedens in Cathedra. Hebraicè est יושב בשנת יוסעב באסעבט, *sedens in cathedra.* Est autem periphraasis, aliis verbis vim nominis proprii exprimens, quod ex 1. Paral. 11. 11. disci-

mus fuisse יושב בשנת יוסעב *Iasbaham*, quod Latine redditum *solertem in populo* significat. Sic enim nomen hoc S. Hieronym. interpretatur in traditionibus Hebraicis.

Inter tres. Dauid geminam triadem eximiorum vtrorum à reliqua fortium multitudine seposuit. Nam Abisai 1. Paral. 11. 20. & 21. dicitur inter tres nominatissimus, & inter secundos inclutus, & princeps eorum, qui tamen ad tres primos non peruenerit, quod ipsum de Banaia dicitur hoc capite infra num. 23. Iesbaham ergo primus erat primæ triadis, & trium fortissimorum fortissimus.

Ipsè est quasi tenerrimus ligni vermiculus, in Hebræo habemus. *Ipsè Hadino Hesnita super octingentos occisos in vice vna.* Itaque cum dicitur. *Tenerrimus ligni vermiculus,* ponitur nominis interpretatio, loco nominis proprii quod fuit *Hadino*, Septuaginta, ipsum proprium nomen retinuerunt habent enim Ἀδινὸν ὁ ἄσωνάϊον, Adino Asonæus. Sententia nostræ vulgare editionis est Iesbaham fortem admodum fuisse, & conferendum cum Adino Hesnita antiquo scilicet heroë, cuius fortitudo celebris erat apud Hebræos. Nec obstat quod in Hebræo dicitur, *Ipsè Hadino*, scilicet est, quasi idem sit Iesbaham, & Hadino, nam Iesbahamus similitudinariè tantum, vt sit loquar, fuit Hadino, quod vulgatus noster indicauit cum dixit. *Quasi.* Ita Itali de fortissimo quopiam dicunt: *Egli è vn Orlando, ò vn Achille.* Similitudo etiam inter hos duos heroas Iesbaham scilicet & Hadino in eo apparet, quod Iesbaham, *lenauit hastam suam contratrecentos vulneratos vna vice*, vt 1. Paral. c. 11. dicitur. Hadino vetò, *octingentos interfecit impetu vno*, id est, in vna tantum pugna.

Sedens in cathedra sapientissimus. Res significata ponitur pro nomine viri proprio, quod erat *Iesbaam filius Hachamoni*, vt vocatur 1. Paral. 11. v. 11. quod teste S. Hieronymo idem est atque *sedens in populo* seu in cathedra sapientissimus. Ita ferè Septuaginta, & Iosephus, Hugo, Varablus, Caietanus, Glossa, & Sanctius. Huius principis omnium primum sapientia, tum robur bellicum in eo maximè enituit, quod, cum esset opinione aliorum *quasi tenerrimus ligni vermiculus*, à quo parum sibi hostes metuerent, tam strenuè tamen ac solerter rem gessit, vt maximam inopinato ediderit stragem, & solus ipse semel *trecentos* (vt habetur 1. Paral. 11. iam citato) & aliàs rursus *octingentos* sua manu prostrauerit, ad instar alterius *Ionatha* 1. Reg. 14. aut *Samsonis*, Iud. 15. vtique cælesti subsidio extra ordinem adiutus, ita Eucherius, Beda, Lyranus Abulensis, & Sanctius,

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 9. & 10.

Vulg. Post hunc Eleazar filius patris eius Ahohites, inter tres fortes qui erant cum Dauid quando exprobrauerunt Philistiim, & congregati sunt illuc in prælium. *Pag.* Filius Dodo filius Achochi, &c. Quando in Pelistæos qui congregati erant.

Arias. In afficiendo probris.

Caiet. Aggredientibus illis Pelistinos.

Malu. In tribus præualidis, &c. Perfodere eos in Philistine.

Sept. Rom. Et cum illis Elcanan filius patris eius filius Dodi, qui in tribus potentibus.

Cald. Filij Ashohh inter tres robustos.

Syr. Filius fratris patris eius qui cum Dauide descendit vna cum tribus viris, quos cum probris affecissent Palæstini, tum palæstini ad bellum se instruxissent, & ascen-

dissent viri Israelitæ, & territi sese dedissent fugæ.

Vulg. Cumque ascendissent viri Israel, ipse stetit & percussit Philistæos, donec deficeret manus eius, & obrigesceret cum gladio, fecitque Dominus salutem magnam in die illa, & populus qui fugerat, reuersus est ad castrorum spolia detrahenda.

Pag. Et adhæreret manus eius gladio, &c. Et reuersus est tantum ad spoliandum.

Arias. Vsq; quo defatigaretur, &c. Et populus reuertebantur.

Malu. Ipse surrexit, &c. Vsq; ad quia laborauit, &c. Et agglutina.

Sept. Rom. Et populus sedit post eum.

Syr. Gladij sui capulo adhæreret.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Filius patris eius Ahohites. Alij, *Filius Dodo.* Sed noster accepit non pro nomine proprio, sed pro appellatiuo. Nomen proprium videtur ex 1. Paral. 27. Dodai. Solet noster nomina ipsa propria Latine interpretari, tamen si pro propriis habeat. *Quando exprobrauerunt Philistiim.* Alij, *In perfodere eos in Philistiim*, scilicet [prouocando eos ad pugnam. *Et obrigesceret cum gladio.*] Alij, *Conglutinata fuit, adhesit*, nempe ex distentione neruorum præ lassitudine, & quasi spasmo non poterat manus eius diuelli à gladio.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **P**ost hunc Eleazar filius patris eius, &c. In aliquibus autem libris Hebraicis & Latinis fit hic punctus. David sedens in cathedra sapientissimus. Et quod sequitur: Princeps inter tres, intelligitur de Iesbaan, qui fuit primus inter tres robustissimos, ut dictum est: Ipse est quasi tenerimus, &c. Id est, valde dulcis & amicus erga suos, & durus contra aduersarios. Qui octingentos interfecit. i. Paral. ii dicitur, quod ipse leuauit hastam suam super 300. vulneratos. Dicendum quod hic narratur vna de victoriis suis & maior, & ibi alia & minor, vnde ibidem dicitur: Leuauit hastam suam super 300. vulneratos vna vice, per hoc denotans aliam eius victoriam. Post hunc Eleazar filius patris eius Ahohites, &c. De huius probitate subditur. Ipse stetit in bello sociis suis retrocedentibus, ut patet ex sequentibus.

MENOC. Post hunc Eleazar. Secundus scilicet in priore triade. Filius patris eius. Hic etiam posita est interpretatio vocabuli pro ipso vocabulo proprio. Dod enim apud Hebraeos patrum significat, & Dodi patrum eius. Eleazar ergo erat filius Dodi.

Ahohites. Nepos Ahohi. Adrichomius tamen putat Ahohi ciuitatem fuisse in tribu Iuda.

Exprobrauerunt Philistinim. Philistæi Hebræis timiditatem obiciunt.

Congregati sunt illuc. Scilicet in Phefdomin ut est in i. Paral. ii. 13. estque idem locus cum Dommin in tribu Iuda, ut vult Adrichomius.

TIRANVS Eleazar filius Dodo, id est, patris eius, scilicet Iesbaan: cum ascendissent id est, fugissent (sic habetur i. Paralipomen. ii. versu 13.) viri Israel, stetit immotus aduersus Philistæos. non solus, sed vna cum Iesbaan, (ut habetur dicto loco Paralipomen.) forte & cum Semma, de quo idem hic asseritur versu 12. Et hi idem Ioanni Marianiæ & quibusdam aliis videntur esse tres illi, de quibus

A versu 13. dicitur, quod per medias Philistæorum acies attulerint Dauidi aquam de cisterna Bethleem. Quod videtur contigisse eo tempore quo Dauid Iebusæis extorsit arcem Sion, 2. Regum 5. v. 7. Tunc enim descendit Dauid in presidium, & Philistæi diffusi sunt in valle Raphaim, id est, gigantum, ibid. versu 17. quæ duæ notæ hic expressè ponuntur versu 13. & 14. Allegoricè sitiebat Dauid sanguinem & sacrificium Christi ex Bethleem nascituri, inquit Angelomus, Eucherius & Beda. Morale vide apud S. Ambrosium, Chrysostomum, Gregorium & alios. Gaspar Sanctius putat, Dauidem hic non sitiuisse naturalem aquam de cisterna Bethleem, nimis hoc muliebri esse atque animi effœminati: sed recuperationem patriæ suæ, quam Philistæi cæso Saule inuaserant, & valido præsidio detinebant. Hæc sanè regio animo digna erat sitis: quam etiam paulo post, vi pulsus inde hostibus, illorum sanguine restinxit.

Donec deficeret. Ex labore & sanguine aduersariorum ad manum eius decurrente.

Fecitque dominus salutem, &c. per eius probitatem, vnde subditur:

Et populus qui fugerat, &c. De eius societate.

Reuersus est. Scilicet ad prælium animatus probitate ipsius, & sic patet quod per eum debellatus fuit exercitus aduersariorum.

Ad caesarum spolia detrahenda, &c. Habita perfecta victoria.

Cumque ascendissent viri Israel. Ad propria scilicet fugiendo.

Donec deficeret manus eius, & obrigeret cum gladio, vel contractione neruorum præ labore, vel, ut Iosephus, quia ex copia sanguinis, gladij capulus manui ita adhæsit, ut finita pugna difficilè auclleretur.

LYRAN.
v. 10.

MENOC

VARIETAS LECTIONVM à Vers. ii. ad 14.

Vulg. Et post hunc Semma filius Age de Arari, & congregati sunt Philistinim in statione: erat quippe ibi ager lente plenus, cumque fugisset populus à facie Philistinim.
Pag. Congregati in villa, & erat ibi possessio campi plena lentis.
Arias. Pars agri.
Caiet. Congregati in Chaiam.
Lyran. Sama filius Age Montei.
Malu. Collecti in vinario.
Sept. Rom. Filius Afa Aruchæus congregati in Theria.
Reg. In maxillam.
Cald. Ad Hhaiatha.
Syr. Congregatis Philistæis ad animalia prædanda.
Vulg. Stetit ille in medio agri, & tuitus est eum, percussitque Philistæos, & fecit Dominus salutem magnam.
Pag. In medio possessionis, & liberauit eum.
Malu. Et eripuit.
Cald. Fecit liberationem magnam.
Vulg. Nec non & ante descenderant tres qui erant princi-

pes inter triginta, & venerant tempore messis ad Dauid in speluncam Odollam, castra autem Philistinorum erant posita in valle gigantum.
Pag. In valle Rephaim.
Malu. Venerunt ad decurtationem, ad cauernam, & agmen, &c. Desidens.
Sept. Rom. Descenderunt in Cason ad Dauid, &c. Et ordo alienigenarum.
Reg. Ingressi fuerant ad Dauid, & agmina castrametata sunt in valle Titanorum.
Cald. Descenderunt tres robusti de robustis capitum.
Syr. Iumentis Philistinorum versantibus in conualle.
Vulg. Et Dauid erat in presidio, porro statio Philistinorum tunc erat in Bethleem.
Pag. Et præfides Pelisthim.
Caiet. Præfectus.
Malu. Et Dauid tunc in munitione.
Syr. Habebat castra in Masroth.
Arab. Et duces Philistinorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Filius Age de Arari. Lyr. Montei, & addit, id est de monte, & sic Arari non est nomen proprium sed commune. Congregati in statione. Alij, In villa, vinario, &c. Hebr. est חַיִּי לַחַיִּי לַחַיִּי, quod hæc significat. Sept. Rom. In Theria, àis Onzia, Quasi ad bestias, Reg. Ad maxillam, nimirum ad locum, (inquit Nobilius) quem ita nominatum esse ex facto Samsonis narrat liber Iudicum. Tempore messis. Sept. Rom. Io Cason, atque idem Nobilius, esse vestigium diuisionis Hebr. quæ significat messem, abestque à Complutensi. Castra autem erant posita, Alij, Agmina. Vocem חַיִּי chaah de qua immediatè antea, plures interpretantur agmina, quæ scilicet in modum ferarum prædantur & diripiunt. Vulg. Castra posuit, quod in modum vinarij villæ constructa.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **E**T post hunc, &c. De cuius probitate subditur. Post hunc Semma. Tertius in hac prima triade. In statione. Hebræus habet, in villa.
Tom. IV.

Stetit ille in medio agri. Fugientibus suis. Et tutatus est eum. Percussitque Philist. Quia defendit agrum.

LYRAN.
v. 12.

Et fecit Dominus salutem magnam. Quia tunc per illum A populus Israel habuit victoriam.

LYRAN. *Nec non & ante.* Istud factum de apportatione aquæ ipsi v. 13. David tam periculosa, in libro de Hebraicis quæstionibus exponitur de tribus fortibus sequentibus, scilicet Abisai, & aliis duobus post eum. Sed hoc non videitur verum, quia in fine concluditur. Hæc fecerunt tres robustissimi, & ideo de tribus primis simpliciter videtur intelligi, & non de Abisai, & duobus sibi adiunctis, maximè quia subditur postea commendatio Abisai.

ME NOC. *Ante.* Cum scilicet David pugnavit contra Philistæos in Baal Pharasim vt narratur c. 5. huius libri.

Tres qui erant principes, &c. Tres numerati, Iesbaham, Eleazar, & Semma.

In speluncam Odollam. i. Paral. II. v. 15. ita habemus: *Descenderunt tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David ad speluncam Odollam.* In hac ergo petra prope speluncam habebat David arcem opportunam bello, quam facer textus versu sequenti, *Præsidium* vocat.

Castra autem Philistinorum, &c. Distinguenda sunt castra Philistinorum ab eorumdem statione. Statio in Bethleem fixa erat, & in ea præsidarij milites debebant: castra verò erant in Valle gigantum, & prout ferebat usus, huc & illuc transferebantur.

In Valle gigantum. Quæ eadem est cum Valle Raphaim, de qua supra cap. 5. num. 18. Raphaim enim Hebraicè gigantes significat, vide ibi notata.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 15. ad 17.

Vulg. Desideravit ergo David, & ait: O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethleem iuxta portam?!

Pag. Vtinam quisquam propinaret mihi?!

Malu. Et concupiscere se fecit David.

Sept. Quis potabit me de aqua?

Cald. De Puteo.

Arab. Magno, qui est in ciuitate Bethleem.

Syr. Accensus desidens.

Vulg. Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad David: at ille noluit bibere, sed libauit eam.

Malu. Et disciderunt tres præualidorum in desidentia Pelisthim, &c. Et leuauerunt & venire fecerunt &c. Et non

amauit ad bibere eas, & effudit eas Ihuh.

Cald. Sed dixit quòd libaret eas Domino.

Vulg. Dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere, hæc fecerunt tres robustissimi.

Pag. Absit mihi vt faciam hoc, Num bibam sanguinem virorum qui abierunt contra animas suas?

Cæter. Vt faciam hoc sanguini hominum.

Malu. Profanatio mihi de facere me istud, &c. Et non amauit ad bibere eas.

Cald. Robustorum qui ambulauerunt in animabus suis.

Syr. Nequaquam permittat mihi, &c. Periculo vitæ suæ abierunt.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Desideravit David. *Malu.* Et concupiscere se fecit David. Verbum est ex Hithpahel, vnde ingens desiderium indicari videtur. Quasi dicat, vehementissimè concupiuit, vnde Syr. habet, *Accensus Desiderio. Libauit eam.* Alij, *Effudit*, nempe in terram. *Sanguinem hominum num bibam?* Alij, *Qui ambulauerunt in animabus suis*, quod explicat Syr. periculo vitæ suæ abierunt, nempe qui periculo sanguinis sui aquam attulerunt.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **O** Si quis mihi, &c. Et dixit David hoc non propter B concupiscentiam aquæ, sed quia volebat audaciam suorum experiri. Vnde subditur.

ME NOC. *O si quis mihi daret, &c.* Nec iussit David suos aquam afferre, nec eo animo est locutus vt ipsi regi gratificantes se in illud discrimen darent. Accidit tamen quod in huiusmodi fieri amat, vt scilicet desideria principum subditis sint pro iussionibus.

Qua est in Bethleem iuxta portam. Nota erat Dauidi cisterna illa, quia fuerat à puero educatus in Bethleem.

LYRAN. *At ille noluit.* Per hoc ostendens, quod exponens se periculis contra infideles, facit sacrificium Domino acceptissimum.

Irruperunt castra Philistinorum. Per quæ necessario eundem erat, & redeundum, vt aquam afferrent.

Noluit bibere. Id est, ne videretur cupiuisse vt tanto cum periculo aqua illi pararetur. II. *vt in licitis cupiditatem refrænaret, cui aliquando in illicitis fræna laxasset,* vt ait S. Greg. III quia aquam tam pretiosam, emptam scilicet humano sanguine, dignam esse iudicauit quæ Domino libaretur per extraordinarium quoddam sacrificium. IV. vt milites temperantiam in siti doceret.

Animarum periculum. Vitæ periculum!

ME NOC

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 18. ad 23.

Vulg. Abisai quoque frater Ioab filius Saruix, princeps erat de tribus: ipse est qui leuauit hastam suam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus.

Pag. Ipse suscitauit lanceam, & ei nomen inter tres.

Cald. Ipse erat caput robustorum, ille contorsit hastam.

Syr. Ipse caput erat ipsorum triginta.

Vulg. Et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed vique ad tres primos non peruenerat.

Pag. Tribus nonne gloriosior erat?

Malu. De tribus, an quia grauis?

Cald. Præ tribus robustis erat honorabilis, & fuit illis in magistrum, & vsque ad tres fortitudines non peruenerat.

Syr. Inter triginta erat honoratissimus, &c. Et heroica facinora æquè ac triginta præstabat.

Arab. Huius facinora cum essent præstantiora facinoribus triginta virorum, constitutus fuit princeps super triginta.

Vulg. Et Banaias filius Ioiadæ viri fortissimi, magnorum operum, de Gabsel, ipse percussit duos leones Moab, &

ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.

Pag. Percussit duos fortes vt leones Moab.

Sept. Rom. Percussit duos filios Ariel ipsius Moab.

Cald. Filius viri timentis peccata, cui erant opera, occidit duos Magnates Moabæorum.

Syr. Cuius facta præclariora quàm Castolis, interfecit gigantes, &c. Occidit leonem in Sylua.

Arab. Erat vir præditus virtute, optimarumque actionum.

Vulg. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam, itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptij, & interfecit eum cum hasta sua.

Pag. Virum aspectus. Alij. Beatum rectum visionis.

Sept. In manu autem Ægyptij lancea tanquam lignum scalæ nauticæ. Reg. vt *Vulg.*

Cald. Occidit virum Mizraem, virum conspicuum.

Arab. Virum gigantem formosum.

Vulg. Iste fuit Banaias filius Ioiadæ.

Vulg. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores, verumtamen vsque ad tres non peruenerat, fecitque cum sibi Dauid auricularium à secreto.

Pag. Iphis triginta gloriosior, &c. Et posuit cum Dauid ad auditum suum.

Sept. Rom. Ex tribus gloriosus, ad tres non venit, &c. Ad audientias suas, & hæc nomina potentium regis Dauid.

Cald. Ad tres fortitudines non peruenit.

Syr. Præclara facinora gerebat vt reliqui triginta.

Arab. Has res patrauit, pollebatque nomine, robore & factis, vt triginta virorum operam solus exercebat.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Inter tres nobilior. *Syr. & Arab.* Inter triginta erat honoratissimus, nempe triginta qui hîc recensentur, quod non aduerfatur *Vulg.* habenti tres: loquitur enim de tribus qui vers. 8. 9. 10. & 11. nominantur. *Duos leones Moab.* Alij, *Duos Ariel Moab*, id est, leones fortes. Quidam intelligunt duas arces munitissimas, qua etiam ratione Ariel appellatur ciuitas Dauid: sed bene *Cald.* *Duos magnates*, nempe duos fortissimos Moabitas; *Virum dignum spectaculo*, Alij, *Virum visionis, formosum*, duplex est lectio Hebr. In textu enim est *ישא*, id est beatum, & in margine *ישא ישיב*, virum nempe dignum, vt ob venustatem omnes intuerentur. Alij vero exponunt virum dignum spectaculo, id est, spectabilem magnitudine, quem sensum videtur sequi noster *Vulg.* sed cum expressè habet *Arab.* legens *gigantem. Habentem in manu hastam.* *Sept. Rom.* addunt *tanquam lignum scale nauticæ*, sed hæc absunt à *Compl. & à Reg.* *Auricularium à secreto.* Alij, *Ad auditum*, ad audientias suas, id est à consilijs suis.

ANNOTATIONES.

A Bisai quoque. Hic ponitur commendatio trium fortium qui erant in secundo gradu, quorum primus erat Abisai, qui interfecit Iesbidenob gigantem, vt dictum est supra 21. cap. & cum hoc fecit aliam probitatem mirabilem, quæ notatur, cum dicitur.

Ipsè est qui. Et patet litera. Alij verò duo de isto ternario, scilicet Sobochai & Ionatham filius Sammaa fratris Dauid hîc tacentur, quia sufficienter supra exprimuntur 21. cap.

Abisai quoque. Hic incipit secunda trias fortium Dauid, ex qua tamen duo tantum hîc recensentur, Abisai scilicet & Banaias. D. Hieron. in trad. Hebr. tertium numerat Ionatham filium Semmaa fratris Dauid, quod alij aliquot auctores secuti sunt.

Princeps erat de tribu. Id est, primus in altera triade.

Lenauit hastam suam contra trecentos. Quos aut occidit, aut vulnerauit, nam hîc dicitur occidisse, 1. autem Paral. 11. vulnerasse. Id verò credibile est accidisse cum Dauidem deficientem, periculo eripuit supra cap. 21. num. 17.

Et inter tres nobilior. Primus ac fortissimus inter tres secundæ classis.

Ad tres primos non peruenerat. Fortitudine non æquabat primos illos tres, Iesbaham scilicet, Eleazar, & Semmaa.

Et Banaias. Iste est septimus specialiter nominatus propter specialem probitatem, quæ exprimitur, cum dicitur.

Ipsè percussit. Id est, Duos milites ipsius populi audaces vt leones.

Et ipse. Hîc accipitur leo ad literam, qui propter niuem os foueæ cooperientem illuc cecidit, ad quam descendit Banaias, & eum interfecit. Consequenter ostenditur eius alia probitas de interfectione cuiusdam Ægyptij, qui propter magnitudinem appropinquabat ad naturam Gy-ganteam, cum dicitur.

Ipsè percussit duos leones Moab. Hebraicè est. (leones Dei.) Id est, ingentes & fortes, sicut dicuntur montes Dei, cedri Dei & alia quæcunque eximia, apud Hebræos,

A hoc epitheto *Dei* decorantur. Nonnulli intelligunt duas munitas arces Moabitarum. Verum, quia dicitur (*percussit*) plerique potius intelligunt per duos leones, duos fortissimos principes, vel milites ex Moabitis. Et sensum illum confirmant omnia præcedentia & sequentia de fortibus, seu viris strenuis varia stratagemata: quæ confer cum iis quæ sunt 1. Paral. 11. & 20,

Magnum operum. Scilicet patratior.

Leones. Id est, fortissimos viros velut leones. Caldaus habet *magnates*, ita multi explicant. Alij tamen putant veros leones fuisse.

In media cisterna. Cisternam plerique interpretantur foueam siue lacum, quales sæpenumero à venatoribus, talibus feris parantur. Caietanus notat fortitudinis fuisse cum leone congredi in tam arcto loco.

Ipsè quoque. In Hebræo de Hebraicis quæstionibus exponitur hoc de Semei, quem interfecit Banaias de mandato Salomonis, vt habetur infra 3. 1. 11. cap. Et vocatur hîc Ægyptius per imitationem, eò quòd maledixit regi Dauid, sicut Ægyptius quem interfecit Moyfes in deserto; quia maledixerat Deo, vt habetur *Leuit. 24. cap.* sed hæc expositio in nullo concordat textui, ideo eadem facilitate contemnitur qua probatur, propter quod & multa alia, liber Hebraicarum quæstionum super libros regis à pluribus peritis dicitur non esse Hieronimi, sed cuiusdam Iudæi, Et quia Hieron. in lib. illustrium virorum, inter libros solum super *Gene.* nominat libr. suum, Hebraicarum quæstionum.

Virum dignum spectaculo. Propter proceritatem corporis.

In virga. Inermis, virgam tantum manu tenens.

Et ipse nominatus. Secundi gradus, non quia esset de numero eorum, sed quia propter probitates suas poterat quasi æquiparari vni eorum, propter quod nominatur ante triginta sequentes, vt prædictum est.

Inter tres robustos. Secundi scilicet ordinis, vt supra dictum est.

Vsque ad tres. Primæ triadis.

A secreto. A secretis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 24. ad 39.

Vulg. Afael frater Ioab inter triginta, Elcanan filius patruï eius de Bethleem.

Pag. Filius Dodo.

Sept. Dudi.

Syr. Inter hos triginta numeratur.

Arab. Quorum hîc sunt nomina.

Vulg. Semma de Arodi, Elica de Harodi.

Sept. Semma Rudeus.

Reg. vt Vulg.

Vulg. Heles de Phalti, Hira filius Acces de Theuaï.

Vulg. Abiezer de Anathoth, Mobonnai, de Hufati.

Vulg. Selmon Ahohites, Maharai Netophathites.

Vulg. Heled filius Baana, & ipse Netophathites, Ithai fi-

Tom. IV.

lius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin.

Sept. Qui de colle Benjamin.

Vulg. Banaia Pharathonites, Heddai de Torrente Gaasi.

Cald. Ex torrentibus Gaghas.

Vulg. Abialbon Arbathites, Azmaueth de Beromi.

Vulg. Eliaba de Salaboni, Filij Iassen, Jonathan.

Alij. De filiis Iassen.

Vulg. Semma de Orori, Aiam filius Sarar Arorites.

Cald. Filius Sarar qui ex monte alto.

Vulg. Eliphelet filius Aasbai filij Machati, Eliam filius Achitophel Gelonithes,

Vulg. Hefrai de Carmelo, Pharaï de Arbi.

Vulg. Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi.

AAa iij

Cald. Bani qui ex tribu Gad.
Syr. Portitor instrumentorum armorum Ioabi.
Vulg. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Ioab filij Saruia.

Vulg. Ira Iethrites, Gareb, & ipse Iethrites.
Vulg. Vrius Hethæus. Omnes triginta septem.
Cald. Omnes robusti erant.
Arab. Numerus omnium seruorum Dauidis præcipuorū.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Filius patris eius. Alij, *Dodo*. Vide Concord. vers. 9. *De Gabaath*. Alij enim *de colle*. Gabat enim excelsum, siue collem significat. *De Torrente Gaaz*. Alij, *De Torrentibus, vel vallibus*, id est, ex vna vallium. *Fily Iassen*. Alij, *De filiis Iasen*. Vox filij Hebr. est pluralis, vnde quidam vertunt *ex filiis*, id est Ionathas qui erat ex filiis, vel filius Iasen. *Sarar Arorites*, *Cald.* *Ex monte alto*. Arorita enim idem ac montanus, nimirum qui erat ex montibus Ephraim.

ANNOTATIONES.

LYRAN. 39. **A**sael frater Ioab. Hic consequenter nominantur alij **A**cimo octauo cap. Omnes triginta septem. Selégerat Dauid triginta è suis fortissimos, quibus postea alij etiam supra numerum aggregati sunt, manente tamen denominatione triginta fortium. Sic Apostoli dicuntur duodecim, licet supra duodenarium numerum Paulus, & Barnabas, additi sint. **MENOC.**

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS.

Irbet Dauid recenseri populum. Quo nomine corripitur à Gad Propheta: ex tribus flagellis eligit pestem triduanam, qua 70000. cadunt. Porro Dauid oblato in area Arcuna sacrificio, Deum placat, cessatque pestis.



T addidit furor Domini irasci contra Israël, commouitque Dauid in eis dicentem: Vade, numera Israël & Iudam. 2. Dixitque rex ad Ioab principem exercitus sui: Per ambula omnes tribus Israël à Dan vsque Bersabee, & numera te populum, vt sciam numerum eius. 3. Dixitque Ioab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantum nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis: sed quid sibi dominus meus rex vult in re huiuscemodi? 4. Obtinuit autem sermo regis verba Ioab, & principum exercitus; Egressusque est Ioab, & principes militum, à facie regis, vt numerarent populum Israël. 5. Cumque pertransissent Iordanem, venerunt in Aroër ad dexteram vrbis, quæ est in valle Gad: 6. & per Iazer transierunt in Galaad, & terram inferiorem Hodsi, & venerunt in Dan syluestria. Circumeuntesque iuxta Sidonem, 7. transierunt prope mœnia Tyri, & omnem terram Heuæi & Chanaanæ, veneruntque ad Meridiem Iuda in Bersabee: 8. & lustrata vniuersa terra, affuerunt post nouem menses & viginti dies in Ierusalem. 9. Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi: & inuenta sunt de Israël octingenta millia virorum fortium, qui educentes gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum. 10. Percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus: & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto: sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis. 11. Surrexit itaque Dauid manè, & sermo Domini factus est ad Gad Prophetam & Videntem Dauid, dicens: 12. Vade, & loquere ad Dauid: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi. 13. Cumque venisset Gad ad Dauid, nuntiauit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei qui me misit, sermonem. 14. Dixit autem Dauid ad Gad: Coarctor nimis: sed melius est vt incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum. 15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israël, de manè vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, à Dan vsque ad Bersabee, septuaginta millia virorum. 16. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam, erat autem Angelus Domini iuxta aream Arcuna Iebusæi. 17. Dixitque Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. 18. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino in area Arcuna Iebusæi. 19. Et ascendit Dauid iuxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. 20. Conspiciensque Arcuna, animaduertit regem & seruos eius transire ad se: 21. & egressus adorauit regem prono vultu in terram, & ait: quid causæ est vt veniat dominus meus rex ad seruum suum? Cui Dauid ait: Vt emam à te aream, & ædificem altare

Domino, & cesset interfectio quæ grassatur in populo. 22. Et ait Arcuna ad Dauid: accipiat, & offerat Dominus meus rex, sicut placet ei: habes boues in holocaustum, & plaustrum, & iuga bouum in usum lignorum. 23. Omnia dedit Arcuna rex regi: dixitque Arcuna ad regem: Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum. 24. Cui respondens rex: Nequaquam vt vis, sed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo Dauid aream, & boues, argenti ficlis quinquaginta: 25. Et ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Et addidit furor Domini irasci contra Israël, commouitque Dauid in eis dicentem: Vade, numera Israël & Iudam,

Arias. Addidit nasus.

Malu. Ad exardescere, & eleuauit Dauidem in eis ad dicere, ambula.

Sep. Et addidit iram Dominus ascendere.

Cald. Addidit indignatio irasci, & incitauit.

Arab. In aliam inciderunt Israëlita calamitatem, nam saeuente in eos ira Domini, effecit occasionem punitiōnis eorum Dauid, atque id idem, quoniam iniicit in cor eius, vt recenseret numerum eorum, dixitque, Abi, & recense.

Vulg. Dixitque rex ad Ioab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israël à Dan vsque Bersabee, & numerate populum, vt sciam numerum eius.

Pag. Discurre.

Arias. Ad Ioab principem virtutis: Circui & recense.

Malu. Principem strenuitatis, circumeundo demitte te euge in omnibus baculis Israël, & visita te populum.

Sep. Rom. Transi nunc & recognosce.

Reg. Perambula & considera.

Cald. Vt cognoscam supputationem populi.

Arab. Dixit Ioabo, & ducibus qui cum eo erant.

Vulg. Dixitque Ioab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu Domini mei regis: sed quid sibi Dominus meus rex vult in re huiuscemodi?

Pag. Et sicut sunt centum vicibus, & oculi Domini mei regis niteant.

Arias. Vt quid vult in verbo hoc?

Malu. Et addidit Iuh ad populum, & sustentator meus rex, ad quid bene complacuit sibi in verbo isto?

Sep. Reg. Quare vult verbum hoc?

Arab. Adaugeat centuplo, idque viuentē rege.

Vulg. Obtinuit autem sermo regis verba Ioab, & principum exercitus; Egressusque est Ioab, & principes militum, à facie regis, vt numerarent populum Israël.

Pag. Præualuit verbum regis, &c.

Arias. Ad visitandum populum.

Malu. Et super principes strenuitatis.

Sep. Rom. Virtutis, &c. ad recognoscendum populum.

Cald. Inualuit super magistros exercitus.

Arab. Sed cum rex Ioabum ac duces qui cum eo erant respexisset iratus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Commonitque Dauid in eis dicentem, numera. Arab. Iniecit in cor eius vt recenseret. Commouit non per se suggerendo ei, vt numeraret populum, sed permittendo diabolo ad id parato, & anhelanti, vt Dauidem ad superbiam hanc populi numerationem incitaret. Adaugeat Dominus. Heb. addidit. Quod quidem habet emphasim. Quasi dicat. Certissima est tibi populi multiplicatio quasi iam facta sit, si desistas ab hoc proposito. Obtinuit sermo regis. Alij, Præualuit, & quomodo præualuerit explicat Arab. Cum rex Ioabum, & duces qui cum eo, respexisset iratus, volens scitò suam iussionem de numerando populo executioni mandari.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
Y. I.
Et addidit furor Domini. Hic describitur punitio Dauid propter peccatum superbiæ, quia præcepit numerari populum ex elatione. Igitur circa hoc primo ponitur ipsius Dauid iussio. Secundo iussionis executio, ibi: Egressusque est Ioab. Tertio facti punitio, ibi: Percussit autem. Circa primum sciendum, quod istud factum contigit ante ea quæ dicta sunt in principio præcedentis cap. quia illa fuerunt verba nouissima Dauid, vt dicitur ibidem. Præmittitur igitur origo transgressionis Dauid in facto isto, cum dicitur. Et addidit, &c. Ex hoc enim quod Dominus volebat punire populum, permisit Dauid offerri ad numerationem populi. Vnde dicit Gloss. Gregor. super locum istum: pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium, vt sæpè pro malo gregis, etiam verè boni delinquat vita pastoris. Dauid enim Deo teste laudatus, timore repentina elationis inflatus, populum numerando peccauit, & populus pœnam suscepit, quia secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Quale autem fuerit peccatum populi quo demeruit, in litera non habetur: sed in libro de Hebraicis quæstionibus dicitur, quod hoc fuit, eo quod populus Dauid non restitit vt debuit in facto Vriæ, & ideo in cap. præc. vltimus nominatur, vt sententia huius capituli præcedenti aliquantulum copuletur. Sed hoc dictum videtur falsum, quia peccatum Dauid contra Vriam, vxorem eius polluendo, & ipsum proditiosè occidendo, fuit secretum, quousque totum fuit completum; vt patet ex prædictis c. 12. Propter quod dixit Nathan ad Dauid. Tu fecisti absconditè. Propter quod patet, quod populus nõ potuit peccato Dauid occurrere. Similiter nec
Tom. IV.

A post factum, quando venit ad notitiam populi, debuit puniri, quia pœna iam determinata erat à summo iudice Deo, vt patet ibid. per verba Nathan Prophetæ. Et ideo melius dicitur, quod peccatum populi fuit rebellio eius contra Dauid, sequendo Seba filium Bochri, qui erat homo pessimus & seditiosus, & de hac rebellione solus Seba fuerat punitus, vt habetur supra c. 20. propter quod populus erat puniendus. Quod factum est per pestilentiam immisam à Deo super populum, propter eius numerationem.

Commonitque. Scilicet Sathan ipsum incitauit, vt habetur expressè 1. Par. 21.

Vade. Per se præcepit tribum Iuda numerari, quia erat nobilior & bellicosior. Hanc autem numerationem præcepit Dauid ad sui ostentationem de tot millibus bellatorum.

B Et addidit, &c. Gregorius exponens hunc locum ait: **ESTIVS.** Secundum merita subditorum, disponuntur acta regentium. Vnde sæpè fit, vt pro culpa gregis, etiam boni delinquat vita pastoris. Dauid enim, Deo teste laudatus, populum numerando peccauit, & populus pœnam suscepit, quia secundum merita plebium disponuntur corda rectorum. Hæc Gregorius. Factum est ergo merito plebis, vt Dauid in hoc peccatum labi permitteretur. Sed quares quare peccauit Dauid numerando populum? Respondeo. Primum, per superbiam, & elationem mentis, quia tanquam rex potens gloriabatur in multitudine populi sibi subiecti. Secundò, quia per hoc fecit contra legem Exod. 30. vbi dicitur. Quando tuleris summam filiorum Israël, &c. Debebant autem singuli dare dimidium ficli. Hæc au-

tem numeratio non ita facta est, vnde consequuta est plaga.

MENOC. *Furor Domini.* 1. Par. 21. hoc idem ita dicunt: *Consurrexit autem, &c.* Satan vocatur furor Domini, quia Deus iratus contra peccatores, eius mala voluntate, & viribus vitur ad eos castigandos.

TIRINVS *Addidit furor Domini.*] 1. Par. 21. dicitur *Consurrexit autem, &c.* Vtrumque enim factum, sed prior *Satan concitauit*, commouitque *Dauidem*, vt populum capitatum censer iuberet. De hinc *iratus est furor Domini.*

MENOC. *A Dan vsque Bersabee.* Dan est terræ sanctæ terminus borealis, Bersabee vero Australis.

Vt sciam. Videtur itaque census ex sola curiositate iussus à Dauid.

LYRAN. *Sed.* Ioab enim videns regem ex elatione moueri, voluit hoc impedire: sed non potuit: ideo subditur.

MENOC. *Quid sibi vult, &c.* Deterrere conatur Ioab Dauidem, quod scilicet malum aliquod ex hoc censu Israël impenderet. Itaque 1. Par. 21. 3. ait, *quod in peccatum reputetur Israël:* Id est, in pœnam peccati, vt docuit euentus.

TIRINVS *Quid sibi rex vult, &c.*] Ioab deterrere vult regem ab inutili, imò pernicioso consilio. In quam rem duobus vitur argumentis, quæ 1. Par. 21. explicantur. Vnum ostendit inutilem fore hunc censum: *Nonne Domine mi rex, &c.* Nullus tibi rebellis, nullus inuidus, aduersarius nullus: ad quid ergo hæc populi importuna numeratio? Alterum

Argumentum declarat fore etiam noxium, & perniciosum:

Quare hoc querit Dominus meus, &c. non tibi soli, sed & Israël toti? Sed quodnam hoc tam graue hïc peccatum? Respondeo, in Dauid peccatum fuit, quòd citra iussum Dei, & citra necessitatem censum eiusmodi instituerit: solum ad ostentandum suam potentiam: vnde S. Ambrosius, & Seuerus Sulpicius *ambitionis* Dauidem accusant, quòd nempe sibi arrogarit eiusmodi censum instituire, suo nomini celebrando, suoque in omnes dominio ostentando, quem Deus suo solius nomini dominioque celebrando reseruauit. In populo verò peccatum fuit, quòd tributum semiscicli, seu duorum regalium Hispanicorum, quòd in eiusmodi censu in vsus templi Dei capitatum pendere debebat, in agnitionem supremi dominij Dei, à plurimis, fortè à plerisque (conniunte rege regiisque ministris) persolutum non fuerit. Vide Exod. 30. v. 12. vbi hæc præscribuntur: & ni seruentur, *plaga* certa qualem hïc experti sunt, intentatur, ita Sanctius, & Bonfrerius ex S. Augustino, Beda, Lyrano, Abulensi & Caiet.

Obtinuit. Tum quia superior erat, tum quia Dominus populum punire disposuerat.

Egressusque. Hïc ponitur dictæ iussionis executio, vt patet litera vsque ibi.

Obtinuit. Id est, præualuit, seu vicit. Ioab verò regi citra noxam paruit, quia res de se erat indifferens, & bono fine fieri poterat, itaque subdito diutius repugnandum nõ fuit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 9.

Vulg. Cumque pertransissent Iordanem, venerunt in Aroer ad dexteram vrbs, quæ est in Valle Gad.

Pag. Quæ est in medio torrentis Gad, & Iazer.

Malu. Defederunt in Gharogher.

Sep. Rom. Quæ in medio conuallis Gad & Eliezer.

Cald. In Meridie vrbs, &c. tribus Gad.

Vulg. Et per Iazer transferunt in Galaad, & in terram inferiorem Hodsi, & venerunt in Dan syluestria. Circumeuntesque iuxta Sidonem. Lyr. In terram locorum nouorũ.

Reg. In terram Cades vsque in Dan.

Cald. Ad terram Australem Hodzi, &c. & inde reuertitur ad Tzidon.

Vulg. Transferunt prope mœnia Tyri, & omnem terram Heuæi, & Chananai, veneruntque ad Meridiem Iuda in Bersabee.

Pag. Venerunt ad munitionem Tyri.

Malu. Et exiuerunt ad Austrum Ichudah.

Sep. Rom. In Mapfar Tyri.

Cald. Iatrarunt ad munitionem.

Syr. Tum peruenerunt vsque ad Sur, & Sardon ad terram Chananæorum, Hethæorum, & ad terram Iebusæorum, cumque totum tractum illum lustrassent, venerunt in terram Iuda post triginta octo dies: tum venerunt ad Dan, & perlustrarunt Sidonem.

Vulg. Et lustrata vniuersa terra, affuerunt post nouem menses, & viginti dies in Ierusalem.

Pag. Venerunt in fine.

Malu. De extremitate nouem inuouationum.

Vulg. Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi: & inuenta sunt de Israël octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum.

Pag. Dedit numerum numerationis.

Arias. Censu.

Teste Lyrano aliqui Codices habent. Quinquaginta millia:

Malu. Dedit numerum visitationis.

Sep. Recognitionis. Cald. Supputationem numeri.

Arab. Attulerunt numerum censumque.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Vrbs quæ est in valle Gad, Alij, *Quæ est in medio torrentis, in medio conuallis.* Id est, quæ est in medio vallis in qua est torrens Arnonis sortis Gaditarum. Et in terram inferiorem Hodsi, Alij, *In terram locorum nouorum.* Hebr. תחת חודשי *tachtim chodsi*, aliqui ergo pro nomine proprio accipiunt sic dictum quòd esset inferior, & noua: Alij autem appellatiuè, ad terram nouorum locorum, nempe de nouo habitata, nimirum temporibus Saülis, expulsis inde Hagarenis; Et venerunt in Dan syluestria, Alij, *In Dan Iaghan*, & volunt eam esse, quæ simpliciter Dan dicitur Iosue 19. v. 47. Et sic à Sep. simpliciter vocatur Dan. Videtur Vulg. legisse Dan Iaghan, id est syluæ. *Transferunt prope mœnia Tyri,* Alij, *Intrarunt ad munitionem Tyri,* sed non verè, quia Israëlitæ non eam possidebant, sicut nec Sydonem; Aduerte exemplaria Græca hïc variare inter se. *De Iuda quingenta millia.* Aliqui Codices antiqui habebant, *quinquaginta*, sed mendum; omnes enim aliq conueniunt in numero quingentorum millium de Iuda.

ANNOTATIONES.

MENOC. Venerunt in Aroer. Quæ erat in finibus tribuum Gad, & Ruben, vnde videntur tribum Ruben primum percensuisse, hoc enim erat initium possessionis Israëlitarum trans Iordanem.

LYRAN. Et in terram. In Heb. habetur. *In terram locorum nouorum.* Id est, de nouo habitatorum, vel cultorum per abscissionem nemorum. Cætera patent vsque ibi.

MENOC. Per Iazer, &c. Est enim Iazer sicut, & Aroer ad torrentem Arnon in via ad perlustrandam totam regionem Galaadidem, quæ montibus Galaad ab Oriente clauditur, & pertinet ad tribum Gad.

Terram inferiorem Hodsi. Id est, terram nouæ habita-

tionis, id est, recens cultæ, ac populis frequentatæ, vt ex Hebræo exponit Lyranus.

Dan syluestria. Dan circa fontes Iordanis prope Libanum montem.

Iuxta Sidonem. Quæ est ad Occidentale latum terræ sanctæ.

Mœnia Tyri. Vrbs antiquissima in eodem Occidentali latere.

Lustrata vniuersa terra. Totum regnum Israëliticum percurrit Ioab, non omnes tamen numerauit, nam 1. Par. 21. 6. dicitur: *Leui & Benjamin, &c.* Et c. 27. eiusdem lib. n. 4. *Ioab, inquit, cœperat numerare, nec compleuit: &c.*

LYRAN. V. 4. MENOC.

Et illustrata vniversa terra.] Sed necdum omnibus numeratis, nam *Leui & Benjamin, &c.* vt habetur in loco Par. supra citato, & alibi dicitur, *Ioab coeperat numerare, nec compleuit, quia super hoc ira Dei irruerat in Israël.* Nempe plures hinc inde qui tributum neglexerant, subita morte prosternebantur, aut alia ignominiosa plaga calitus immissa puniebantur, vt dicitur 1. Par. 21. v. 7. Quo comperto Ioab territus ad regem excurrit, detulitque numerum censorum ad id tempus caputum, de Iuda quingenta millia, de reliquo Israele octoginta millia. Tum percussit cor Dauid eum, id est, aculeo peccati compuncta est conscientia Dauidis, vt explicat Cald. eò quòd censum illum alieno tempore ac modo peractum sentiret ex plaga consequente grauitè displicere Deo. Vnde & superfederi iussit: vetuitque numerum eorum qui fuerant recensiti, referri (vt moris erat) in fastos regios. Sed interea pergebant adhuc alij principes, qui in remotioribus tribubus censui præerant: & antequam his innotuit regis inhibitiò, collegerant adhuc alia trecenta millia ex Israel: vnde 1. Par. 21. v. 5. dicitur numerus recensitorum Israelitarum fuisse, *vindecies centum millia*, præter propter, ita Caiet. in eum locum.

Et inuenta. 1. Par. 21. habetur numerus Israel mille millia, & centum millia. Quæ dissonantia soluitur ab Heb. Vno modo per hoc, quod Ioab non numerauit tribum Leui, & tribum Benjamin, vt habetur 1. Par. 21. quarum numerus benè ascendebat ad trecenta millia, & sic in vniuerso numerus sic ponitur 1. Par. hic autem ponitur numerus refecatis illis de tribu Benjamin & Leui. Alio modo & melius, vt viderur, quia Ioab inuitus exequebatur hoc mandatum, & ideo non curauit multos omittere, vt patet de tribu Leui & Benjamin. Et quia videbat regem ex superbia motum, ideo tradidit sibi minorem numerum quam esset in veritate, ne nimis superbiret, & hic ponitur numerus ipsi Dauid traditus, qui erat minor. Alius autem qui erat maior, secundum veritatem exprimitur. 1. Par. Causa autem quare non numerauit tribum Leui & Benjamin dicitur 1. Par. vbi hoc habet locum.

Et de Iuda, &c. Aliqui libri habent hic, *quinquaginta millia.* Sed in Hebræo in libris correctis habetur, *quingen-*

ta millia. Sed tunc occurrit dubium: quomodo tot erant in vna tribu, quia numerus, nouem tribuum aliarum quæ fuerunt numeratæ per Ioab, non ascendit nisi ad mille millia, & centum millia, vt prædictum est. Ad quod dicendum, quod tribus Iudæ fuit aliis bellicosior, & ideo plures habuit bellatores quàm aliqua alia. Item quia bellatores de aliis nationibus coniungebantur cum Dauid, sicut patet suprâ c. 15. de Ethai Gethæo, qui cum sexcentis bellatoribus erat coniunctus ipsi Dauid: & similiter fuit de aliis nationibus: & omnes isti computabantur cum bellatoribus de tribu Iuda, de qua erat Dauid, propter quod numerus bellatorum tribus Iudæ tantum ascendebat. Sciendum tamen, quòd 1. Par. 21. dicitur. *De Iuda autem quingenta millia.* Quod soluitur ab Hebræis vno modo quòd 30. millia quæ omittuntur 1. Par. erant capita aliorum, & sic non numerantur ab eis ibi, hic autem in numero cum aliis concluduntur. Alio modo, quod in lib. Par. ponitur numerus minor, qui fuit traditus Dauid ne nimis superbiret, vt prædictum est: hic autem ponitur numerus secundum veritatem, quia maior erat: opposito modo quam de numero Israel, vt patet ex dictis. Nec est inconueniens sic variari modum loquendi, quia frequenter per talem modum solvuntur apparentes dissonantia Euangelistarum.

De Israël, &c. Aliter se habet hic numerus 1. Par. 21. 5. *MENOC.* vbi legimus: *Inuentus est, &c.* Id est, vindecies centena millia: *De Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum.* Hæc textuum dissonantia tollitur si dicamus numerum maiorem, qui habetur in Paral. esse eorum, qui recensiti sunt, minorem vero, quem habemus hoc capite, eorum qui relati sunt in fastos regios, prius enim recensentur, postea verò summæ capitum per partes in fastos referentur. Hoc significare viderur locus 1. Par. c. 27. n. 24. quem atrili præcedenti versiculo. Ita explicant Serarius & Salius, secuti Abulensem. Quod ad tribum Iuda atti net, cū hoc c. 24. dicitur fuisse quingenta millia, in Par. verò tantum 470. millia, dicendum in numero maiori fortasse comprehendi profelytos, qui se Dauidi dederant, vel tribum Iuda iuxta antiquos suos terminos æstimari, intra quos partes tribu Simeò, & Dan receptæ sunt Ios. 19. v. 29.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 10. ad 14.

Vulg. Percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus: & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valdè in hoc facto: sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.

Pag. Nunc Domine, fac transire, quaeso.

Arias. Peruerfitatem.

Malu. Quia stultus factus fui valdè.

Sep. Rom. Quoniam desipui valdè.

Syr. Fuit autem animo turbatus, &c. multum enim offendi.

Arab. Tum affectus est vehementi dolore, deliqui in eò quod feci, fateor me grauitè deliquisse.

Vulg. Surrexit itaque Dauid mane, & sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, & videntem Dauid, dicens.

Malu. Ad Prophetam præuidentem.

Cald. Surrexit ab Aurora, & verbum prophetiæ ab ante Dominum fuit cum Gad Propheta.

Syr. Cumque præuerrisset Dauid.

Vulg. Vade, & loquere ad Dauid: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi.

Pag. Tria offero tibi.

Arias. Tria ego imponens super te.

Tigur. Tria tibi defero.

Malu. Tria ego onerans.

Sep. Rom. Tria ego porto super te.

Reg. Contra te.

Cald. Vnum de tribus proicio super te.

Syr. Tria mala sum tibi illaturus.

Arab. Tres plagas immissurus sum in te.

Vulg. Cumque venisset Gad ad Dauid, nuntiauit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei qui me misit, sermonem.

Malu. Et si de tribus inuolutionibus fugere te faciebatur eo angustatorum tuorum, & ipse persequens tuus quid reuertere faciam reuertenti in eo verbum.

Sep. Rom. Si veniat tibi tres annos fames, vel fieri tribus diebus mortem.

Arab. Prima calamitatum quæ tibi obuenturæ sunt, &c. vel traderis hostibus qui te exagrabunt, &c. è tuo regno te expellent, & nocebunt tibi.

Vulg. Dixit autem Dauid ad Gad: Coarctor nimis: sed melius est vt incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum.

Pag. Angustius afficior valdè.

Arias. Incidam, obsecro in manu Domini.

Malu. Coangustatio mihi est valdè.

Cald. Tradere obsecro in manu dicti Domini.

Syr. Consultius est nobis cruciari manibus Domini.

Arab. Maximoperè me angit res ista optima, ramen verum est, vt Dominus nos suscipiat puniendos quandoquidem clementissimus est, nec tradamur in manus hominum vt nos crucient.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Percussit cor David eum, Alij, *Affectus est vehementi dolore.* Vide Concord. v. 6. c. 24. lib. 1. Reg. *Trium tibi datur optio, Alij, Onerans super te.* Sed Vulg. sensum non verba expressit. *Aut septem annis veniet tibi fames, Sep. Si tres annos veniat tibi fames,* id est, septem quidem annis erit fames, sed spatio trium annorum grauissima. Alij volunt principio annorum septem famem indictam, sed deinde illam ad triennij spatium fuisse contractam, quemadmodum Genes. 18. cum dixisset ignoscendum esse Sodomis, si ibi quinquaginta inuenirentur iusti, postea per quosdam quasi gradus, descendens ad decem vsque, iustorum illorum numerum contraxit: sic etiam Deus cum septem annorum principio minatus esset famem: aut quia David ad diuturnam illam famem exhorruit, aut quia mitiorem à Domino in eo genere precatus est famem, ad tres tantum annos coarctauit. Cum autem libri Paralipomenon supplementum sint quoddam eorum, quæ in libris regum videbantur omissa, & in his scriptor facer septem tantum annorum meminisset, qui libros Paral. attexuit, trium annorum meminit, ad quos posterior illa summa contracta est.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 10.

Percussit. Hic consequenter describitur punitio delicti, ubi primo ponitur determinatio pœnæ: secundo executio iustitiæ diuinæ, ibi: *Immisitque Dominus pestilentiam.* Tertio placatio offensæ, ibi: *Venit autem Gad.* Circa primum exprimitur pœnitentia David, cum dicitur. *Percussit.* Id est, conscientia eum reprehendit.

Peccauit. Peccato superbiæ, vt dictum est. Item ex mandati diuini transgressione, quod habetur Exod. 30. vbi dicitur. *Quando tuleris, &c.* Et quantum sit illud pretium, subditur ibidem. *Dimidium sicli.* Nolebat enim Dominus quod numeratio generalis populi qualem præcepit David fieri, fieret per capita, sed quod quilibet offerret Domino dimidium siclum, & tunc numerabantur sicli, & sic apparebat numerus populi, quia erat duplus ad numerum siclorum, vt dictum fuit Exod. 20. Hæc autem numeratio non fuit sic facta, & sic secuta fuit plaga. Consequenter ponitur determinatio pœnæ, cum dicitur.

ESTIVS.

Percussit. Reprehendit Davidem conscientia, Deo ad culpæ suæ agnitionem illum excitante.

Numeratus. Magna, aut maiori ex parte, non totus.

Transferas. Dimittas, condones.

MENOC.

Surrexit. Conscientiæ stimulo, & spiritu pœnitentiæ illum excitante, & virgine.

Videntem David. Quo scilicet Deus peculiariter utebatur ad suam Davidi voluntatem enuntiandam.

LYRAN.

Trium tibi datur optio. Et patet litera vsque ibi.

v. 12.

Aut septem annis, &c. Quomodo hæc non pugnent cum narratione quæ est 1. Par. 21. in specie ab hac diuersa, vide ibi explicatum.

ESTIVS.

v. 13.

Septem annis, &c. In Par. lib. 1. 21. 12. tres tantum anni famis proponuntur. Vel ergo septem annos pro multis Propheta Hebraica phrasi vsurpauit, vel septem à principio proposuit, deinde ad tres descendit.

LYRAN.

Coarctor, &c. Quia quodlibet illorum videbatur durum.

v. 14.

Sed melius. Eligendo pestilentiam trium dierum, tum

quia de Dei misericordia sperabat, tum quia si elegisset famem septem annorum, ipse & alij diuites prouidissent sibi de victu, & pauperes fuissent nimis afflicti. Item si elegisset fugam coram aduersariis, ipse & alij potentes fuissent protecti auxilio pugnatorum, & refugio fortaliorum, & ceteri fuissent occisi. Et ideo elegit pœnam omnibus æqualem, quia pestilentia à Deo missa æqualiter poterat cadere super regem, & pauperem.

Sed melius. Hæc causa est cur David potius elegerit pestem, quam vnum ex duobus reliquis: & maxime, ne videretur ipse flagellum Dei velle effugere, tradendo suos hostibus & tami: à quibus malis ipsius persona potuisset esse tuta: sed elegit pestem, in qua omnium par est conditio, vt agnosceret se in primis reum, & sicut postea dicit v. 17. *Ego sum qui peccauit.* Sed quaeritur, quomodo hic David dicat. *Melius est, &c.* cum Apostolus dicat ad Heb. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei?* Respondeo. David considerat Deum punientem in hoc sæculo, vt patrem. Apostolus autem, vt seuerum iudicem, loquitur de impœnitentibus. Neque etiam contrarium est his verbis David, quod dixit Susanna in angustiis constituta: *Melius est, &c.* loquens de improbis senibus: Nam David hic facit comparisonem inter diuersa mala pœnæ: Susanna autem tanquam minus malum, elegit malum pœnæ, pro malo culpa. Sic enim subiungit: *Quam peccare, &c.*

Coarctor nimis. Cum hæc mala diuturnitate diuersa, re tamen ipsa paria sint.

Melius est. Quocumque modo plecteretur David, semper incidebat in manus Domini, nec homines plus illi nocere poterant, quam Deus permisisset, sed loquitur iuxta popularem loquendi, aut sentiendi modum, quo dicere solemus, mitius nobiscum Deum agere, quam homines. Deus enim vt pater castigat, parentes vero humanius filios puniunt quam iustitiæ ministri. Videtur ergo David famem, aut pestem elegisse, excluso bello.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 15. & 16.

Vulg. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de manè vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, à Dan vsque ad Bersabee, septuaginta millia virorum.

Pag. Dedit pestem.

Malu. Vsque ad stationem.

Sep. Rom. Elegit sibi mortem, & erant dies messis frumentorum, & dedit Dominus mortem in Israel à manè vsque ad horam prandij, & cœpit quassatio in populo, & perierunt, &c.

Cald. Dedit pestem à tempore quo mactatur iuge, quousque adoleatur.

Syr. & Arab. Vsque ad horam diei sextam.

Vulg. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti popu-

pulum: Sufficit: nunc contine manum tuam, erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi.

Pag. Pœnituit Dominus super malo, dixit Angelo disperdenti, quiescere fac manum tuam.

Arias. Dixit Angelo corruptenti in populo, multum nunc, remitte manum.

Tigur. Vt illam afflictaret, dixit ad Angelum vastantem.

Vatab. Exterminatorem cohibe.

Malu. Angelo funditus perdenti.

Alij. Desine cum manu tua.

Sep. Rom. Ad corrumpendam eam, & reuocauit se Dominus super malo.

Cald. Rediit Dominus à malo inferendo.

Syr. Compescuit Dominus Angelum mortis.

Arab. Satis iam peremisti, desiste.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

V *Sque ad tempus constitutum.* Alij, *Vsque ad horam prandij.* Quod ad sextam sumitur, ita vt sex tantum horas illa vis pestilens durauerit. *Cald.* *A tempore quo mactatur iuge, quousque adoleatur,* & ita censent tempus constitutum esse tempus vespertinum, quando sacrificium iuge quod à vespere sibi nomen sumpsit, immolatur. *Sep. Rom.* *Et erat messis frumentorum,* sed hæc absunt à Compl. à Reg. sicut & ab alijs. Habent etiam, *Cœpit quassatio in populo,* quæ etiam absunt. *Miserus est Dominus,* Alij, *Pœnituit.* Vide Concord. vers. 6. *Contine manum tuam,* Alij, *Quiescere fac manum,* à peste mittenda.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 15.

I *mmisitque.* Hic ponitur dictæ pœnæ executio, cum dicitur.

De mane. Id est, vsque ad tertiam diem inclusiuè, vt dicunt aliqui, quia sic erat pœna determinata. Sed hoc non videtur verum, quia infra dicitur. *Venit autem Gad ad Dauid in die illa.* Et videtur loqui scriptura de prima die pestilentia. Ad hoc enim venit Gad, vt Dauid offerret holocaustum, & cessaret plaga inchoata, vt habetur infra. Ex quo videtur etiam, quod tempus pestilentia non erat consummatum. Et ideo dicunt alij, quod tempus constitutum intelligitur tempus prandij. Sed tale tempus non videtur esse constitutum in lege: & ideo dicunt alij, & melius vt videtur, quod tempus constitutum intelligitur hora sacrificij vespertini. Illud enim statutum fuit in lege Exod. 29. ita quod à manè primæ diei vsque ad horam illam, mortui sunt de populo 70. millia virorum. Sed tunc occurrit dubium, quia sicut dictum est, pestilentia trium dierum erat determinata, & sic videtur quod sit mutatio facta in Deo, ad quod dicendum quod non, quia pestilentia trium dierum erat dicta per modum comminationis, sicut Ionæ 4. *Adhuc quadraginta dies, &c.* Quæ tamen non fuit subuersa. Sic in proposito duo dies pestilentia vltimi fuerunt tantum per comminationem dicti, primus verò dies per modum sententiæ diffinitiuæ, propter quod fuit pestilentia tantum illo die: ideo subditur. *Miserus est, &c.*

ME NOC.

Immisitque. Non ex causis naturalibus, sed Angelo percussore immisso.

A *Vsque ad tempus constitutum.* Scilicet per triduum.

Septuaginta millia virorum. Tantam stragem populi edidit Angelus non solum in Dauidis pœnam, sed etiam vt puniretur populus, qui primum Absalonem secutus, & postea Seba filium Bochri contra regem suum rebellauerat.

Immisitque.] Simulatque enim ex tribus propositis plagis Dauid pestem triduanam delegerat, eodem manè, eodem temporis vestigio grassari cœpit vbique contagio: durauitque vsque ad prandium eiusdem diei, inquit Sept. & Iosephus, Origenes, Ambrosius, Theodoretus, & historia Scholastica. Heb. textus insinuat, durasse vsque ad tempus sacrificij vespertini. Et ita sentit S. Hieron. secutus Heb. & Lyran. Hugo, Dionysius, Emanuël Sa, Mariana & Sanctius. Et hoc verosimilius est, quàm quod ait Abulensis, durasse toto triduo. Quia credibile non est, Dauidem toto triduo distulisse pœnitentiã agere, & pro populo deprecari.

Iuxta aream Areuna Iebusæi. Iste erat binomius, quia cum hoc vocatur Orna, vt habetur i. Par. 21. LYRAN.
v. 16.

Super Ierusalem. Multis iam ex regia ciuitate cassis, vt patet ex c. 21. i. Par. n. 15. vbi legimus. *Misit quoque, &c.* MENOC.

Contine, &c. Ex quo intelligi potest nesciuisse Angelum à principio numerum interficiendorum. Nisi dicere velimus hæc more humano narrari; Angelum verò ab initio accepisse diuinitus quantum cedendo progredi deberet.

Iuxta aream Areuna Iebusæi. Origine, & gente, non autem religione. Porro area Areuna sita erat in monte Moria, vbi Isaac immolare pater voluit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 17. ad 25.

V *Vulg.* Dixitque Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cadentem populum: Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.

Malu. Ecce ego erraui, & ego deprauare feci.

Sep. Rom. Ecce ego iniuste egi.

Cald. Isti populus qui sunt sicut pecus in manu pastoris, sit quæso percussio tua in me.

Sep. Iram excitauit.

Arab. Crimen commisi, quænam est culpa istorum, qui similes sunt iumentis humilibus?

Vulg. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino in arca Areuna Iebusæi.

Malu. Surge, fac altare.

Cald. In loco arearum.

Vulg. Et ascendit Dauid iuxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus.

Vulg. Conspiciensque Areuna, animaduertit regem, & seruos eius transire ad se.

Malu. Transeuntes super eum.

Sep. Accedentes desuper se.

Vulg. Et egressus adorauit regem prono vultu in terram, & ait: quid causæ est vt veniat Dominus meus rex ad seruum suum? Cui Dauid ait: Vt emam à re aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio quæ grassatur in populo.

Pag. Et restringatur plaga.

Arias. Incuruauit vultus suos regi.

Malu. Quid cognitionis venit sustentator meus? &c. & præualita fuit consternatio desuper populum.

Cald. Vt cohibeatur pestis.

Arab. Tollatur mors.

Vulg. Et ait Areuna ad Dauid: accipiat, & offerat Dominus meus rex, sicut placet ei: habes boues in holocaustum, & plaustrum, & iuba bouum in vltum lignorum.

Pag. Instrumenta bouum.

Malu. Vide bouem ascensioni, & trahas, & vasa bouis, lignis.

Sep. In holocaustoma, & rotæ, & vasa bouum.

Cald. Accipiat, & adoleat Dominus meus rex quod statutum est in oculis.

Arab. Et etiam tauros pro sacrificio, & campus syluestria est lignis abundans.

Vulg. Omnia dedit Areuna rex regi: dixitque Areuna ad regem: Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum.

Arias. Deus tuus te velit.

Caiet. Dedit Areuna regi, &c. gratificetur tibi.

Malu. Acceptabit te.

Sep. Rom. Dominus benedicat te.

Cald. Accipiat oblationem tuam in beneplacito.

Vulg. Cui respondens rex: Nequaquam vt vis, sed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo Dauid aream, & boues, argenti siclis quinquaginta.

Malu. Non ascendere faciam Elohim ascensiones gratis.

Arab. Non offeram holocaustum vi ablatum.

Vulg. Et ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.

Arias. Ascendere fecit ascensiones, & exorabilis fuit, & restricta est.

Malu. Fuit consternatio.

Sep. Obtulit holocaustos, &c. & addidit ad altare in nouissimo, quoniam paruam erat in primis, & exaudiuit

Dominus terram, & cohibita est quassatio.
Cald. Et oblationem sanctitatum, suscepit Dominus ora-

tionem incolarum, & cohibita est pestis.
Arab. Mors.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cesset interfectio, Alij, *Restringatur, comprimatur plaga* Id est, ne ultra grassetur pestis in populum. *Dedit Arcuna rex regi.* Alij non habent, *Rex*, quia tunc non erat, licet antequam capta fuisset arx Ierusalem à Dauide, cunctis inde Iebusæis, rex eorum fuerat: Alij volunt per *regem*, regulum intelligi, id est, hominem nobilem, & multatum opum, *Iuga bouum, & plaustrum in usum lignorum*, Alij, *Et trahas, & vasa bonis, instrumenta, &c.* Vox moreghim significat ea instrumenta, quibus trituras menses, & conterimus glebas. *Suscipiat votum tuum.* Alij, *Acceptabit te, &c.* Id est, gratum te habeat, necnon & sacrificia tua.

Emit aream, &c. argenti siclos 50. 1. Par. 21. *Dedit Dauid ipsi Ornam pro loco siclos auri pondere sexcentorum.* Sed sic conciliatur hic locus, ita vt pro toto loco areæ, seu monte Moria, dati sint 600. sicli aurei: singulariter tamen pro loco areæ, seu altaris in area 50. sicli argenti: Alij volunt pro ipsa area datos fuisse sexcentos siclos aureos, pro bobus vero 50. siclos argenti.

ANNOTATIONES.

TIRINVS
V. 17.

Cum vidisset Dauid Angelum.] Ex 1. Par. 21. v. 16. A colligi videtur, præter Dauidem etiam seniores populi eundem Angelum cum euaginato gladio vidisse: vnde etiam vna cum rege, *vestiti ciliciis ceciderunt proni in terram.* Et ibidem v. 20. dicitur etiam ab *Arcuna Iebusæo, & à quatuor ipsius filiis visus fuisse.* Denique v. 18. ibid. dicitur, idem *Angelus præcepisse* Prophetæ *Gad*, vt ad auertendam pestem, moneret *Dauidem* de *altari in area* Arcuna constituendo. De quo vide plura ibid.

LYRAN.
V. 18.

Venit autem Gad, &c. Hic consequenter describitur placatio offensæ, per reuelationem Domini, quod notatur, cum dicitur. *Et ascendit, &c.*

MENOC.

Ascende. Erat Dauid in arce Sionis editiore monte Moria, in quo, vt dixi, erat area Iebusæi, sed interiecta erat vallis, siue vorago dicta Mello, inter vtrumque collem, ideoque prius descendendum Dauidi fuit, vt rursus ad dictam arcem ascenderet.

LYRAN.
V. 21.

Et egressus, &c. Id est, fecit ei reuerentiam, regi debitam. Ille enim quamuis esset Gentilis, erat amicus Dauid, & ei confederatus, quia per eum Dauid habuerat partem ciuitatis Ierusalem. Cætera patent vsque ibi.

Iuga bouum in usum lignorum. 1. Par. 21. additur. *Et tribulas in ligna.* Sunt autem tribulæ instrumenta lignea dentata ad comminuendas glebas.

Omnia, &c. Id est, dare voluit, sed Dauid accipere noluit nisi pro pretio, vnde sequitur.

Emit ergo, &c. Par. 21. d. dicitur. *Dedit ergo Dauid Ornam, &c.* Et ideo litera quæ sic habet, debet hinc punctuari. *Emit ergo Dauid, &c.* Tacetur hinc pretium, quod 1. Par. exprimitur, sexcentorum auri siclorum, & sequitur. *Et boues argenti, &c.* Scilicet pro bobus tantum.

Siclis quinquaginta. At in Par. loco citato dicitur dedisse sexcentos. Communis, & melior explicatio est dedisse quinquaginta pro bobus, sexcentos pro area.

Et edificauit, &c. Scilicet ille locus est, in quo Abraham voluit immolare Isaac filium suum, vt dictum fuit Gen. 28. Et ibi postea fundatum fuit templum per Salomonem, vt habetur infra lib. 3. c. 5. & Par. 3.

Et propitius est Dominus terra. Hæc propitiatio declaratur 1. Par. 21. 26. vbi legimus: *Et innocauit Dominum, &c.* In signum videlicet placati, ac propitiati numinis, depluit ignis de cælo, quo consumptum est holocaustum.

FINIS LIBRI SECUNDI REGVM.





LIBER

TERTIVS

REGVM.

SECVNDVM HEBRÆOS

PRIMVS MALACHIM.

N quo recensetur mors Dauidis, inauguratio Salomonis, eiusque acta: diuulsio decem tribuum, à tribu Iuda: & acerba dissidia præliaque regum Israël & Iuda.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

A Bisag Sunamitis Dauidem iam senio confectum fouet, & calefacit; nec tamen ab illo cognoscitur. Adonias maior natu filiorum Dauid regnum occupabat clam patre. Sed huius iussu, unctomox Salomone, Adonias fugam cepit: quem tamen Salomon iubet securum domi degere.

1. **R**ex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat. 2. Dixerunt ergo ei serui sui: Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum regem. 3. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem. 4. Erat autem puella pulchranimis, dormiebatque cum rege, & ministrabat ei, rex verò non cognouit eam. 5. Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus, & equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eum. 6. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem, & ipse pulcher valdè, secundus natu post Absalom. 7. Et sermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ. 8. Sadoc vero sacerdos, & Banaias filius Ioiadæ, & Nathan propheta, & Semei & Rei, & robur exercitus Dauid, non erat cum Adonia. 9. Immolatis ergo Adonias arietibus & vitulis, & vniuersis pinguibus, iuxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus Fonti Rogel, vocauit vniuersos fratres suos filios regis, & omnes viros Iuda seruos regis. 10. Nathan autem prophetam, & Banaiam, & robustos quosque, & Salomonem fratrem suum, non vocauit. 11. Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti, quod regnauerit Adonias filius Haggith, & dominus noster Dauid hoc ignorat? 12. Nunc ergo veni, accipe consilium à me, & salua ani-

mam tuam, filiique tui Salomonis. 13. Vade, & ingredere ad regem Dauid, & dic ei: Nonne tu Domine mi rex iurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in folio meo? Quare ergo regnat Adonias? 14. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos. 15. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum: rex autem senuerat nimis, & Abisag Sunamitis ministrabat ei, 16. inclinavit se Bethsabee, & adorauit regem. Ad quam rex: Quid tibi, inquit, vis? 17. Quæ respondens, ait: Domine mi, tu iurasti per Dominum Deum tuum, ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in folio meo. 18. Et ecce nunc Adonias regnat, te, Domine mi rex, ignorante. 19. Mactauit boues, & singula quæque, & arietes plurimos, & vocauit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, & Ioab principem militiae: Salomonem autem seruum tuum non vocauit. 20. Verumtamen Domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israël, vt indices eis, quis sedere debeat in folio tuo, Domine mi rex: post te. 21. Eritque cum dormierit Dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores. 22. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. 23. Et nuntiauerunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis, & adorasset eum pronus in terram: 24. Dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, & ipse sedeat super thronum meum? 25. Quia descendit hodie, & immolauit boues, & pingua, & arietes plurimos, & vocauit vniuersos filios regis, & principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Viuat rex Adonias: 26. Me seruum tuum, & Sadoc sacerdotem, & Banaïam filium Ioiadæ: & Salomonem famulum tuum, non vocauit. 27. Numquid à Domino meo rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicasti seruo tuo, quis sessurus esset super thronum Domini mei regis post eum? 28. Et respondit rex Dauid, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, & stetisset ante eum, 29. iurauit rex, & ait: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia. 30. quia sicut iuravi tibi per Dominum Deum Israël, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie. 31. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adorauit regem, dicens: Viuat Dominus meus Dauid in æternum. 32. Dixit quoque rex Dauid: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banaïam filium Ioiadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege, 33. dixit ad eos: Tollite vobiscum seruos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite in Gihon. 34. & vngat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, in regem super Israël: & canetis buccina, atque dicetis: Viuat rex Salomon. 35. Et ascendetis post eum, & veniet, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me: illique præcipiam vt sit dux super Israël, & super Iudam. 36. Et respondit Banaïas filius Ioiadæ, regi, dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis. 37. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium eius à folio Domini mei regis Dauid. 38. Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, & Banaïas filius Ioiadæ, & Cerethi & Phelethi: & imposuerunt Salomonem super mulam regis Dauid, & adduxerunt eum in Gihon. 39. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Viuat rex Salomon. 40. Et ascendit vniuersa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, lætantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum. 41. Audiuit autem Adonias, & omnes qui inuitati fuerant ab eo, iamque conuiuium finitum erat: sed & Ioab, audita voce tubæ, ait: Quid tibi vult clamor ciuitatis tumultuantis? 42. Adhuc illo loquente, Ionathas filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, & bona nuntians. 43. Responditque Ionathas Adoniæ: Nequaquam: Dominus enim noster rex Dauid, regem constituit Salomonem, 44. misitque cum eo Sadoc sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banaïam filium Ioiadæ, & Cerethi & Phelethi, & imposuerunt eum super mulam regis. 45. Vnixeruntque eum Sadoc sacerdos, & Nathan Propheta regem in Gihon: & ascenderunt inde lætantes, & insonuit ciuitas: hæc est vox, quam audistis. 46. Sed & Salomon sedet super solium regni. 47. Et ingressi serui regis benedixerunt domino nostro Dauid, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius super thronum tuum. Et adorauit rex in lectulo suo: 48. Et locutus est: Benedictus Dominus Deus Israël, qui dedit hodie sedentem in folio meo, videntibus oculis meis. 49. Territi sunt ergo, & surrexerunt omnes qui inuitati fuerant ab Adonia, & iuit vnusquisque in viam suam. 50. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, & abiit, tenuitque cornu altaris. 51. Et nuntiauerunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens: Iuret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat seruum suum gladio. 52. Dixitque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram: sin autem malum inuentum fuerit in eo, morietur. 53. Misit ergo rex Salomon, & eduxit eum ab altari: & ingressus adorauit regem Salomonem: dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. i. ad 4.

Vulg. Et rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat.

Pag. Venerat in dies, &c. non erat ei calor.

Sep. Prouectus diebus.

Arab. Cùm esset ætate prouectus, & iam senuisset, valdeque grandæuus factus esset.

Vulg. Dixerunt ergo ei serui sui: Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum regem.

Arias. Stet ad facies regis, & sit ei proficiens, & cubet in sinu eius.

Alij. Sit consors thori, concubina.

Malu. Quærent sustentatori meo excussam, &c. & fuit ei consuefcens, & incalcfcet sustentatori meo.

Cald. Ministra ante regem, & fit illi propinqua.

Arab. Famuletur, & complexetur eum.

Vulg. Quæserunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem.

Vulg. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, & ministrabat ei, rex verò non cognouit eam.

Pag. Regem fouebat.

Malu. Fuit regi consuefcens.

Cald. Et erat propinqua.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Foueat eum, Alij, Sit ei proficiens, ministræt ei. Hebr. שֹׁכֶנֶת socheneth. Ampla est huius participij fœminei significatio, interpretatur enim conueniens, utilis, proficiens, habitatrix, consuefcens, adiutrix, &c.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
y. l.

ET rex Dauid senuerat, &c. In præcedentibus libris factum est de regno filiorum Israël vnito, hinc consequenter agitur de regno eius diuiso. Propter quod apud Hebræos duo libri præcedentes, sunt vnus liber qui vocatur Samuël, & duo sequentes sunt vnus alius liber, qui vocatur Malachim, id est, regnum in plurali. Primo igitur de duplici regno agitur prout floruit. Secundo, prout cadere cœpit, scilicet quarto libro, quia ex tunc gentes subditæ Hebræis cœperunt rebellare, & tandem dominari eis, & finaliter eos captiuare. Circa primum sciendum, quod vbi vnus regimen terminatur, sequens inchoatur: idè primò agitur de regni vnitæ, sub Salomone in principio regni sui. Secundò de regni diuisione, circa finem vitæ c. 11. Prima in duas: quia primò describitur ipsius Salomonis regni institutio; secundò instituti confirmatio c. 11. Prima in tres, quia primò describitur ipsius Dauid fenilis conditio; secundò Adonias ambitio, ibi: Adonias autem. Tertiò Salomonis promotio, ibi: Dixitque Nathan. Circa primum dicitur.

Et rex Dauid senuerat, &c. Et tamen non habebat nisi 70. annos ad plus, quia 60. annorum erat quando cœpit regnare, & 50. annis regnauit, vt habetur supra lib. 2. c. 3. Sed ad sensum patet, quod aliqui citius senescunt, & alij tardius, secundum diuersitatem complexionum, & laborum, & curarum.

Cumque, &c. Quod fuit satis mirabile de tanta frigiditate in homine bene complexionato. Cuius vna causa assignatur: quia à iuuentute fuit bellicosus, propter quod multos ictus, & plagas sustinuit, ex quibus plurimus sanguis emanauit, propter quod citius senuit, & infrigidatus fuit. Alia etiam causa subditur: quia ex visione Angeli tenentis gladium euaginatam super Hierusalem, vt dictum est supra lib. 2. c. 24. supra modum territus fuit. Timor autem infrigidat, & maximè excessiuus, propter quod timentes pallefcunt, & tremunt: & ideo ex tunc Dauid notabiliter infrigidatus fuit. Aliam etiam causam assignat Ra. Sa. dicens, quod fuit in pœnam peccati quo abscondit oram vestis Saül, vt habetur supra lib. 1. c. 24. Quod enim in hoc peccauerit, videtur, quia ibidem subditur: Post hac percussit cor suum Dauid, eo quod abscondisset oram Chlamydis Saül. Quamdiu Saül à Deo tolerabatur in regno, Dauid debebat eum reuereri: & quia in hoc irreuerenter se habuit ad ipsum, fuit punitus pœna correspondente, scilicet vt vestibus non calefieret in senectute, secundum illud Sap. c. 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

MENO C. Habebat ætatis plurimos dies. Annum agebat septuagesimum, nam anno trigesimo regnare cœpit, & annos quadraginta regnum tenuit, vt disertè dicitur 2. Reg. 5. 4.

Tom. IV.

A Filius, inquit, triginta annorum erat Dauid cum regnare cœpisset, &c.

Quæramus Domino nostro regi adolescentulam, &c. Glos. Hier. super locum istum dicit sic. Nonne tibi videtur, &c. Et idè dicitur, quod hæc est locutio parabolica, itaque per Abisag Virginem, intelligitur sapientia, quæ est incorrupta: quæ coniungitur senibus, secundum quod dicitur Iob. 12. In antiquis est sapientia. Et hoc maximè in Dauid, in quo in senectute maximè viguit spiritus Prophetiæ, prout dictum fuit supra lib. 2. c. 23. Et hæc sapientia calefcit regem Dauid, ipsum ad amorem diuinum accendendo, & talis modus loquendi parabolicus, frequenter habetur in scriptura, sicut habetur Iudic. 9. Ierunt ligna vt ungerent super se regem, &c. Sicut fuit expositum ibidem. Sed salua reuerentia Hier. istud dictum stare non potest, vt videtur: quia circumstantia literæ ostendit manifeste, quod Abisag fuit quædam puella ad literam adducta ipsi Dauid in remedium frigiditatis corporalis. Quod etiam patet ex hoc, quod Adonias qui erat iuuenis petiuit eam pro vxore mortuo Dauid, vt habetur inf. c. 2. Et ideo oportet dicere ad veritatem literæ, quod fuerit puella corporalis: secundum hoc igitur exponitur, cum dicitur.

Dixerunt. Scilicet medici qui erant solliciti de eius vita prolonganda propter suam sanctitatem.

B Quæramus Domino, &c. Dicunt enim medici, quod optimum remedium contra frigiditatem membrorum, & paralyfin imminentem, est amplexus mulieris, maximè iuuenulæ, & virginis: & idè talis fuit adducta ipsi Dauid. Nec ex hoc peccauit: quia cum ea contraxit matrimonium, vt magis patebit ex sequentibus. Senes enim quantumcumque possunt contrahere, licèt non possint generare. Et sicut dicunt Doctores, si mulier scienter contrahat cum frigido, non potente eam cognoscere, nihilominus tenet contractus: & sic fuit in proposito: & ideo vti amplexibus huius virginis in statu matrimoniali, non videtur fuisse illicitum ipsi Dauid, maximè cum hoc esset ei in remedium tantæ frigiditatis.

Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum. Quæritur an Dauid hanc Sunamitidem duxerit in vxorem? Hieronymus videtur sentire, quod fuerit virgo, & vxor. Sed dicendum scripturam non indicare quod eam duxerit in vxorem, sed magis videtur significare contrarium; nam dicitur tantum quæsitæ ad calefaciendum corpus senile regis. Deinde si vxor fuisset Dauidis, quomodo Adonias filius eius tam impudens fuisset, vt eam peteret sibi in vxorem? Nam ducere eam vxorem, quæ fuisset vxor patris, expressè prohibitum est Leuit. 18. vbi dicitur. Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies.

ESTIVS.

Bbb ij

MEN OC. *Dixerunt serui sui.* Medici nimirum, vt Iosephus affirmat.

MEN OC. *Dormiebatque cum rege.* Duxerat enim illam rex vt vxorem.

Y. 4. *Ministrabat ei.* Vt delectabilius comederet de manu eius, vt pridem Amnon de manu Thamar.

Rex vero non cognouit eam. Hoc exprimitur à scriptura, quia facit ad laudem Dauidis, à licita delectatione, quæ ætati parum conueniebat abstinentis. Secundò, quia pertinet ad significandum puellæ statum, quæ rege mortuo virgo permaneret. Tertia confert ad causam Adoniæ eam in vxorem postulantis, quod alioqui non licuisset illi, vt multis disputat Abulensis quæstion. 6. in hoc caput, de quo tamen, vide infra capite 2. numero 21.

TIRINVS *Rex vero non cognouit eam.* Vel hinc ergo patet, hanc Abisag Sunamitidem, id est, de Suna ciuitate tribus Issa-

char oriundam, non ancillam fuisse Dauidi, sed veram vxorem. Vt quid enim diceretur, tanquam res admodum miranda, hæc virgo à Dauide non fuisse cognita, nisi legitime cognosci potuisset? Et cur Adonias, eò quòd ipsam in vxorem mortuo Dauide expetiit, interfici iussus est? An viam sibi sternebat ad regnum per nuptias ancillæ parentis sui? Abulensis concedit fuisse concubinam, seu ex secundariis vxoribus. Sed S. Hieronymus, Theodoretus, Procopius, Lyraus, Dionysius, Caietanus, & alij dicunt è primariis fuisse: Addit S. Hieronymus, Tropologicè per Sunamitidem intelligi sapientiam, quæ vbi omnia alia naturæ adiumenta ornamentaque deficiunt, comitatur, recreat, solatur, & fouet senectutem. Quæ verò ratione corpus senile flaccescente naturali calore, vegetari roboratque possit halitu iuuenili, fuse demonstrat Valefius, & alij medici.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. ad 10.

Vulg. Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus & equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eum.

Malu. Leuare faciens se.

Cald. Magnificabat se.

Syr. Superbia elatus dicebat.

Arab. Extulit se & ait: Ego futurus sum rex post patrem.

Vulg. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem, & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom.

Pagn. Et non dolore affecit eum pater suus diebus eius.

Caiet. Non contristauit eum.

Tigur. Noluit eum dolore afficere.

Malu. Non dolore sauciauit eum.

Sep. Rom. Non prohibuit eum, & cum pepererat post Absalom.

Cald. Non confudit illum.

Arab. Numquam inhibuit, nec obiurgauit eum de rebus quas fecerat.

Vulg. Et sermo ei cum Ioab filio Saruix, & cum Abiathar sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.

Sep. Adiuuabant post Adoniam.

Cald. Fuerunt verba eius in consilio.

Arab. Committebat res suas, consilium suum, & milites suos Ioab.

Vulg. Sadoc vero sacerdos, & Banaias filius Ioladæ, & Nathan Propheta, & Semei, & Rei, & robur exercitus Dauid, non erat cum Adonia.

Pag. Et fortes qui erant Dauidi.

Malu. Et præualidi.

Sep. Rom. Filij potentes non erant post Adoniam.

Reg. Et amici eius existentes fortes Dauid.

Cald. Non fuerunt in consilio Adoniahu.

Arab. Gigantes Dauid non erant propensi ad Adoniam.

Vulg. Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & vniuersis pinguibus, iuxta lapidem Zohelth, qui erat vicinus Fonti Rogel, vocauit vniuersos fratres suos filios regis & omnes viros Iuda seruos regis.

Pag. Inuitauit fratres suos.

Malu. Sacrificauit ouem, &c. merinum cum lapide Zohelth, qui reseruatio Gheri Rogel.

Sep. Rom. Agnos cum Æthe ipsius Zohelthi, &c. & omnes robustos, & pueros regis.

Reg. Iuxta lapidem.

Cald. Mactauit iuxta petram speculæ, quæ est in latere fontis Fullonis.

Arab. Et inuitasset, &c. cunctos duces familiæ Iudaicæ; omnesque duces regis illustriores.

Vulg. Nathan autem Prophetam, & Banaiam, & robustos quosque, & Salomonem fratrem suum, non vocauit.

Cald. Non inuitauit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Eleuabatur, Alij, Magnificabat se. Explicat Arab. Superbia elatus. Et sermo ei cum Ioab. Cald. Fuerunt verba eius cum consilio. Id est, communicato cum eis consilio, conspirauit iuxta lapidem Zohelth. Sept. Rom. habent, Cum Æthe ipsius Zoelthi. Reg. tamen, & Compl. Iuxta lapidem Zohelth. Omne robur exercitus. Sep. Reg. Et amici eius, qui erant potentes, quod à Vulg. diuersum est, nec non ab Heb. plus enim expriment quam ipsi Sep. Vicinus fonti Rogel, Alij, Fonti Fullonis, sic dicti quod in eo lauarent vestes pedibus conculcatas; vnde Rogel à pede deriuatur, qui רגל regel dicitur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **A**donias autem. Hic consequenter describitur ipsius B Adoniæ ambitio, cum dicitur.

Eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Hoc non dicebat in palam, sed secretariis suis qui ei fauebant, vt postea habetur.

Fecitque sibi. Ad ostentationem, & quandam dispositionem ad regnandum.

ESTIVS. *Adonias autem eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus & equites, &c. Nec corripuit eum pater suus.* Simile quid habemus 2. Reg. 13. quando Amnon filius Dauid incestum cum sorore sua commiserat; Et noluit (inquit scriptura) Dauid contristare spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum. Sanè utrobique scriptura taxare videtur in Dauide nimiam indulgentiam erga filios, quos sciebat grauiter delinquere; & ne eos contristaret,

corripere tamen pro merito non audebat. Et idem accidit in Absalone, quem cum pater videret instituire regiam pompam, similiter eum non corripuit. Vnde, & rebellio Absalonis in patrem est secuta. Itidem multi alij tempore veteris testamenti viri, alioqui sancti, hac parte infelices fuerunt, in filiorum educatione. Exemplo sunt filij Iacob, filij Heli, filij Samuëlis, filij Dauid, filius Ezechia, filij Iosifæ. In quibus etsi Heli, & Dauid causam aliquam dedisse legantur nimia sua in filios indulgentia, causa tamen generalior quoque ista non improbabiler assignatur, quod tempore veteris testamenti matrimonium nondum esset propriè dictum sacramentum; neque eam gratiam largiretur ad prolem piè educandam, quàm confert tempore noui Testamenti, iis qui cum debita præparatione matrimonium incunt.

MENOC. *Elevabatur.* Ambitioso spiritu. *Fecitque sibi currus, &c.* Absalonem imitatus, de quo supra lib. 2. c. 15. initio putabat sibi regnum deberi, quia erat primogenitus.

LYRAN. *Nec corripuit.* Videtur quod ex hoc David peccaverit graviter sicut Heli, ut dictum est supra lib. 1. c. 2. Dicendum quod non est simile: quia peccatum filiorum Heli fuit directe contra Deum, factum autem Adoniae quantum exterius apparebat, non erat nisi quaedam vanitas vel ostentatio, quae satis communiter permittitur filiis regum: & forte David qui iacebat in lecto, nesciuit quod in hoc excederet: & si sciuit, tamen ignoravit quod ad regnum aspiraret, quod patet ex hoc: quod quando sibi innotuit, quod tanquam rex festum faciebat, statim Salomonem regem instituit, ut habetur infra eodem capite.

Erat autem, &c. Ex pulchritudine enim ista, & ex hoc quod erat primogenitus inter filios David viuentes, & quia patrem videbat impotentem, fuit elatus ad usurpandum sibi honorem regium absque licentia patris.

MENOC. *Nec corripuit eum pater suus.* Cuius indulgentiae in filium causa in sacro textu subditur cum ait: *Erat autem, & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom,* nimiae remissionis, & negligentiae merito accusatur David ab Abulensi quæst. 12. & 13. in hoc caput, & ab aliis. Sunt tamen qui putent senem, & lecto frequenter affixum quæ fierent ignorasse, quod parum est probabile, aut metu maioris mali dissimulandum censuisse.

LYRAN. *Et sermo, &c.* Cuius causa fuit ex parte Adoniae, ut per ipsum Ioab, qui fuit magister militiae haberet militiam sibi fauentem. Ex parte autem Ioab causa fuit: quia bene perceperat quod David habebat cordi vindictam occisionis Abner, & Amasa: quod David hoc imponeret filio suo regnuro: & ideo quærebat ut per eius auxilium Adonias institueretur, & sic sibi parceretur.

Et cum Abiathar. Cuius causa fuit ex parte Adoniae, ut per Abiathar qui erat summus sacerdos, populus ad ipsum inclinaretur, & ab ipso inungeretur. Ex parte vero Abiathar causa fuit, quod descenderat de Heli: cui dictum fuerat ex parte Dei, quod filij eius essent à summo sacerdotio deponendi, prout dictum fuit supra lib. 1. c. 2. Item, quia sicut dicunt Hebraei, à tempore quo fugit David de Hierusalem propter Absalom, Dominus non dedit responsum per Abiathar, sicut tactum fuit supra lib. 2. c. 15. licet in

A aliis faceret officium summi sacerdotis: & ideo quærebat habere regem filij fauorabilem, ne à statu suo deiceretur.

Sermo ei cum, &c. Ioab, & Abiathar Adoniae fauebant, **MENOC.** quia forte sibi persuaserant regnum illi ut primogenito deberi, quemadmodum Pontificatus ad primogenitura transibat. Sic Iosaphat Ioram regnum reliquit, eo quod vnigenitus esset, ut dicitur 2. Par. 21. 3. vel etiam illi fauebant ut sibi eum deincerent, & in muneribus Ducis exercitus, & summi Pontificis confirmarentur.

Sadoc sacerdos. Abiathar æmulus. **MENOC.**

Banaias. Summæ militum præfecturæ candidatus. **Y. 8.**

Nathan Propheta. Qui Salomoni erat educatione, & benevolentia pater.

Semei. Quem D. Hieron. in traditionibus Heb. in hunc librum, ait fuisse Nabath patrem Ieroboam, qui postea regnavit super decem tribus.

Rei. Quem idem Hieron. tradit fuisse Iram Iairitum, qui 2. Reg. 20. 26. dicitur sacerdos David.

Immolatis. Id est, in signum regiae dignitatis. **LYRAN.**

Iuxta lapidem Zobeled. Zobeled erat lapis magnus extra civitatem, in cuius motione, & tractatione viri fortes experiebantur vires suas, & ideo Heb. dicunt hic: *Iuxta lapidem tractum.* **Y. 9.**

Qui erat vicinus. Hebraei dicunt fonti Fullonis: quia prope fontem illum erat locus ubi Fullones parabant pannos. Et huic consonat quod habetur infra lib. 4. c. 18. de Rabface, & sociis eius. *Steterunt iuxta aqueductum piscine, &c.* Et sic secundum Hebraeos Zobeled, & Rogel non sunt nomina propria, sed appellativa.

Immolatis ergo Adonias, &c. Non per se ipsum, sed sacerdotum ministerio. **MENOC.**

Iuxta lapidem Zobeled. Qui erat lapis magnus extra civitatem, inquit Lyranus, in cuius motione, & tractatione viri fortes experiebantur vires suas. Porro lapis hic, sicut & fons Rogel, erant ad Orientalem partem urbis, in valle Iosaphat, iuxta torrentem Cedron.

Vocavit uniuersos fratres suos. Scilicet ad conuiuium, quod institutum est, quia semper sequebatur huiusmodi sacrificia, & quia fratrum, & aliorum benevolentiam sibi conciliare studebat, à quibus admoueri volebat ad regnum.

De fonte Rogel. Vide quæ dixi 2. Reg. 17. v. 17. **TIRINVS**

Nathan autem. Quia non fauebant sibi, sed Salomoni. **LYRAN.**

Y. 10.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. II. ad 21.

Vulg. Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti, quod regnauerit Adonias filius Haggith, & Dominus noster David hoc ignorat?

Malu. Et sustentatores vestri David non cognouit.

Vulg. Nunc ergo veni, accipe consilium à me, & salua animam tuam, filiique tui Salomonis.

Pag. Consulam tibi consilium, erue.

Malu. Euadere fac saluam.

Vulg. Vade, & ingredere ad regem David, & dic ei: Nonne tu domine mi rex iurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in folio meo? Quare ergo regnat Adonias?

Malu. Ambula, & veni: an non tu sustentator mi rex?

Vulg. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, & complebo sermone tuos.

Cald. Confirmabo verba tua.

Arab. Exornabo.

Vulg. Ingredita est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum: rex autem fenuerat nimis, & Abisag Sunamitis ministrabat ei.

Vulg. Inclinauit se Bethsabee, & adorauit regem. Ad quam rex: Quid tibi, inquit, vis?

Malu. Et verticauit se, &c. & procumbere se fecit regi.

Vulg. Quæ respondens, ait: Domine mi, tu iurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in folio meo.

Sep. Super thronum meum.

Cald. Regni mei.

Vulg. Et ecce nunc Adonias regnat, te, Domine mi rex, ignorante.

Cald. Regnavit.

Vulg. Mactauit boues, & singula quæque, & arietes pluri-
mos, & vocauit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, & Ioab principem militiae: Salomonem autem seruum tuum non vocauit.

Sep. Sacrauit vitulos & agnos, & oues in multitudine.

Cald. Et inuitauit.

Vulg. Veruntamen Domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israël, ut indices eis, quis sedere debeat in folio tuo, Domine mi rex, post te.

Malu. Ad annuntiare eis.

Sep. Quis sedebit super thronum?

Vulg. Eritque cum dormierit Dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.

Arias. Et erit iuxta cubare, &c.

Malu. Ero ego, & filius erratores.

Cald. Extirpati.

Arab. Quod si contingat hoc, decedatque, &c. & rapietur in pace, &c. nonne fiam opprobrium inter filios Israël?

D. Hier. in Trad. Erimus Mañzeres.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Inclinauit & adorauit, Alij, *Verticauit se, & procumbere se fecit regi.* Videtur dicere, quòd primùm cùm ingressa esset cubiculum, primùm verticem inclinauit honoris causâ, deinde cum parum progressa esset, toto corpore procubuit maioris reuerentiæ gratiâ. *Erimus peccatores, Alij, Extirpati, Manzeres,* hoc est, habebimur spurij & infames; *Extirpati,* hoc est, quali actum est de vita nostra, Arab. *Erimus opprobrium inter filios Israël:* propter adulterium quod olim tecum commisi, quod mihi improperabitur.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *ψ. 11.* **D**ixit itaque Nathan. Hic consequenter describitur Adonias Salomonis promotio, & secundo Adonias confusio, ibi: *Adhuc illo loquente.* Circa primum primo ponitur matris petitio: secundo regis concessio, ibi: *Respondit rex.* Et tertio concessiois executio, ibi: *Dixit quoque rex.* Petitio autem matris facta fuit de consilio Nathan, qui zelabat pro Salomone: quia ipsam nutrierat & docuerat, vt dictum fuit sup. lib. 2. c. 12. Et quia ex reuelatione Domini dixerat ipsi Dauid, quod Salomon esset regnaturus post eum, secundum quod Dauid refert 1. Par. 21. verba Nathan ad ipsum, vbi subditur. *Ob hanc causam pacificus vocabitur.* In Heb. habetur. *Nomen eius Salomon.* Et c. 29. dixit: *Salomonem filium meum elegit Dominus.* Et postea eodem capite. *Salomoni quoque filio meo, &c.* Et hoc est quod dicitur hic. *Dixit itaque Nathan.* Et patet litera vsque ibi.
- MENOC.** *Dauid hoc ignorat.* Adeo illius iussu hoc factum non est, vt etiam totius rei gesta sit prorsus ignarus, quasi dicat, non eò res deducta est vt disturbari non possit, connitendum vt Adonias conatus irritos reddamus.
- LYRAN.** *ψ. 12.* **E**t salua, &c. Timebat enim probabiliter, quòd si Adonias in regno confirmaretur, quòd mortuo Dauid puniret Bethsabee de crimine adulterij, & contra Salomonem quæret mortis occasionem. Sed hic occurrit dubium quomodo propheta de hoc timebat: cùm (sicut dictum est) ex reuelatione dixerat Salomonem regnaturum post ipsum? Ad quod dicendum, quòd istud fuit quædam promissio, facta ipsi Dauid de futuro. Tales autem promissiones diuinæ intelligendæ sunt sub conditione, scilicet si ex parte hominum non ponatur impedimentum, sicut diffusius fuit declaratum supra lib. 1. c. 2. Et ideo propheta poterat timere, ne per aliquod peccatum ipsius Dauid vel Bethsabee, seu Salomonis aliquod impedimentum prouenisset.
- MENOC.** *Salua animam tuam.* Vobis enim, si Adonias regnet, imminet exitium.
- LYRAN.** *ψ. 13.* **I**ngredere ad regem Dauid, &c. Hoc autem iuramentum sciebat Nathan per reuelationem Dauid, vel Bethsabee, vel fortè, quia fuerat præsens.
- MENOC.** *Iurasti mihi.* Quando iurauit, diximus supra lib. 2. c. 12. c. 24.
- LYRAN.** *ψ. 14.* **C**omplebo sermones tuos. Præmisit enim matrem ad petendum pro filio, vt cor Dauid inclinaretur: & sic inueniret regem dispositum ad perficiendum negotium.
- MENOC.** *Complebo sermones tuos.* A te dicta confirmans, & alia addens quæ Salomonis causam iuuare possint.
- LYRAN.** *ψ. 15.* **I**nclinauit se Bethsabee, & adorauit, &c. Adoratione dulci.
- LYRAN.** *ψ. 17.* **D**omine mi. Hic format petitionem suam, in qua quinque exprimit quæ faciunt ad regis animum inclinandum. Quia primò humiliter petit, dicens. *Domine mi.* Secundò iuramentum ad memoriam reducit, dicens: *Tu iurasti per Dominum.* Tertio superbiam Adonias exprimit, dicens: *Et ecce nunc Adonias, &c.* Quarto deuotionem populi ad contrarium poponit, dicens.
- TIRINVS** *Tu iurasti ancilla tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me.* Verisimile est, Dauidem id dixisse Bethsabee, quando mortuo iam paruulo ex adulterio concepto, illam extreme dolentem solatus est, 2. Reg. 12. v. 24. Cùm enim timeret Bethsabee, se ob præteritum crimen repudiandam à rege, vel saltem proles, quas ex eo susceptura esset, exosas regi futuras, vel vt minimum postremo loco habendas in domo regis; creditur rex ei respondisse, longè aliter actum iri; quin etiam, qui ex ea nasciturus esset filius, præferendum aliis omnibus, & regium solium occupaturum, ita S. Hieronymus ex Hebræorum traditione, Abulensis, & Sanctius. Putatur verò diuina reuelatione id indicatum Dauidi, etiam antequam natus esset Salomon, imò antequam conceptus esset. Nam id insinuat ipsemet 1. Par. 28. v. 5. cùm in publico procerum confessu, ait, cogitanti sibi de templo construendo dixisse Deum: *Salomon filius tuus edificabit domum meam, &c.* Item, *Elegit Dominus de filiis meis Salomonem filium meum, vt sederet in throno regni.* Atqui cogitabat Dauid de templo construendo, diu antè quàm vel nossset, vel incautis oculis è solario vidisset matrem Salomonis: ergo: Et vt non expressisset tum Deus nomen Salomonis, hoc ipso tamen quo dicebat, *Semen quod egredietur de utero tuo,* 2. Reg. 7. v. 12. id est, filius non iam natus tibi, sed adhuc nasciturus, *edificabit domum nomini meo:* cùm primus post id tempus Dauidi filius natus sit, & in diuis conferuatus Salomon; facile colligebat Dauid, diuino decreto Salomonem ad regnum fuisse destinatum.
- B** *Te Domine mi rex ignorante.* Vtique non sine contemptu tuo, quem tanti negotij non solum conscium, sed auctorem etiam fieri oportebat.
- Salomonem autem non vocauit.* Quod Salomonem & Nathan non vocasset conspirationis signum erat, eos enim habere præsentem noluit Adonias, qui eius conatibus potuissent aduersari.
- Veruntamen Domine, &c.* Quasi dicat: Populus non approbat Adonias ambitionem, sed expectat tuam determinationem. Quinto periculum personæ suæ, & filij sui inducit, dicens: *Eritque cum Dominus meus rex cum patribus suis, &c.*
- In te oculi respiciunt totius Israël.* Expectatione suspensum quem tibi in regno successorem designes.
- Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* Id est Adonias imponet nobis crimina ad priuandum nos vita, vt prædictum est.
- Eritque cum dormierit Dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* Quiddam Hebræorum postrema verba sic interpretantur: Erimus falsi, & frustrati spe nostra, & quasi aberrantes à scopo: non id consequemur quod sperabamus. Sed videtur plus aliquid significari, quia supra Nathan dixerat ad Bethsabee. *Nunc ergo veni, & accipe consilium à me, & salua animam tuam, filique tui Salomonis.* Per quod significatur, scilicet, quod regnante Adonia, periclitaretur ipsorum salus & vita. Sensus igitur est. *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores,* id est, quæret contra nos Adonias occasionem tollendi nos è medio, puniendique nos tanquam peccatores. Videlicet metuebat Bethsabee, ne mortuo Dauid, si Adonias regnaret, ad stabiliendum suum regnum animaduerteteret in eam ob crimen adulterij, & similiter contra Salomonem filium eius occasionem mortis inferendæ quæretet.
- Dormierit.* Mortuus fuerit.
- Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* Id est, inuenietur pretextus aliquis vt tanquam peccati, aut criminis alicuius rei morti tradamur, vt nobis de medio subblatis Adonias regnet securius.
- Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* Id est, habebimur passim, & publice traducemur ego vt adultera, & Salomon filius meus vt Manzer Hebraicè, id est, de scorto, & adulterio natus: & quia constat omnibus,

Salomonem designatum fuisse à te successorem regni, si A nos tamquam reos affectati sceptri, indigna morte perires iam contingat Adoniam regno potiri, certo certius coget ita Sanctius.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 22. ad 31.

Vulg. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit.

Vulg. Et nuntiauerunt regi, dicentes, adest Nathan propheta, cumque introisset in conspectu regis, & adorasset eum pronus in terram.

Malu. Et venit faciebus regis, & procumbere se fecit regi super nares suas.

Vulg. Dixit Nathan, domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, & ipse sedeat super solium meum.

Vulg. Quia descendit hodie, & immolauit boues & pinguia, vocauit vniuersos filios regis, & principes exercitus: Abiathar quoque sacerdotem, illisque vescentibus & bibentibus coram eo, & dicentibus, viuat rex Adonias.

Sept. Et ecce comedentes.

Cald. Dixerunt, prosperet rex.

Vulg. Me seruum tuum, & Sadoc sacerdotem, & Banaiam filium Ioiadæ, & Salomonem famulum tuum non vocauit.

Vulg. Numquid à Domino meo rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicasti seruo tuo, quis sessurus esset su-

per thronum domini mei Regis post eum?

Pag. Num à domino, &c. Factum est verbum.

Cald. Facta est res ista.

Vulg. Et respondit rex Dauid dicens, vocate ad me Bethsabee, quæ cum ingressa fuisset coram rege, & stetit ante eum.

Vulg. Iurauit rex, & ait, viuat dominus qui eruit animam meam de omni angustia.

Caiet. Qui redemit.

Malu. De omni coangustatione.

Sept. Tribulatione.

Syr. Ab omni mœrore.

Arab. Calamitatibus & ærumnis.

Vulg. Quia sicut iuraui tibi per Dominum Deum Israel, dicens, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me, sic faciam hodie.

Vulg. Summisloque Bethsabee in terram vultu, adorauit regem dicens, viuat Dominus meus Dauid in æternum.

Cald. Viuat in sæculum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Viuat in æternum. **Cald.** In sæculum. Id est, quàm diutissimè, quasi dicat, satis mihi est, de iure confirmari non postulo, vt cedas regiæ dignitati, imò in plurimos annos eam incolumis serues.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y.** 22. **A**dhuc illa loquente. Ad complendum negotium. Non tamen statim intrauit cubiculum regis, sed stetit aliquantulum extra quousque de voluntate regis vocaretur, vt patet in litera.

LYRAN. **Y.** 24. **Domine mi rex tu dixisti.** Non dixit hoc propheta affirmatiuè, sed magis interrogatiuè; quasi dicat, mirabile est quod talia fecerit sine scitu tuo, & in hoc notat eum de præsumptione & contemptu patris, quod ipso viuente & nesciente vellet regnare. Vnde subditur.

MENOC. **Dixisti Adonias regnet, &c.** Ita enim se gerit ac si à te regnare iussus esset.

MENOC. **Y.** 25. **Viuat rex Adonias.** Acclamatio erat vsitata in regum inauguratione, **viuat Rex.** Nolebat tamen Adonias ita regnare vt exturbaret Dauid; sed res suas ita componere, vt Dauid extincto, nemo se illi auderet opponere quo minus rex esset.

LYRAN. **Y.** 27. **Numquid à Domino meo rege exiuit hoc verbum?** Quasi dicat, non.

Et mihi. Qui sum secretarius tuus & tibi reuelauit voluntatem domini de regno Salomonis post te, & ideo si fuit aliqua causa mutationis huius ex alia reuelatione tibi facta, debuisti vtique dicere mihi.

Exiuit hoc verbum, &c. Quasi dicat, num inscio me mutasti sententiam à Deo tibi per me denuntiatam, & à te Bethsabee iuramento firmatam, de constituendo post te rege Salomone.

Et respondit, &c. Hic consequenter ponitur petitionis concessio cum dicitur.

Vocate ad me. Loquente enim Nathan cum rege, ipsa exiuerat regis cubiculum: sicut in talibus fieri est consuetum. Cætera patent vsque ibi.

Vocate ad me Bethsabee. Quæ cubiculo regio exierat Nathan propheta cedens, vt nunc vice versa Nathan locum dedit Bethsabee reuertenti, vt patet ex versu 32. sequenti.

Viuat Dominus. Deus scilicet, vita beata, quæ est æterna.

Adorauit regem. Gratias illi agens, & simul inclinatione corporis reuerentiam exhibens.

Viuat Dauid in æternum. Hæc est non æternæ, sed diuturnioris vitæ precatio, quasi dicat, Vis Salomonem post te regnare: gratias ago, & vt post diuturnum tempus hoc fiat, opto, te adhuc ad multos annos superstiti.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 32. ad 40.

Vulg. Dixit quoque rex. Vocate mihi Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ, qui cum ingressi fuissent coram rege.

Malu. Venerunt faciebus regis.

Vulg. Dixit ad eos: Tollite vobiscum seruos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gihon.

Pag. Equitare facite, & descendere facite.

Arias. Super Ghichon.

Sept. Rom. In ipsam Gion.

Reg. Reducite in Gion.

Cald. In Siloheha. Ita Lyr. & Arab.

Vulg. Et vngat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta in regem super Israël, & canctis buccina, atque

Tom. IV.

dicetis, viuat rex.

Cald. Prosperet rex Salomon.

Malu. Infigetis in tuba.

Vulg. Et ascendetis post eum, & veniet & sedebit super solium meum & ipse regnabit pro me, illique præcipiam, vt sit dux super Israël, & super Iudam.

Sept. Mandauit esse in ducem.

Vulg. Et respondit Banaias filius Ioiadæ dicens, Amen: sic loquatur Dominus Deus Domini mei regis Dauid.

Vulg. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium eius à solio domini mei regis Dauid.

Pag. Magnificet solium eius plusquam solium.

B B b iij

Malu. Grande fecit, fecit folium eius de folio.
Cald. Sicut fuit dictum Domini in auxilio, &c. Ita fit in auxilio.
Arab. Thronum eius ampliorem, & angustiore red-
 dat.
Vulg. Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, & Banadas filius Ioiadae, & Cerethi, & Phelethi & imposuerunt Salomonem super folium regis David, & adduxerunt eum in Gihon.
Arias. Descendere fecerunt.
Lyran. Et Semei & Rei.
Cald. Sagittarij, fundibularij in Silihha.
Vulg. Sumpfitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus, viuat rex Salomon.

Malu. Infixerunt in tuba.
Cald. Prosperet rex.
Vulg. Et ascendit vniuersa multitudo post eum, & populus canentium tibiis & lætantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum.
Pag. Scindebatur terra à voce eorum.
Arias. Fistulantes in fistulis.
Criet. Findebatur.
Vatab. Rumpebatur.
Sept. Choræas ducebant in choris.
Reg. Saltabant.
Cald. Ita vt tremere terra.
Syr. Pulsabant fistra.
Arab. Ludebant tympanis quadratis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Cerethi & Phelethi. Lyran. Semei & Rei, Et explicans eorum significationem, ait, videtur quod primi significant audientes, & obediens, postremi associantes, per quos intelliguntur illi quibus præerat Banaias filius Ioiadae ei obediens, & ipsum associantes in bellis, & sic idem est cum translatione nostra. Vide Concord. v. 18. cap. 8. 2. lib. Reg. Vulg. *Et insonuit terra.* Alij, *Scindebatur, rumpebatur.* Hyperbolicè dictum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **D**ixit quoque. Hic ponitur prædictæ concessionis executio, & patet litera vsque ibi.
- LYRAN.** **Imponite.** In signum regis dignitatis, quia illa mulier appropriata regi David: vt populus manifestè videat, quod volo eum regnare post me.
- LYRAN.** **Et ducite eum.** Fons est Siloë, vt dicunt Hebræi. Cætera patent vsque ibi.
- MENOC.** **Servos domini vestri.** Cerethi & Phelethi ad propulsandam vim, si fortè Adonias illam tentet inferre. Loquitur verò de se in tertia persona David, cum ait, *Domini vestri,* David scilicet.
- MENOC.** **Super mulam meam.** Quam solus David solebat inscendere, itaque id erat regij honoris iudicium.
- MENOC.** **Ducite eum in Gihon.** Ad fontem videlicet qui erat ab occasu Hierosolymorum, è regione oppositus fonti Rogel, ad quem inuentus fuerat Adonias, vt nihil inturbarent, sed res prius confecta esset, quàm id illi sentirent, vt etiam reuera contigit.
- TIRINVS.** **Ducite eum in Gihon.** Fons hic est aut riuus oppositus fonti Rogel, vbi Adonias ex aduerso inaugurabatur. Hunc Gihon interpretes volunt esse Siloë: cuius aquas Ezechias rex postea in urbem induxit, vt dicitur 2. Paralipomen. 32. vers. 30. & Ecclesiast. 48. vers. 19. Ideo ergo iubet David Salomonem inaugurari ad fontem Gihon, id est procul & ex opposito loci, vbi erat Adonias, ne duorum istorum principum exercitus, ob diuersa in diuersos reges studia, si in vicina loca coiissent, manus inter se conferrent, & inaugurationem ciuili sanguine cruentarent.
- MENOC.** **Veniet.** Huc in arcem.
- MENOC.** **Regnabit pro me.** Non dicit, *Post me,* quia nimirum viuo Dauide rex erat futurus, Dauide sponte regno cedente.
- LYRAN.** **Et respondit.** Id est fideliter & veraciter, & est dictio Hebraica, & ideo subdit.
- LYRAN.** **Sic loquatur Dominus.** Id est compleat verba tua, quæ sunt fidelia.
- MENOC.** **Sic loquatur Dominus Deus Domini mei.** Id est, confirmet Dominus quæ à te dicta sunt. LXX. habent, *Confir-*
- A** **met verba.** Caldæus, *sic velit.*
- A** **Respondit Banaias: Amen.** Id est, Fiat sicut rex iubet, & Salomon sit princeps Israël. *Et sic loquatur Dominus Deus,* Id est, etiam Deus idem velit, iubeat, ratum habeat & confirmet.
- A** **Quomodo fuit.** Id est, tecum, te dirigendo, & in regno stabiliendo.
- A** **Et sublim.** Non est enim inuidia patris ad filium, si excedat eum in gloria & honore, quia pater manet quodammodo in filio, & ideo bonum filij est etiam bonum patris. Et ideo, sicut nullus tristatur de bono proprio, sic nec pater de bono filij sui, nisi ex maxima peruersitate.
- A** **Sublimius faciat solum, &c.** Non timuit Banaia his verbis Dauidem offendere, hoc enim optant parentes vt à filiis felicitàte vincantur. Simile est votum aliud apud Claudianum in quarto consulatu Honorij:
- A** **Aspice, completum votum, iam natus adequat Te meritis, & quod magis est optabile, vincit.**
- A** **Descendit.** Quia ciuitas David vbi manebat, erat in alto.
- B** **Sumpsitque Sadoc sacerdos.** Id est, vasculum plenum vntione.
- B** **De tabernaculo.** Vntio enim facta tempore Moyfi, ad inungendum reges & pontifices, seruabatur reuerenter in tabernaculo in vase magno: & inde accepit aliquam portionem, & vnxit Salomonem. Dicit Ra. Sa. quod ista vntio fiebat in fronte regis inter palpebras per modum coronæ. Cætera patent vsque ibi.
- B** **Sadoc sacerdos.** Qui nondum erat summus Pontifex, nec necessarium erat regem à Pontifice inungi, David enim & Saül à Samuèle, & alij ab alijs, qui Pontifices non erant, vnti sunt in reges, & in hac etiam Salomonis inauguratione, & vntione Nathan ministerium videtur interuenisse; dixerat enim rex numero 34. *Vngat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta in Regem.*
- B** **Insonuit.** Hebraicè, *scindebatur,* id est, videbatur scindi. Caldæus *tremebat.*

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 41. ad 48.

Vulg. Audiuit autem Adonias & omnes qui inuitati fuerant ab eo, iamque conuiuium finitum erat; sed & Ioab audita voce tubæ ait, quid sibi vult clamor ciuitatis tumultuantis?

Malu. Consummauerunt ad comedere, quid cognitionis vox ciuitatis sonantis?

Cald. Quæ vox hæc? Ciuitas commota est.

Vulg. Adhuc eo loquente, Ionathas filius Abiathar sacerdotis venit, cui dixit Adonias, ingredi quia vir fortis es, & bona nuntians.

Arias. Vir virtutis tu.

Malu. Strenuitatis.

Sept. Rom. Et bona euangeliza.

Vulg. Responditque Ionathas Adoniæ; Nequaquam: do-

minus enim rex noster Dauid regem constituit Salomonem.

Pag. Profecto regnare fecit.

Sept. Regem fecit.

Vulg. Misitque cum eo Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaïam filium Ioiadæ, & Cerethi & Phelethi, & imposuerunt eum super mulam regis.

Malu. Vehere fecerunt eum.

Sept. Sedere fecerunt.

Vulg. Vnseruntque eum Sadoc sacerdos, & Nathan propheta in Gihon, & ascenderunt inde lætantes, & insonuit ciuitas, hæc est vox quam audistis.

Pag. Tumultuauit ciuitas, hæc est sonus quem audiistis.

Malu. Conturbata.

Cald. Commota.

Vulg. Sed & Salomon sedet super folium regni.

Vulg. Et ingressi serui regis benedixerunt Domino nostro regi Dauid, dicentes, Amplificet Dominus nomen Salomonis & magnificet thronum eius sicut thronum suum, & adorauit rex in lectulo suo.

Pag. Beneficiat Deus nomini Salomoh.

Malu. Et grande fecit folium eius de folio suo, & procumbere fecit super cubationem suam.

Sept. Rom. Bonum faciat nomen Salomonis super nomen tuum.

Arab. Maius fiat, & illustrius nomen.

Vulg. Et locutus est, benedictus Dominus Deus Israël, qui dedit hodie sedentem in folio meo, videntibus oculis meis.

Sept. Qui dedit de femine meo sedentem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Bona nuntians. Alij, *Bona Euangeliza.* Vide Concord. v. 27. c. 18. 2. Reg. *Nequaquam Dominus, enim, &c.* Alij, *Profecto.* Hebr. est אבאל *abal*, de qua aliàs. Et sensus est: Tantum abest vt annuntiem prospera, imò aduersa, rex enim Dauid te omisso, Salomonem constituit in regem. *Adorauit rex in lectulo suo.* Alij, *Procumbere se fecit super cubationem suam*, scilicet Deum adoraturus.

ANNOTATIONES.

Quid sibi. Hoc autem quæsiuit Ioab, quia ad eum officium spectabat sedare tumultum & commotionem in ciuitate orientem.

Adhuc illo. Hic consequenter describitur Adoniam confusio institutione Salomonis per Ionathan filium Abiathar. Et patet litera paucis exceptis.

Fortis. Caldæus, *timens peccata*, Id est, bonus.

Nequaquam. Scilicet sum bona annuntians tibi, sed ma-

gis aduersa.

Salomon sedet super folium regni. Adita regni possessione.

Benedixerunt. Bene precati sunt, agentes gratias pro nouo rege dato Salomone.

Adorauit rex in lectulo suo. Deo & ipse gratias agens, vt patet sequenti versiculo.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 49. ad 53.

V*Vulg.* Territi ergo sunt, & surrexerunt omnes qui inuitati fuerant ab Adonia, & iuit vnusquisque in viam suam.

Malu. Et contremuerunt.

Cald. Obstupuerunt.

Vulg. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, & abiit, tenuitque cornu Altaris.

Malu. Obtinuit in cornibus Altaris.

Vulg. Et annuntiauerunt Salomoni dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu Altaris, dicens, iuret mihi rex Salomon hodie, quòd non interficiet seruum suum gladio.

Malu. Iuramento obstringatur mihi secundum diem rex si mori faciet.

Vulg. Dixitque Salomon, si fuerit vir bonus, non cadet

ne vnus quidem capillus eius in terram: Sin autem malum inuentum fuerit in eo, morietur.

Pag. Si fuerit vir virtuosus.

Arias. In filium virtutis.

Malu. Strenuitatis.

Cald. Vir timens peccata.

Syr. Vir generosus.

Arab. Si fuerit è fautoribus, & obedientibus, &c. Verum si fuerit alius.

Vulg. Misit ergo rex Salomon, & eduxit eum ab Altari, & ingressus adorauit regem Salomonem, Dixitque ei Salomon, vade in domum tuam.

Malu. Descendere fecerunt eum de super altari, procumbere se fecit regi.

Sept. Deduxerunt eum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Si fuerit vir bonus, Alij, *Generosus.* Cald. *Timens peccata*, fortitudo enim animi necessaria est ad fugienda peccata. חיל *chail*, virtutem, probitatem, strenuitatem, &c. significat. Arab. aliquid ampliùs exprimit, nempe si Adonias fideliter & obedienter se gesserit in me, vt me regem agnoscat, incolumis manebit: Sin autem per artes & infidias regnum ambierit, peribit.

ANNOTATIONES.

T*Erriti sunt.* Quia timuerunt ne rex Salomon calumniaretur eos pro crimine læsæ-maiestatis, sicut aliquos eorum postea calumniatus est. Vt habetur infra cap. sequenti.

Et iuit vnusquisque, &c. In viam suam. Dimittentes Adoniam.

In viam suam. In domos suas, vt ibi se abderent, & dissimularent se Adoniam fauisse.

Adonias autem. Scilicet holocausti, ad quod etiam læici poterant ingredi. Ad altare enim thymiamatis soli sacerdotes intrabant. Et hoc etiam patet quod ibi erat refugium in aliquibus casibus: & multo fortius debet esse in Ecclesia, cuius tabernaculum in veter. testam. erat

B solum figura.

Abiit, & tenuit cornu altaris. Abiit in Gabaon vbi erat tabernaculum Moïsi, & altare holocaustorum, vt habetur 2. Paral. 1. 3. Tenuit autem cornu Altaris, quia immunitatis priuilegium altari maximè tribuebatur. Sunt tamen qui velint tenuisse cornu Altaris, quod Dauid Hierosolymis extruxerat, non autem eius, quod erat in Gabaon.

Quod non interficiat seruum suum gladio. Humilis oratio, & idonea veniæ impetranda.

Si fuerit. Id est, Non quærens machinationes de cetero ad obtinendum regnum.

Si autem, &c. Præteritas noxas condono, si verò pec-

LYRAN. Et ingressus. Faciens ei debitam reuerentiam, sicut Domino suo.

Vade in domum tuam. Qua voce non ablegat eum ab aula, sed ei securitatem in domo sua pollicetur. MENO.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS.

David datis Salomoni variis præceptis feliciter moritur. Adonias, dum petit Abisag Sunamitidem in uxorem, propter affectatum eo dolo regnum occidi iubetur à Salomone. Abiathar pontificatu priuatur. Ioab in tabernaculo Domini occiditur. Et Semei quoque, quòd contra regis præscriptum Ierosolyma excessisset, triennio post interficitur.

Appropinquauerunt autem dies Dauid vt moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens: 2. Ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir. 3. Et obserua custodias Domini tui, vt ambules in viis eius, vt custodias ceremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moyfi: vt intelligas vniuersa quæ facis, & quocumque te verteris: 4. vt confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filij tui vias suas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de folio Israël. 5. Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruix, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether: quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in balteo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius. 6. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos. 7. Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalom fratris tui. 8. Habes quoque apud te Semei filium Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra: sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Iordanem, & iuraui ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio: 9. tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, vt scias quæ facies ei, deducesque canos eius cum sanguine ad inferos. 10. Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid. 11. Dies autem quibus regnauit Dauid super Israël, quadraginta anni sunt: in Hebron regnauit septem annis: in Ierusalem, triginta tribus. 12. Salomon autem sedit super thronum Dauid patris sui, & firmatum est regnum eius nimis. 13. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificusne est ingressus tuus? Qui respondit. Pacificus. 14. Addiditque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Loquere. Et ille, 15. Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israël sibi in regem: sed translatum est regnum, & factum est fratris mei: à domino enim constitutum est ei. 16. Nunc ergo petitionem vnã præcor à te; ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere. 17. Et ille ait: Precor vt dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) vt det mihi Abisag Sunamitidem uxorem. 18. Et ait Bethsabee: Bene, ego loquar pro te regi. 19. Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia: & surrexit rex in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius. 20. Dixitque ei: Petitionem vnã paruulã ego deprecor à te; ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam. 21. Quæ ait, Detur Abisag Sunamitis Adonix fratri tuo vxor. 22. Responditque rex Salomon, & dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adonix? postula ei & regnum: ipse est enim frater meus maior me, & habet Abiathar sacerdotem, & Ioab filium Saruix. 23. Iurauit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. 24. Et nunc viuit Dominus, qui firmavit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias. 25. Misitque rex Salomon per manum Banaix filij Ioiadæ, qui interfecit eum, & mortuus est. 26. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus. 27. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. 28. Venit autem nuntius ad Ioab, quòd Ioab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset: fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. 29. Nuntiatumque est regi Salomoni, quòd fugisset Ioab in tabernaculum Domini, & esset iuxta altare: misitque Salomon Banaiam filium Ioiadæ, dicens: Vade, interfice eum. 30. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, sed hic moriar. Renuntiauit Banaias sermonem, dicens: hæc locutus est Ioab, & hæc respondit mihi. 31. Dixitque ei rex: Fac sicut locutus est: & interfice

eum, & sepeli, & amouebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab, à me, & à domo patris mei. 32. Et reddet Dominus sanguinem eius super caput eius, quia interfecit duos viros iustos, melioresque se: & occidit eos gladio, patre meo Dauid ignorante, Abner filium Ner principem militiae Israël, & Amasam filium Iether principem exercitus Iuda: 33. & reuertetur sanguis illorum in caput feminis eius in sempiternum. Dauid autem & semini eius, & domui & throno illius, sit pax usque in æternum à Domino. 34. Ascendit itaque Banaias filius Ioiadæ, & aggressus eum interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto. 35. Et constituit rex Banaiam filium Ioiadæ pro eo super exercitum, & Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar. 36. Misit quoque rex, & vocauit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc atque illuc. 36. Quicumque autem die egressus fueris, & transferis Torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum. 38. Dixitque Semei regi: Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet seruus tuus. Habitauit itaque Semei in Ierusalem diebus multis. 39. Factum est autem post annos tres, ut fugerent serui Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatumque est Semei, quod serui eius essent in Geth. 40. Et surrexit Semei, & strauit asinum suum: iuitque ad Achis in Geth ad requirendum seruos suos, & adduxit eos de Geth. 41. Nuntiatum est autem Salomoni, quod esset Semei in Geth de Ierusalem, & rediisset. 42. Et mittens vocauit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi, Quicumque die egressus, ieris huc & illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audiui. 43. Quare ergo non custodisti iusiurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi? 44. Dixitque rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cuius tibi conscius est cor tuum, quod fecisti Dauid patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. 45. Et rex Salomon benedictus, & thronus Dauid erit stabilis coram Domino usque in sempiternum. 46. Iussit itaque rex Banaia filio Ioiadæ: qui egressus percussit eum, & mortuus est.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. I. ad 4.

Vulg. Appropinquauerunt autem dies Dauid ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens.

Sept. Rom. Et respondit filio suo.

Syr. Hortatus est.

Arab. Accersuit.

Vulg. Ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir.

Pag. Ego vado per viam, conforta te.

Arias. Confortabis te & eris in virum. *Plures codices,* vir fortis.

Malu. Obtinebis, & eris viro.

Cald. Roboreris & sis in virum timentem peccata.

Syr. Forti sis ac virili animo.

Alij. Ecce ego decessurus sum breui, pro consuetudine totius terræ.

Vulg. Et obserua custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis eius, ut custodias ceremonias eius, & præcepta eius, & iudicia & testimonia, sicut scriptum est in lege Moyse: ut intelligas vniuersa quæ facis, & quocumque te verteris.

Pag. Ut custodias decreta eius, & secundum omnia quæ feceris.

Arias. Prudenter agas omnia.

Malu. Obseruabis obseruantiam ad obseruare constituta eius, &c. & testificationes eius, &c. Et omne quod aspicias tibi.

Sept. Ut facias secundum omnia quæcumque mandauero tibi.

Cald. Ut prospera reddas omnia quæ feceris, & omnem locum quem respexeris.

Syr. Et quocumque perrexeris sis beatus.

Aliqui Codices. Obserua, & custodias ceremonias.

Vulg. Ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filij tui vias suas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israël.

Arias. Non abscindetur tibi vir.

Malu. Correspondentiæ facies surgere verbum suum, &c. ad ambulare faciebus meis.

Sept. Rom. Ut stabiliat, &c. Et non exterminabitur tibi vir.

Arab. Ambulauerint in æquitate totis viribus, animisque suis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ingredior viam vniuersæ terræ. *Alij,* Decessurus sum, &c. Id est breui moriturus, ut cæteri homines. *Esto vir bonus.* *Syr.* Fortis sis ac virili animo. *Cald.* hanc fortitudinem refert ad vitanda peccata, ea timendo committere. *Vt intelligas vniuersa quæ facis* *Alij,* ut prudenter agas, prospera reddas. *שכל* *scal* cum schin sinistro significat non quomodocumque intelligere, sed prosperè, gnauiter, prudenter, industriè. *In veritate.* *Alij,* *In fide.* Id est, integrè, & syncerè. *Obserua custodias.* *Aliqui.* *Et custodias,* sed malè, custodias enim non est verbum, sed nomen plurale.

ANNOTATIONES.

Appropinquauerunt, &c. Hic consequenter ponitur **A** regni Salomonis confirmatio, & primo per remotionem impediendum. Secundo per accumulationem expeditum cap. 3. Illa quæ maximè impediunt stabilitatem alicuius regis, sunt personæ machinantes contra eum, de quorum morte hic agitur. Et ne Salomon in hoc videretur procedere zelo propriæ vindictæ; Ideo circa hoc quantum ad aliqua præmittitur ipsius Dauid ordinatio. Secundo subditur ipsius Salomonis executio, ibi: *Salomon autem.* Circa primum Dauid primum iniungit filio suo Salomoni ut sit sollicitus de cultu Dei, dicens:

Ingredior viam vniuersæ terræ. In terram reuertor de qua formatus sum.

Confortare, & esto vir, Quasi dicat, me superstitite adolescentem agere tibi licuit: nunc verò quando mortuus fuero, virum te præstes necesse est, fortitudine scilicet, sapientia, & rerum gerendarum peritia.

Obserua. Id est, illa quæ præcepit custodiri: & quæ sint illa, subiungit, dicens.

Et custodias, &c. Quantum ad præcepta ceremonialia.

Et præcepta eius. Quantum ad moralia.

Et iudicia. Quantum ad iudicialia, de quorum condi-

MEN OC.
v. 2.

LYRAN.
v. 3.

tionem & distinctionem dictum fuit in Exodo.

Et testimonia. Quantum ad ea quæ promissa sunt in lege de Christo venturo, aliis bonis populo Israël promissis.

Vt intelligas vnuer. Quia per considerationem legis diuinæ dirigitur homo in agendis. *Si custodierint.* Sequitur.

MENOC. *Obserua custodias Domini.* Custodias vocat ea quæ Dominus custodiri vult, & seruari, hoc est, mandata diuina.

Ceremonias. Præcepta ceremonialia.

Præcepta eius. Moralia.

Iudicia. Præcepta Iudicialia.

Testimonia. Pacta, & leges à Domino præscriptas.

Intelligas vniversa quæ facis. Hebr. habetur, *ut prudenter agas.* Cald. *ut prosperè tibi omnia succedant.*

A *Quocumque te uerteris.* Quidquid facere aggressus fueris. *Obserua custodias Domini.* Id est mandata, quæ Deus custodiri iussit. Et idem valent prorsus, quæ explicandi gratia, cum epithasi mox subiungit, *Vie Domini, ceremonie, præcepta, iudicia, testimonia,* ut alibi dixi.

Sicut scriptum est in lege Moysi. Nempe Deut. 17. ubi traduntur præcepta, quæ rex recens designatus seruare debet: & inter alia, ut transcribat Deuteronom. illudque familiare habeat & assidue legat.

Non auferetur. Ex quo patet quod supra dictum est, scilicet quod promissiones diuinæ, de bonis futuris intelliguntur sub conditione, scilicet, quod non ponatur impedimentum à parte hominum.

Si custodierint, &c. Habetur hæc promissio 2. Reg. 7. MENOC.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 5. & 6.

Vulg. Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ quæ fecerit Abner duobus principibus exercitus Israël, Abner, filio Ner, & Amasæ, filio Iether, quos occidit & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in balteo suo, qui erat super lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius.

Pag. Dedit sanguines belli

Arias. In cingulo suo.

Sept. Rom. Dedit sanguinem innocentem in zona sua.

Cald. Quos occidit in dolo suo & sanguine, qui existimauit sanguinem illorum super se sicut sanguinem percus-

forum belli, & respondit illi in insidiis pacem, &c. Conculcauit talaribus quæ erant in pedibus suis.

Arab. Reputauit necem eorum tanquam eius qui trucidatur in bello.

Vulg. Facies ergo iuxta sapientiam tuam & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.

Pag. Ad sepulchrum.

Lyr. Caiet. Ad foueam.

Malu. Non descendere facies decrepitudinem eius in pace.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Effudit sanguinem belli in pace. Cald. hoc aptè explicat. *Qui existimauit,* inquit, *sanguinem illorum super se, sicut sanguinem percussorum belli.* Quasi dicat, Non minus licitam sibi necem eorum existimauit, quàm si interfecisset eos in ipso prælio. *Posuit cruorem prælij in balteo suo.* Alij, *Dedit sanguines belli in cingulo suo,* Id est cruentatum enssem in vaginam reposuit quem lateri ad balteum, seu cingulum accinxit. *Ad inferos.* Aliqui, *In sepulchrum, foueam, &c.* Hebr. est שואל *seol* & Græc. *ἄδης* de quibus uocibus duo axiomata restituit eruditus Martinus de Rio lib. 1. Adag. Ad, 196. in digressionem 2. Primum multa sunt in sacris litteris loca, in quibus Hebræam uocem שואל *seol*, aut Græcam *ἄδης* aut Latinam infernus vel inferi non potes, nisi durè & uolenter interpretari sepulchrum, foueam, scrobem, mortem (primam, & propriè dictam) aut statum animarum vel mortuorum in genere, aut denique aliter, quàm aliquod inferorum receptaculum saltem metonymicè significatum. Secundum axioma est: nullus in scriptura locus est in quo שואל, *ἄδης* inferum, inferos cogamur pro sepulchro, scrobe, fouea, animæ à corpore separatione, accipere, vel in genere pro statu mortuorum, aut pro alio, quàm pro animorum receptaculo saltem metonymicè accepto, lege probationes eius.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 5.

Tu quoque. Hic consequenter ponitur ordinatio Dauid de punitione aliquorum malorum, quos non poterat conuenienter punire in uita sua, & primo de punitione Ioab, cum dicitur: *Tu quoque.* Dicit Ra. Sa. quod per hoc intelligitur malum quod fecit Ioab contra personam Dauid, ostendendo aliis literas quas sibi secretè miserat Dauid de morte Uriæ, & sic regem scandalizauit. Quod enim istud secretum fuerat reuelatum, patet ex hoc quod habetur supra 11. lib. 12. quod Nathan dixit ad Dauid: *Fecisti inimicos blasphemare nomen domini,* sicut fuit ibi expositum, nec istud factum fuit reuelatum per Dauid, neque per Bethsabee, quia celabant crimen suum quantum poterant, & ideo uerisimile est quod per Ioab fuit reuelatum ad excusandum se erga alios milites de morte Uriæ, quod non fuisset mortuus per incautelam suam, sed per regis mandatum.

Quæ fecerit duobus princ. &c. Sequitur.

Et effudit, &c. Id est, sanguinem humanum, qui non debet effundi nisi in bello, effudit tempore pacis, quia quando occidit Abner, non habebat bellum iustum contra eum, nec ratione alicuius, nec ratione fratris sui interfecit, sicut dictum fuit supra secundò lib. cap. 111. Similiter occidit eum sub specie pacis, reuocans eum quasi ad loquendum cum eo de fœdere inito inter eum & Dauid ubi dictum fuit. Similiter quando interfecit Amasam non habebat contra eum aliquod bellum, & ipsum occidit sub specie pacis salutando eum tanquam fratrem & osculando, sicut dictum fuit supra lib. 11. cap. 20.

Et posuit cruorem prælij, quia percussit eos in inguine, ut

habetur ibidem: & sic cruor exiens de plagis eorum potuit cruentare balteum Ioab & calceamenta eius, non autem partes superiores, & in hoc designat Dauid modum percutiendi proditorium: quia non eleuabat brachium ad percutiendum eos in parte superiori, ne auerterent ictum & cauerent.

Quæ fecerit mihi Ioab, &c. Absalonem scilicet occidendo, imperio se agendo, afflictum exacerbando, & seditionem minando 2. Reg. 19. 7. Adoniæ regnum affectanti fauendo, &c.

Abner filio Ner. Quem per prodicionem interfecit.

Amasæ filio Iether. Dauidis nepos hic erat ex Abigaille sorore, quem etiam, ut supra uidimus, Ioab interfecit.

Effudit sanguinem belli in pace. Quasi scilicet cum hoste in bello pugnaret, cum illi pacificè & mecum, & cum eo agerent.

In baltheo suo, & in calceamento suo. Alludit ad modum perpetratæ cædis utriusque Principis, præsertim Amasæ: quem dum occidit Ioab, habuit cingulum gladii ad lumbos suos, vagina sua, qui inde egressus est Ioabo se incuruante ad proditoriam salutationem, quem leuatum sinistra sua, immergit in latus eius, vnde sanguis exiliens balteum, & calceamenta eius cruentauit, quippe qui cum complexum tenebat.

Nosti quid Ioab fecerit mihi. Id est aduersum me, mihi-que noxium, & toti meo regno per incommodum, cum duos principes tam utiles, tam necessarios perfidè sustulit: *Et effudit sanguinem belli in pace,* id est, pacatis publicis rebus, & priuata insuper amicitia simulata, non secus occidit

occidit istos principes, quàm si bellum aduersus ipsos ad huc viguisset, quando honestè & laudabiliter licet sanguinem hostilem profundere, Cur Dauid ad hoc vsque tempus peperit Ioabo tot scelerum reo? causam insinuauimus 2. Reg. 3. ad illud, *Ego delicatus rex*. Quia Ioab princeps rotius exercitus Dauidici, potentior erat quàm vt posset à Dauide coërceri, vt etiam affirmat hic Iosephus. Et in continuis grauissimis bellis, quibus perpetuò exagitatus fuit Dauid, egebat illius opera & industria. Et Salomon, quiete iam à bellis vbique parta, & Ioabo per senectutem minùs publico utili, facillè potuit & opera illius carere, & exauctoratum condigno supplicio castigare.

Et non deduces. Hebræi dicunt ad fossam. Non erat enim intèntionis Dauid quod Ioab descenderet ad infernum damnatorum: imò vna causa quare voluit eum puniri in hac vita, fuit ne puniretur in futuro in gehenna, vt dicit Ra. Sa. sicut de Acham dictum fuit Ios. 7.
Canitiem. Licet Ioab Dauidis esset ex sorore nepos, erat tamen illi supar ætate senex, & canus.
Pacificè. Impune, seu absque punitioe.
Inferos. Id est, sepulchrum. Punitio Ioab tandiu dilata est, quia Dauidis regnum inquietum fuit, nec potuit illum animaduerti sine periculo magnarum turbatum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 11.

Vulg. Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalom fratris tui.
Pag. Facies misericordiam, & erunt inter conuiuas, &c. quia sic accesserunt ad me.
Malu. Facies benignitatem.
Cald. Quia illi suffecerunt necessitates meãs dum fugerem.
Syr. Beneficium exerce, quia ipsi administrarunt mihi omnia.
Vulg. Habes quoque apud te Semei filium Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad Castra: sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Iordanem, & iuravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio:
Pag. Maledictione vehementi.
Arias. Roborata in die ire me ad Machanaim.
Tigur. Acerbissima.
Vatab. Acri.
Malu. Leuificet me leuifactione disrupta.
Lyran. Exposita.
Sept. Rom. Filius Iemini Bahurim.
Reg. Qui de Bahurim maledixit maledictione dolorosa.

Cald. Maledictionibus amaris.
Arab. Is est qui conuitiatus est mihi, & turpioribus atque acerbioribus quamdiu possit iniuriis me impetuit.
Vulg. Tu noli pati eum esse innoxium: vir autem sapiens es vt scias quæ facies ei, deducesque canos eius cum sanguine ad inferos.
Pag. Ne innocentem dimittens.
Arias. Ne impunem.
Malu. Non vacuabis eum, facies descendere decrepitudinem.
Sept. Rom. Non iustificabis eum.
Cald. Deduces in occisione.
Syr. Stultitias eius in caput ipsius refunde.
Arab. Retorqueas malignitatem eius in iugulum & malitiam eius proprio sanguine coloratam in sepulchrum detrudas.
Vulg. Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis & sepultus est in ciuitate Dauid.
Malu. Cubauit.
Vulg. Dies autem quibus regnauit Dauid super Israël quadraginta anni sunt. In Hebron regnauit septem annis, in Hierusalem triginta tribus.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Occurrerunt mihi. Cald. & Arab. quomodo occurrissent explicant, nempè *subleuantes necessitates meas*, & quæ necessaria erant administrantes. *Maledictione pessima.* Alij, *vehementi, acri, &c.* participium *מִמְרֵסֶת* *mimretset*, omnia hæc significata complectitur, violenta, robusta, acerrima, acerbissima, dura, vehementi; Lyr. legit *exposita* & explicat, Id est exposita coram populo meo ex quo grauior erat: *Noli pati eum esse innoxium:* Alij, *Ne impunem dimittas, Non vacuabis eum,* *נִיקָב* *nikab* in Pihel variè redditur, non absolues eum, non dimittes innocentem non vacuabis eum, &c.

ANNOTATIONES.

Sed & filiis Berz. Hic tertio ponitur ordinatio Dauid ergo non octo annorum puer, vt vult S. Ignatius Martyr? neque undecim vel duodecim, vt S. Hieronymus: sed vt minimum viginti circiter annorum fuit cum regnum suscepit; quod vnà cum parente paucis mensibus administrauit. Idem colligitur ex c. 11. v. 4. vbi senex vocatur, necdum exactis quadraginta regni sui annis. Et confirmatur ex Seder-Olam Chronico Hebræorum c. 16. vbi dicitur, Dauid antequam è viuis excederet, vidisse nepotulum suum Roboamum ex Salomone procreatum, ita Lyranus, Abulensis, Pineda & Sanctius.

Occurrerunt enim mihi, &c. Vide 2. Reg. 10.
Habes quoque apud te Semei, &c. Hic quarto ponitur ordinatio Dauid de Semei, qui maledixit Dauid, vt plenius dictum fuit supra 2. lib. 16. cap.
Iuravi ei per Dominum, Istud autem iuramentum non fuit transgressus Dauid ista imponendo Salomoni. Sicut dictum fuit supra. 2. lib. 19. cap. & ideo sententia huius partis patet ex supra dictis.

Semei filium Gera, &c. Vide 2. Reg. 16. 5.
Maledictione pessima. Cum scilicet ingeminabat, *egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial,* 2. Reg. 16. 7.
Quando ibam ad castra. Ad urbem scilicet Manahim ultra Iordanem.

Innoxium. Id est, impunitum.
Scias quæ facias ei. Quomodo cum illo te gerere debeas, & qua ratione illum punire.

Cum sanguine. Id est, cum cæde, morte violenta, non fuit peritius Dauid mandando Salomoni vt occideret Semei, quia cum illi mortem commérito peperit, præcise iurauit se illum non occisurum, quod idem erat ac si dixisset, Polliceor, ac iuro tibi me quoad vixero te non interfectorum.

Vir sapiens es. Si Salomon tunc vir erat, & vir sapiens Tom. IV.

Dormiuit igitur. Hic omittuntur illa quæ ordinauit Dauid de ampliacione diuini cultus, & ædificatione templi, quæ exprimuntur 1. Paral. 57.
In ciuitate Dauid. Id est, in arce Sion.
Et sepultus est in ciuitate Dauid. Id est, in ea parte Ierosolymæ, quam ipse à Iebusæo abstulerat, & à suo nomine vocarat ciuitatem Dauid, 2. Reg. 5. v. 9. Iosephus, Comestor, Abulensis & plures alij putant, Dauidem cum palatium sibi regium construeret, etiam sepulchrum cadaueri suo condendo extruxisse, sed fat exile & moderatum: Salomonem verò id auxisse & in magnificentum mausolæum commutasse, in quo & ipse recondi voluit. Hoc mausolæum ad tempus vsque Apostolorum durasse, constat ex c. 2. Actuum v. 29. dicente Petro, *Sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.* Tempore Adriani Imperatoris sponte corruit magna ex parte, vt scribit Dion in vita

LYRAN.
V. 10.

MENOC.
TIRINVS.

Adriani. S. Hieronymus affirmat, illud suo etiam tempore perstitisse, seque ad mausolæum istud præcari confuisse. Sebastianus Serlius dicit, ipsum illud hoc quoque nostro æuo superstes esse. Mirum fanè, & instar prodigij, post urbem Ierosolymam toties expugnatam, toties excissam, mausolæum istud nihil à Caldæis (qui tamen reli-

quorum regum Iuda offibus non pepercerunt) nihil à Græcis, nihil à Romanis, nihil ab aliis barbaris passum fuisse. Quod vero Iosephus addit, Salomonem in Davidis sepulchrum unà cum cadauere multa talentorum millia intulisse, quæ multis post sæculis Hyrcanus inde extulerit, meum ipsius figmentum est.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 12. ad 25.

Vulg. Salomon autem sedit super thronum David patris sui, & firmatum est regnum eius nimis.

Malu. Et apparatus fuit regnum eius valdè.

Cald. Confirmatum est.

Arab. Et res se rectè haberent.

Vulg. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabec matrem Salomonis. *Quæ* dixit ei: Pacificusne est ingressus tuus? *Qui* respondit, pacificus.

Arias. Num pax venire tuum?

Vulg. Addiditque: Sermo mihi est ad te. *Cui* ait: Loquere. *Et ille?*

Vulg. Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israël sibi in regem: sed translatum est regnum, & factum est fratris mei: à Domino enim constitutum est ei.

Pag. Versum est regnum.

Malu. Circumgyratum fuit.

Cald. Quia à Domino datum est ei.

Syr. A Domino deuolutum est.

Vulg. Nunc ergo petitionem unam precor à te; ne confundas faciem meam. *Quæ* dixit ad eum: Loquere.

Pag. Ne auertere facias.

Arab. Num ego molestia te afficiam ob rem unam? Ne me reieceris.

Vulg. Et ille ait: Precor vt dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) vt det mihi Abisag Sunamitidem vxorem.

Pag. Non enim auertere faciet faciem tuam.

Cald. Non reuerti faciet vt det mihi Abisag quæ est ex Sunem.

Vulg. Et ait Bethsabec: Bonè, ego loquar pro te regi.

Vulg. Venit ergo Bethsabec ad regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia: & surrexit rex in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronum suum: positumque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius.

Pag. Incuruauit se ei, posuitque solium matri Regis.

Sept. Rom. Et osculatus est eam.

Vulg. Dixitque ei: Petitionem unam paruulam ego deprecor à te; ne confundas faciem meam. *Et* dixit ei rex: Pe-te mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam.

Sept. Ne auertas faciem meam.

Vulg. Quæ ait, Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor.

Vulg. Responditque rex Salomon, & dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum: ipse est enim frater meus maior me, & habet Abiathar sacerdotem, & Ioab filium Saruiz.

Cald. Et vt quid petis Abisag, quæ est ex Sunem?

Vulg. Iurauit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.

Vulg. Et nunc viuitt Dominus, qui firmavit me, & collocauit me super solium David patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias.

Sept. Rom. Qui parauit me.

Reg. Qui præparauit me.

Cald. Qui confirmauit me.

Vulg. Misitque rex Salomon per manum Banaig filij Ioia-dæ, qui interfecit eum & mortuus est.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

N*E confundas faciem meam.* Alij, *Ne reuerti facias faciem meam*, Id est, Ne facias vt auertas faciem meam præ pudore & verecundia, si petitioni meæ non acquieueris. *Qui firmavit.* Alij, *Qui præparauit regnum meum*, scilicet stabile.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **S**alomon autem. Hic consequenter ponitur Salomonis executionio, præmittitur tamen Adoniæ interfectio, & secundo Abiathar eiectio: ibi: *Abiathar quoque.* Tertio prædictorum executio, ibi: *venit autem nuntius.* Circa primum dicitur. Salomon autem sedit super thronum David patris sui pacificè & quietè.

Et firmatum est regnum eius. Ita quod potestas eius fuit maior potestate patris sui David: Et idè securè punire poterat illa, quorum punitionem David ex causa rationabili distulerat, sicut fuit dictum supra 2. l. 3. c. de Ioab, & 19. de Semei.

MENOC. *Firmatum est regnum eius nimis.* Populi scilicet, tribuum, omniumque ordinum consensu in comitiis exhibito, & iuramento fidelitatis, & omnium propensa in illum voluntate. Acta Comitiorum. Vide 1. Paralip. capite 28.

LYRAN. *Pacificusne est ingressus tuus?* Timebat enim ne aliquid machinaretur contra se, eo quod David instituerat Salomonè in regem ad petitionem suam vt haberetur c. præcedenti.

MENOC. *Pacificusne est ingressus tuus?* Merito dubitare potuit Bethsabec pacificusne esset Adoniæ aduentus, quia ab illa regno propemodum occupato deiectus erat.

MENOC. *Sermo mihi est ad te.* Quasi dicat, habeo quæ tibi dicam, & in quo vt mihi fauere velis, rogem.

LYRAN. *Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum.* Ratione pri-

mo genituræ. Hoc non erat verum, quia ordinatio diuina præualeat primogenituræ, quæ erat pro Salomone, vt dictum est cap. præcedenti.

Et præposuerat omnis Israël sibi. Hoc similiter est falsum, quia robur exercitus David non erat cum eo, nec communitas populi, quæ in hoc expectabat sententiam David, vt patet ex supra dictis. Sed talia dicebat Adonias, vt magis posset impetrare quod quærebat.

A Domino enim constitutum est. Quasi diceret, non intendo de cætero aliquam aspirare ad regnum, quia agerem contra Deum: Vnde subditur.

Meum erat regnum. Titulo primogenituræ & electionis.

Confundas. Id est, pude facias negando. Hebr. *auertere facias.* scilicet præ pudore. LXX. *auertere faciem tuam.*

Vt det mihi Abisag Sunamit. Illa enim fuerat vxor David, & per consequens regina: & sic per eam habebat viam veniendi ad regnum per auxilium Ioab & Abiathar, & aliorum sibi fauentium. Quod aduertens Salomon qui erat perperspicacioris ingenij quam mater sua: respondit:

Bene, ego loquar pro te. Non solum spondet se petitionem renuntiaturæ regis, sed etiã re videtur suscipere perficiendã.

Pro Adonia. non dicitur *De Adonia*, sed *pro Adonia* cuius scilicet causam tanquam patrona susceperat.

Adorauit eam. Conueniente corporis inclinatione vtens.

Sedit ad dexteram eius. Salianus putat in throno humi-

liori, ne alioqui supra regem honorari videretur. Abulensis vero pari throno, & ad dexteram honoris causa collocata: quod facit probabile occurfus reuerens, & procedens adoratio.

Neque enim fas est vt auertam faciem tuam. Pudore, & dolore repulsa, quasi te insipientiae arguam, quod ea postulaueris, quae concedi non possunt: aut quasi parum te diligam, & parui faciam, ideoque quod petis negare non verear.

Detur Abisag Sunamitis Adoniae fratri tuo vxor. Videtur huiusmodi matrimonium contra legem Leuitici fuisse capite 18.8. vbi vetabatur ne quis vxorem patris ducat. Nec obstat quod cognita non fuisset, quia non copula, sed consensus matrimonium facit, & licet impedimentum publicae honestatis, quod à iure positum est, eo tempore non esset, ius tamen publicae honestatis quod naturae est, violabatur, natura enim tale matrimonium refugit. Adde quod non constabat Abisag à rege cognitam non fuisse.

Postula ei & regnum, &c. Quasi dicat, per hoc intendit venire ad regnum.

Postula ei & regnum. Quasi dicat, habet tam multos qui illi fauent, acclamatus est rex, est etiam me maior, cum etiam sit regis primogenitus, si hoc etiam accedat, quod Abisag regiam paulò ante vxorem ipse ducat, nihil illi deesse videtur ad regnum.

Postula ei & regnum. Cùm Adonias primogenitus esset filiorum regis, & toti populo non ingratus, imò rex haud ita pridem ab omnibus penè conclamatus: honesta insuper ac liberali esset forma, quae blanda multitudinis conciliatrix est: si ad hanc iam accederent nuptiae Sunamitidis nuper reginae, & populo propter formae venustatem, & honestos mores admodum gratæ; procul dubio fuissent Adoniae, mortuo iam Dauide, ad regnum obtinendum prompta facilisque via. Et hoc erat callidum, & fraudulentum Ioabi (de se suisque rebus alioqui desperantis) itemque Abiathari Pontificis, & aliorum Adoniae fauentium

consilium. Sed fraus statim cognita Salomoni, qui feuerò supplicio, ne altiores radices malum ageret, primùm in Adoniam, dein & Ioabum, denique & in Abiatharum animaduertit.

Contra animam. Tum quia machinabatur contra regem: tum quia petebat vxorem contra legem Leu. 18. vbi prohibetur contractus matrimonij cum vxore patris. Cetera patent in litera.

Hec faciat mihi Deus, & hec addat, quoniam contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. Execratio est, qua sibi grauissima mala precatur Salomon, & proinde subintelligenda est certa conditio. Potest autem ea duobus modis explicari. Vno modo, vt sit sensus; Maximis malis afficiat me Deus, si non Adonias hoc locutus est contra animam suam. Altero modo, quasi dicat, si non vindicem in Adoniam, quia contra animam suam hoc locutus est. Ceterum quod dicit Adoniam contra animam suam locutum esse, nequaquam intelligendum est, contra voluntatem suam; quia reuera hoc Adonias petebat, neque etiam contra conscientiam suam, quia Adonias hac via ad regnum adhuc aspirabat, quod sibi putabat deberi. Sed sensus est, *contra animam suam*, id est, contra salutem suam. Anima enim vitam, & salutem frequenter significat, quasi dicat; Hoc Adonias petiuit in suam ipsius perniciem, quia propter illam petitionem interficietur.

Contra animam suam. In perniciem suam. Aliqui iniustitiae, & crudelitatis accusant Salomonem, quod ex leui suspitione fratrem, quasi reum maiestatis occiderit. Alij iure fecisse putant, idque Salianus diuinæ tribuit inspirationi, quæ vt ei patefacit insidias, & voluntatem statim occidendi suggestit: Sanè eo nomine nusquam Salomon reprehenditur in scriptura.

Fecit mihi domum. Familiam scilicet regiam,

Sicut locutus est. Sicut promisit.

Interfecit eum. Modus & locus tacentur, quia nihil in eis singulare contigit.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 26. ad 33.

Vulg. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei coram Dauide patre meo, & sustinisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus.

Pag. Quia vir obnoxius mortis es, &c. quia afflictus fuisti in omnibus, in quibus afflictus fuit pater.

Malu. Quia afflixisti te in omnibus.

Cald. Ito tibi in domos tuas, quia obnoxius occisioni tu es.

Arab. Vade rus tuum, & fundi tui culturæ vacato, nam homo es qui mortem mereris, &c. depressus fuisti.

Vulg. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.

Cald. Repudiauit ne esset sacerdos ministrans ante Dominum, vt confirmaret verbum Domini.

Vulg. Venit autem nuntius ad Ioab, quòd Ioab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset: fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.

Pag. Et fama venit vsque ad Ioab.

Arias. Et auditio, & post Absalom non declinauerat. *Ira Caiet.*

Malu. Et post Absalomum non extendit.

Sep. Rom. Quia fuit inclinans post Adoniam.

Cald. vt in Heb.

Syr. Cùm fama peruenisset ad Ioabum, quòd mortuus esset Adonias, &c. nam post Salomonem non inclinauerat.

Arab. Quod ex fautoribus esset Adoniae, nec amabat Salomonem.

Plures Codices Latini. Venit nuntius ad Salomonem. *Hanc lectionem sequuntur Hugo Carens. & Dionys. Rikel.*

Tom. IV.

Vulg. Nuntiatumque est regi Salomoni, quòd fugisset Ioab in tabernaculum Domini, & esset iuxta altare: misitque Salomon Banaiam filium Ioiaðæ, dicens: Vade, interfice eum.

Malu. Et ecce referuatio altaris, &c. ambula, incurre in eo.

Sep. Et ecce tenet cornua altaris, & misit rex ad Ioab, dicens: Quid factum est tibi, quòd fugisti ad altare? & dixit Ioab, quoniam timui à facie tua, & fugi ad Dominum. Et misit Salomon ipsum Banae filium Iodææ, dicens: Vade & tolle eum, & sepeli eum.

Vulg. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dicit rex: Egrederere. Qui ait: Non egrediar, sed hic moriar. Renunciauit Banaias regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Ioab, & hæc respondit mihi.

Sep. In tabernaculum testimonij. Hæc dicit rex: Egrederere.

Vulg. Dixitque ei rex: Fac sicut locutus est: & interfice eum, & sepeli, & amoue bis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab, à me, & à domo patris mei.

Malu. Incurre in eo, & discedere facies sanguines gratis quos effudit desuper me.

Cald. Exerceas potestatem in illum, &c. & auferas culpam innocentis sanguinis.

Vulg. Et reddet Dominus sanguinem eius super caput eius, quia interfecit duos viros iustos, melioresque se: & occidit eos gladio, patre meo Dauide ignorante, Abner filium Ner principem militiae Israël, Amasam filium Iether principem exercitus Iuda.

Malu. Reuertere faciet sanguinem, &c. quia incurrit in duobus hominibus, & iustis de ex eo.

Sep. Rom. Sanguinem iniustitiae, &c. & pater meus ignorauit sanguinem eorum,

Reg. Sanguinem iniquitatis, obuiauit duobus viris.
Cald. Reddet noxam occisionis, &c. Eò quòd exercuerit
potestatem in viros.
Arab. Retorqueat sanguinem in collum ipsius.

Vulg. Et reuertetur sanguis illorum in caput Ioab, & in caput
femini eius in sempiternum. Dauid autem & femini eius,
& domui & throno illius, fit pax vsque in æternum à Domino.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Sustinuisti laborem in omnibus in quibus laborauit pater. Alij, *Quia afflixisti te in omnibus, &c.* verbum חָנַח *ghauah*, utroque loco ponitur in Hitpahel, & ingentes afflictiones, & ærumnas indicat. *Venit autem nuntius ad Ioab.* Alij, *Venit ad Salomonem*, sed non bene, in emendatis enim codicibus habetur ad Ioab. Et sensus est, fama peruenit ad Ioab occisum esse Adoniam, vt ipse qui fauerat Adoniæ, & cum eo contra Salomonem coniurarat, fuga sibi confuleret, ne ipse quoque vt socius & particeps coniurationis Adoniæ occideretur à Salomone. *Et post Salomonem non declinasset.* Alij, *Et post Absalomem*, sed legendum post Salomonem: scio aliquos censere Absalomem vocari Absalomem, eò quod Absalom idem sit quod pater pacis, Salomon verò idem sit quod pacificus. Ideo pater & arbiter pacis, sed alij volunt Hebr. & Cald. moderna esse corrupta, at S. Hieron. in Hebr. pro post Absalomem legisse post Salomonem: sic etiam legerunt Sept. *Amouebis sanguinem innocentem.* Alij, *Recedere facies sanguines gratis*, Id est, cædem temere, & sine causa perpetrata. *Reddet sanguinem eius super caput eius.* Alij, *redire faciet sanguinem*, &c. Id est, peribit ob cædem à se factam.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 26.

Abiathar. Hic ponitur abiectio Abiathar de summo A
sacerdotio & de ciuitate regia, cum dicitur.

Vade in Anathoth. Id est, ad possessionis tuæ locum. Licet enim sacerdotes non haberent possessiones rurales, habebant tamen ciuitates assignatas pro sua habitatione, & suburbana ad nutriendum animalia, vt patet Num. 35. & Iosue 21.

Es quidem. Id est, morte dignus pro conspiratione contra me, & ordinatione Dei & patris mei.

MENOC.

Vade in Anathoth ad agrum tuum. Erat Anathoth ciuitas sacerdotalis in tribu Benjamin, vt patet Ios. 21. 18.

Vir mortis es. Mortis reus, propter coniurationem cum Adonia.

Quia portasti arcam Domini. Propter reuerentiam sacre dignitatis Pontificalis, in qua ministraisti.

Sustinuisti laborem, &c. Dauid enim ipsos sex & quadraginta annos tam in prosperis, quam in aduersis adhaferat.

LYRAN.
v. 27.
ESTIUS.

Vt impleretur sermo. Scilicet quod eiiceretur à sacerdotio, vt habetur supra 1. lib. cap. 11.

Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli. Quin additur, vers. 35. *Et Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.* Non est existimandum, quod Salomon regia potestate constituerit, aut constituere potuerit summum sacerdotem, etiam posito quod aliquem sumeret ex posteris Aaron (id enim nunquam reges, quantumvis mali in factis literis sibi arrogasse leguntur.) Sed dum Salomon vtitur regia potestate in eiiciendo seu proscribendo Abiathar, propter crimen læsæ maiestatis, factum est ex consequenti, vt Abiathar non potuerit amplius fungi sacerdotio, quo fungi non licebat extra templum, quod erat Ierosolymis. Et hac ratione factum est, vt impleretur, quod dictum erat de domo Heli 1. Reg. 2. Et quia Sadoc iure erat proximus, imò iure prior, quia de posteritate Phinees, vt patet 1. Paral. 6. hinc, amoto propter crimen Abiathar, Sadoc iure successit, & dicitur rex eum posuisse, quia ius ei restituit, seu potius iure suo illum vt ordinauit. Etenim quod Salomonis intentio non fuerit Abiathar priuare iure sacerdotij, si quod habebat, intelligi potest ex eo quod etiam postea adhuc cap. 4. Sadoc & Abiathar iunctim nominantur sacerdotes tempore regni Salomonis, sicut nominati fuerant tempore regni Dauidici 2. Reg. 20. & alibi. Vide etiam de his 1. Paral. 6.

MENOC.

Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos. Non poterat laicus Princeps iure communi Pontificem deponere, itaque diuina interuenit ordinatio, cuius executor Salomon fuit, vt docent Theodoretus, Procopius, Pineda lib. 6. de rebus Salomonis c. 15. num. 7. Saliarius, & alij: Probabile etiam est Sadoc sententiam, consensumque interuenisse, à Leuitis enim sacerdotibus maximam iudiciorum partem fuisse tractatam ex pluribus scripturæ locis habemus. Vide plura apud Saliarius, anno 3. Salomonis num. 15. marginis.

Sermo Domini. Quem habemus 1. Reg. 2. 31.

A Super domum Heli. Ex qua erat Abiathar.

Eiecit Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini. TIRIM

Nempe cum reus esset capitis, propter conspirationem cum Adonia contra Salomonem iam à Deo & à patre regem designatum, multauit illum Salomon solo exilio: & consequenter impediuit ne deinceps pontificatu fungeretur, sed is transferretur ad Sadoc, id est, referretur ad rectam lineam Eleazari primogeniti Aaronis, à quo antè iubente Deo migrarat per Heli ad familiam Irhamari, secundogeniti eiusdem Aaronis. Atque ita impleta iam fuit prophetia viri Dei 1. Reg. 1. Reg. 2. qui pontifici Heli, propter scelera filiorum eius prædixit, sacerdotium summum ab illo ad æmulam familiam transferendum. Vide quæ ibidem dixi ad vers. 31. Nota. Ex hoc Salomonis facto Doctores colligunt, in lege veteri, vt pote temporalia magis, quàm spiritualia spectante, pontificem in politicis & criminalibus regis subiectum fuisse: sicut rex in sacris suberat pontifici. Bellarminus tamen & quidam alij dicunt, Salomonem non vt regem, sed vt Prophetam & executorem diuinæ iustitiæ, Abiatharum exauctorasse.

B *Venit autem.* Hic consequenter ponitur executio ordinationis Dauid, & primo quantum ad punitionem Ioab. secundo ipsius Semei, ibi: *Misit quoque rex.* Circa primum dicitur. *Venit autem nuntius.* &c. Per modum accusationis, quod *Ioab. decli. post Adoniam.* non solum ante institutionem Salomonis, sed etiam post, vt prædictum est.

Et post Salom. non decli. In Hebræo habetur: *Venit autem nuntius ad regem, quod Ioab declinauerat post Adoniam, & post Absalom non declinauerat.* Nuntiatum enim fuit Ioab, quod Salomon hoc sciebat, & ideo sibi periculum imminebat, quia quamuis Ioab multum diligeret Absalom, vt patet ex supradictis 11. lib. 14. tamen non declinavit post eum, quando voluit obtinere regnum, imò interfecit eum, vt habetur 2. lib. cap. 18. Cum ergo post Adoniam & non Salomonem declinavit ad obtinendum regnum, signum fuit quod habebat multum cordi istud negotium, scilicet, machinando contra Salomonem pro Adonia, & ideo Ioab audiens quod Salomon sciebat hoc, meritò timuit: & ideo pro refugio fugit ad tabernaculum.

Venit autem nuntius ad Ioab, quod Ioab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset. Ita legendum censuerunt Biblia Sixtina nuper edita. Erat huius loci pridem varia lectio, de qua prolixè F. Lucas, & inter cætera hæc: *Et venit fama vsque ad Ioab, quia Ioab declinauerat post Adoniam, & post Absalomem non declinauerat, & fugit.* Ita codices Hebræi, Caldæique legunt. (Nota post *Ab-salomem*, vbi nos habemus, post *Salomonem*.) Et pergit idem auctor; Ab his, inquit, Græci & Latini libri dissentiunt. Græci scribunt: *Et fama venit ad Ioab filium Saruie, quia Ioab erat inclinatus post Adoniam, & post Salomonem non declinauerat, & fugit.* Latini autem omnes propemodum habent: *Venit autem nuntius ad Salomonem, quod Ioab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset.* Et

ESTIUS

nonnullis interiectis. Sensum Hebr. per commodum A dar Tostatus: Peruenit ad Ioab fama interfecti Adoniæ, & eieci Abiathar: & quia ipse Ioab, qui initio Absalonem sibi eximie dilectum sequutus non fuerat, Adoniæ tamen partes in maius Salomonis præiudicium, sequutus fuerat idcirco timens fugit. Ac tandem F. Lucas concludens: Qui, inquit, communem Latinorum codicum lectionem sequuntur, Hugo Carenis, & Dionysius Richelius, nuntiatum dicunt Salomoni, Ioab etiam post inaugurationem Salomonis, Adoniæ partibus fauisse, & consilium de petenda, ducendaque in vxorem Abisag Sunanimtide suggestisse: ideoque Ioab, cum id Salomonem rescisse audiret, ad tabernaculum Domini fugisse. Hactenus quæ sunt apud dictum authorem præcipua: ex quibus difficile non erit commodum sensum lectionis Sixtinæ eruere, vt quæ cum Hebræa & Græca in priori parte conueniat, & posterior pars difficultatem non habeat: sitque illa non solum correctionis Sixtinæ, sed semper in ea parte, tam Græci, quam Latini ita legerint.

MENC.

Venit ergo nuntius ad Ioab, quod Ioab declinasset post Adoniam. Id est, venit ad Ioab fama quod in Regia Salomonis curia diceretur illum declinasse ad Adoniam, secunda scilicet hac coniuratione, & molitione, cum scilicet Abisag vxorem sibi dari postulauit.

LYRAN.

In tabernaculum Domini, &c. Vide dicta cap. 1. num. 5.

Egredere. Qui ait. Quia reformidabat eum in loco sacro interficere. B

Non egrediar sed hic moriar. Renuntiauit, &c. Dicit Ra. Sal. quod Ioab dixit Banaia: *Non egrediar nisi sub conditione.* Scilicet, quod Salomon recipiat super se maledictiones quas Dauid imprecatus fuit super me pro interfectione Abner: scilicet lepram, debilitatem, gladium & famem, vt dictum fuit supra 2. lib. cap. 3. allegans quod non debebat dupliciter puniri, scilicet occisione in sua persona, & maledictionibus dictis in semine suo. Et quia hoc videbatur habere aliquem colorem iustitiæ, ideo Banaias non interfecit eum, sed rediit ad Salomonem referens ei verba Ioab: & tunc Salomon respondit quod sequitur.

Fac sicut locutus est & interfice eum. Dicendo ei, scilicet quod recipio illas maledictiones super semen meum, & sic interfice eum. Vnde etiam subdit Ra. Sa. quod maledictiones prædictæ venerunt super semen Salomonis: quia Ozias rex fuit leprosus, vt habetur infra 4. lib. cap. 15. & 3. Paral. 26. Et Asa doluit pedes. ita quod non poterat ire sine baculo, vt habetur infra 2. Paral. 16. & Ioachim interfectus gladio, vt habetur Hierem. 22. Sepultura asini sepelietur, quia interfectus proiectus fuit extra Hierusalem. Et Ezechias indigens pane in obsidione per Sennacherib. Vnde tunc sibi dictum fuit: *secundo anno pomis vescere* Esai. 37. id est, fructibus arborum propter panis defectum. Sed hæc exceptio non consonat literæ, quia hic dicitur: *Non egrediar, sed hic moriar.* Nullam conditio-

nem apponendo. Similiter non consonat literæ præcedenti: quia Dauid qui erat sanctus illas maledictiones sciebat quia illas fecerat, & tamen cum hoc imposuit Salomoni punitionem Ioab pro interfectione Abner & Amasæ, vt prædictum est, absque aliqua retractatione dictarum maledictionum, quia quando illæ maledictiones sufficerent pro interfectione Abner, adhuc remanebat Ioab dignus morte pro interfectione Amasæ, & ideo nullo modo est verisimile quod Salomon maledictiones patris sui receperit super se, vel super semen suum. Quod autem inducitur de quatuor regibus de Salomone descendens non valet ad propositum, quia illæ pœnæ fuerunt eis inflictæ pro aliis causis, vt patebit in locis suis domino concedente. Et ideo quod dicitur hic: *Fac sicut locutus est, &c.* non refertur nisi ad illud quod dixerat: *Hic moriar.* Credendum tamen est, quod violenter auulsus fuit ab altari, & sic interfectus sicut præcipitur Exod. 21. versu quarto decimo.

Si quis de industria occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo auelles eum vt moriatur, sic autem occiderat Ioab Abner & Amasam, vt patet supra dictis.

Interfice eum. Quod iure fieri poterat, dicente lege. Recte MENC. credidit Salomon perinde esse Ioabum ad aram occidere, vel eum inde extractum alibi iugulare: vt rous enim modo locus violabatur, nisi legis dispensatio interuenisset. Ita Salianus.

Sepeli. Id enim viri dignitati, & generi Dauid par erat. *A mouebis sanguinem, &c.* Quasi dicat, nisi hoc facerem & Ioab occidi iuberem, reus essem fusi sanguinis ab ipso Ioab.

Et à domo patris mei. A Dauid qui à multis fortasse accusabatur quod tot, & tam atrociam Ioabi crimina tacitus transmisisset.

Fac Ioabo sicut locutus est. Id est, non obstante perugio ad altare, occide eum. Nam Exodi 21. v. 14. expresse iubet Deus: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari euelles eum.* Et credibile est non in ipso loco tabernaculi iugulatum esse Ioabum, sed quantumcumque reluctansem à Banaia per prætorianam cohortem auulsam ab altari, extra tabernaculum supplicio affectum fuisse; vt post etiam Athalia, iubente Ioiada pontifice 4. Reg. 11. v. 15. Nam in ipso sacrario non videtur citra necessitatem humanus sanguis profundi potuisse. Vnde & Sanctius damnat hic Salomonem & Banaiam non leuis peccati, quod putet, Ioabum in ipso sacrario iugulatum fuisse. Sed Abulensis id excusat, eò quod supplicium de impio sumptum etiam in loco sacro, non minus grata sit hostia Deo, quàm arietum aut vitulorum, qui quotidie isthac macabantur.

Sanguinis eius. Quem scilicet ipse fudit.

Super caput eius. Vt scilicet capite luat quod peccauit fundendo sanguinem. MENC.

VARIETAS LECTIONVM Vers. 34. ad 49.

Vulg. Ascendit itaque Banaias filius Ioiadæ, & aggressus eum interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto.

Vulg. Et constituit rex Banaiam filium Ioiadæ pro eo super exercitum, & Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.

Malu. Dedit sub eo super militiam.

Sept. Rom. Dedit, &c. Et regnum eius dirigebatur in Ierusalem & Sadoc sacerdotem dedit eum rex in sacerdotem primum pro Abiathar, & Salomon filius David regnavit super Israël & Iuda in Hierusalem, & dedit Dominus prudentiam ipsi Salomoni, & sapientiam multam valde, & latitudinem cordis velut arena quæ iuxta mare.

Vulg. Misit quoque rex, & vocauit Semei, dixitque ei: *Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc atque illuc.*

Cald. Et sedeas ibi.

Vulg. Quicumque autem die egressus fueris, & transieris Torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis

Tom. I V.

tus erit super caput tuum.

Malu. Et eris in die exire te, &c. Cognoscere cognosces, quia morieris.

Cald. Culpa occisionis tuæ, erit super caput tuum.

Vulg. Dixitque Semei regi: Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet seruus tuus. Habitauit itaque Semei in Ierusalem diebus multis.

Sept. Habitauit tribus annis.

Vulg. Factum est autem post annos tres, vt fugerent serui Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatumque est Semei, quod serui eius essent in Geth.

Malu. Et fuit de extremitate trium annorum, & fugerunt duo serui.

Vulg. Et surrexit Semei, & strauit asinum suum: iuitque ad Achis in Geth ad requirendum seruos suos, & adduxit eos de Geth.

Malu. Superalligauit, &c. Et venire fecit.

Sept. Et duxit.

Vulg. Nuntiatumque est Salomoni quod esset Semei in

C C c iij

Geth de Ierusalem & rediisset.

Vulg. Et mittens vocauit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi, Quamcumque die egressus, ieris huc & illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audiui.

Malu. An non adiuraui te, & contestatus fui in te, addicere, &c. cognoscere cognosces, quia mori morieris?

Cald. Nonne adiuraui in dicto Domini? &c. Dixisti, Rectum est verbum.

Malu. Et quid cognitionis non custodisti?

Sept. Quod præcepi contra te.

Arab. Iam nosti crimen quod patraisti in Dauid, &c. Iam reflexit crimen tuum in caput meum.

Vulg. Et rex Salomon benedictus, & thronus Dauid erit stabilis coram Domino in sempiternum.

Malu. Et solium Dauidis erit apparatus facibus Iuh.

Sept. Thronus erit paratus.

Vulg. Iussit itaque rex Banaia, filio Ioiada, qui egressus percussit eum, & mortuus est.

Malu. Et exiuit & incurrit in eo, & regnum apparatus.

Pag. Consummatum.

Cald. Exercuit potestatem in illum & occidit.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Nonne testificatus sum? Alij, Nonne adiuraui te in dicto Domini? Iuramento scilicet te obstringens, Cuius tibi est conscius cor tuum. Alij, Quod nouit cor tuum: Sed magis exprimit *Vulg.* reatum Semei. In Hebr. quod additur in ultimo versu, nempe & regnum confirmatum est in manu Selomoh *Vulg.* ponit in principio cap. subsequ.

ANNOTATIONES.

- LYRAN** **§. 34.** **S**epultusque est in domo sua in deserto. Et constituit rex A Banaiam filium Ioiada, &c. Dicit enim Ra. Sa. quod fecerat ibi hospitale ad recipiendum pauperes, & peregrinos transeuntes. Vnde dicunt Hebræi ipsum esse saluatum, & quod mors temporalis sibi inflicta fuit in expiationem peccatorum suorum.
- MENOC.** *Eum interfecit.* Amputato capite, vt asserit Iosephus.
- In deserto.* Deserti huius nomen scriptura non expressit. Fortasse fuit in deserto Techua, vel in montanis Hebron, vel iuxta Bethleem, hæc enim omnia erant in forte Iuda. Porro de æterna salute Ioab sicut eorum qui legitimo iudicio supplicio afficiuntur, non est nisi in re clara desperandum.
- LYRAN.** **§. 35.** *Et constituit rex Banaian, &c.* Quia erat vir fortis & prudens, propter quod fecit eum Dauid secretarium, vt habetur supra lib. 2. cap. 23.
- Et sacerdotem posuit pro Abiathar, &c.* Et sic reductum est sacerdotium ad debitam lineam. Aaron enim qui electione Dei factus fuit summus sacerdos, vt habetur **EXOD.** 28. habuit duos filios, scilicet Eleazar & Ithamar, qui remanserunt sibi, aliis duobus mortuis coram Domino, vt habetur **LEUITIC.** 10. Et de voluntate Domini, sacerdotium transiit ad Eleazar & filios eius, vt habetur **NUM.** 20. cap. de quo descendit iste Sadoc. Heli autem descendit de Ithamar, & cum esset Iudex populi, assumpsit sibi sacerdotium, hoc autem fuit ex diuina ordinatione sicut dictum fuit **1. REG.** 2. & ab ipso descendit Abiathar, quem eiecit Salomon, ponendo Sadoc loco eius.
- LYRAN.** **§. 36.** *Misit quoque.* Hic consequenter agitur de punitione Semei, cui Salomon imposuit legem de remanendo in Ierusalem sub pœna mortis, eò quod erat seditiosus, & hoc acceptauit dicens: *Bonus est sermo quem audiui:* Vt habetur infra: quem transgressus est, & sic punitus est morte sicut meruerat, & absque transgressione iuramenti ipsius Dauid, sicut plenius dictum fuit supra 2. lib. c. 19. Ex quo loco, & aliis supradictis patet sententia huius partis.
- Transferis torrentem Cedron.* Sententia, si vel tantulo spatio ab vrbe excesseris quantum est vsque ad torrentem Cedron, nam quando iuit in Geth torrentem hunc reuera non transiuit, torrens enim erat ciuitati ad orientem, Geth verò ad occidentem. Neque tamen sine causa torrentem Cedron nominauit Salomon, quia de Ierusalem euntibus in Bahurim vbi agros habebat Semei, transcundus erat Cedron.
- Sanguis tuus erit super caput tuum.* Id est, tu tibi eris causa mortis.
- Bonus sermo.* Quasi dicat, recta, atque honesta oratio est.
- Serui Semei.* Duo scilicet, vt habetur in Hebræo, Græco, & Caldæo.
- Ad Achis filium Maacha regem Geth.* Quem Abulensis in hoc cap. quæst. 44. cum putat ad quem ante 44. circiter annos fugerat Dauid. Porro serui in Geth fugebant, quia fortasse Philistæi erant, & ex Geth.
- Iuit ad Achis in Geth.* Quæta enim erant omnia inter Hebræos, & Palæstinos, qui illis etiam tributa pensabant. Putauit Semei facile se posse latere Salomonem, qui multis regni negotiis occupabatur.
- Testificatus sum.* Hebr. *iurani, seu adiurani,* Id est, à te iusiurandum exegi, vt scilicet per Dominum iurares te iussa facturum.
- Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.* In peccatum peccati illius, quo Dauidem contumelia affecisti, in hoc alterum peccatum vt mihi non pareres, vindex scelerum numen te labi permisit, vt vtrumque nunc vna, eademque vltione puniretur.
- Et thronus Dauid erit stabilis, &c.* Cum dicit hoc reo castigato stabile futurum regnum suum, vtique significauit illud labefactandum, nisi in Semei animaduertisset.
- Egressus.* E conspectu Regis, noluit enim illum coram se occidi.



CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

Salomon in uxorem accipit filiam Pharaonis: sapientiam in somno postulat à Deo. Quam vnacum diuitiis, & gloria mox accipit in summo gradu: cuius specimen exhibet in lite meretricum diuimenda.



1. Onfirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus est Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam eius, & adduxit in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini, & murum Ierusalem per circuitum. 2. Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini vsque in diem illum. 3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, & accendebat thymiama. 4. Abiit itaque in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis vt dem tibi. 6. Et ait Salomon: Tu fecisti cum seruo tuo Dauid patre meo misericordiam magnam, sicut ambulauit in conspectu tuo in veritate, & iustitia, & recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem, & dedisti ei filium sedentem super thronum eius, sicut est hodie. 7. Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum, & introitum meum. 8. Et seruus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari, & supputari non potest præ multitudine. 9. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum, quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum? 10. Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiuscemodi rem. 11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: 12. Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. 13. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi: diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retrò diebus. 14. Si autem ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. 15. Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quod esset somnium: cumque venisset Ierusalem, stetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas, & grande conuiuium vniuersis famulis suis. 16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo. 17. Quarum vna ait: Obsecro, mi domine: Ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperit apud eam in cubiculo. 18. Tertia autem die postquam ego peperit, peperit & hæc: & eramus simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. 19. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte, dormiens quippe oppressit eum. 20. Et confurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in sinu suo: suum autem, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. 21. Cumque surrexissem manè vt darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram. 22. Responditque altera mulier: Non est ita vt dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. 23. Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus viuit, & filius tuus mortuus est. Et ista respondit. Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. 24. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege. 25. Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri. 26. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus ad regem: (commota sunt quippe viscera eius super filio suo) Obsecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur. 27. Respondit rex, & ait Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc est enim mater eius. 28. Audiuit itaque omnis Israël iudicium quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.

VARIETAS LECTIONVM. Vers. 1. & 7.

Vulg. Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus est Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam eius, & adduxit in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini, & murum Ierusalem per circuitum.

Tom. IV.

Pag. Donec finiret ædificare.

Arias. Vsque consummare eum.

Sep. Rom. Et multiplicata est prudentia Salomonis valde super prudentiam omnium filiorum antiquorum, & super omnes prudentes Ægypti, & accepit filiam Pharaonis, &c. in septem annis fecit, & consummauit.

CCc iij

Reg. vt Vulg.

Vulg. Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini vsque in diem illum.

Malu. Tantummodo populus sacrificabat.

Sep. Rom. Erant adolentes.

Reg. In excelsissimis.

Syr. Super altaria.

Vulg. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, & accendebat thymiama.

Pag. Et suffiebat.

Caiet. Thurificabat, & ponebat incensa.

Vulg. Abiit itaque in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon.

Arias. Mille ascensiones ascendere fecit.

Sep. Quoniam excelsissimum erat ibi, & magnum, holocaustum obtulit.

Syr. Illud enim erat præcipuum altare.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Attamen populus immolabat, Alij, Tantummodo populus sacrificabat. Et voluit hoc esse dictum in laudem populi, qui tantummodo sacrificabat in duobus his excelsis, Gabaonitico, in quo erat tabernaculum Moysis, & altare holocaustorum: & Ierosolymitano, in quo erat tabernaculum à Dauide extructum, & in eo tabernaculo Arca Domini.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. I.

Confirmatum. Post remotionem impediendum stabilitatem regni Salomonis, hic consequenter agitur de accumulatione expedientium ad hanc stabilitatem, quæ sunt deuotio erga Deum, sapientia in iudiciis, magnificentia in familiis, sanctimonia in cultu Dei, & ædificiis, & opulenta in diuitiis. Verumtamen, quia deuotio est aliorum meritoria: ideo præmittitur Dei deuotio: secundo aliorum concessio, ibi: *Apparuitque Dominus*. Prima in duas, quia primò continuantur dicta dicendis, secundo exprimitur deuotio Salomonis, ibi: *Dilexit autem Salomon Dominus*. Circa primùm dicitur.

Confirmatum. Istud concluditur ex dictis cap. præced. vbi actum est, de morte machinantium contra Salom. quibus mortuis confirmatum est regnum Salo: interius. Consequenter ostenditur eius confirmatio exterius, cum dicitur.

Et affinitate. Qui erat potens, & regno eius propinquus, & ideo cum eo contrahit affinitatem, & regni sui firmitatem.

Et adduxit in civitatem. Cuius ratio subditur.

Donec compleret, &c. De cuius ædificatione postea habetur cap. 7.

Et murum Ieruf. Quam clausit triplici muro: ita quod in interiori clausura erat templum Domini, & palatium regis: in exteriori erat vulgus, & manu artifices, in medio vero habitabant prophetae, & nobiles: vnde infra lib. 4. c. 22. dicitur, quod *Olda prophetae manebat in Ierusalem, in secunda* Scilicet clausura.

Attamen. Sicut dictum fuit supra Deut. 12. & 1. Reg. à destructione Silo vsque ad ædificationem templi Arca Domini, non habuit stabilem mansionem, & ideo licitum fuit offerre, & immolare oblationes vtiuas, & sacrificia alibi quam vbi erat Arca, secundum deuotionem offerentis: post ædificationem vero templi non licuit, nisi ex speciali mandato Dei, vel eius instinctu, sicut Helias immolauit in monte Carmeli, vt habetur infra c. 18.

Queritur hic vtrum Salomon peccauit accipiendo in vxorem filiam Pharaonis: Et arguitur primò, quòd sic, prohibitu enim erat Iudæis contrahere matrimonium cum mulieribus alienigenis, vt habetur Deut. c. 7. ergo, &c. Infra 11. vbi reprehenditur Salom. de mulieribus alienigenis, specialiter exprimitur filia Pharaonis. Contrarium arguitur per hoc, quod Dominus illo tempore apparuit, dicens ei: *Postula quod vis, &c.* Item ædificato templo orationem Salomonis exaudiuit, & templum nebula impleuit, ad denotandum specialem præsentiam suam, vt habetur 2. Par. 5. Quæ Dominus non fecisset si Salomon eum offendisset.

Responsio. Dicendum, quod quantum videtur text. sonare non peccauit, quia statim subditur. *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis Patris sui, excepto, quod in excelsis immolabat*, & tamen illud erat licitum, vt dictum est, pro illo tempore, tamen minus bonum, vt videbitur. Si igitur Salomon peccasset accipien-

do filiam Pharaonis, scriptura illud multo fortius excepisset. Sciendum igitur, quod mulieres alienigenæ erant in duplici gradu, quia aliqua erant de populis habitantibus terram promissionis antequam filij Israël intrarent: quarum aliqua cum eis in terra remanserunt, vt patuit in lib. Iosue, & Iudic. & cum illis non poterant filij Israël licitè contrahere matrimonia: nisi ex speciali causa, vt dicitur. Cum aliis vero mulieribus alienigenis poterant contrahere, maxime ex rationabili causa, Gentilitate tamen prius relictâ, & sic Booz contraxit cum Ruth Moabide: prout habetur Ruth ult. Et hoc modo Salomon cum filia Pharaonis ad confirmationem regni sui, vt prædictum est contraxit. Et credendum est (licet non sit expressum) quod ipsa reliquerit Gentilitatem antequam cognouerit eam, quia tunc Salomon diligebat Dominum, & è conuerso, vt ostendetur infra. Ad primum igitur argumentum dicunt aliqui, quod vxores alienigenæ de genere Chananæorum tantum erant prohibitæ Iudæis, non autem de aliis nationibus. Sed hoc patet falsum. 1. Esd. 9. dicitur, quod filij Israël reuersi de captiuitate acceperunt vxores de genere Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, quæ non erant de Chananæis: & tamen Esdras, qui optime sciuit legem, determinauit hoc esse illicitum, propter quod ordinatum fuit tunc, quod illas eiicerent. Propter quod dicendum, quod mulieres Chananææ fuerunt magis interdictæ quam alia: ideo cum illis non erat licitum contrahere nisi relictâ gentilitate, & cum hoc pro aliquo magno facto in speciali: propter fidem vnus veri Dei, & Salmon contraxit cum Raab quæ erat de illis, quia ex fide saluauit nuntios Hebræorum, vt dicit Apost. ad Heb. 11. Cum aliis autem alienigenis licitum erat contrahere ex minori causa, relictâ gentilitate, vt dicitur Deut. 21. quod si aliquis Iudæus debellatis aduersariis de istis nationibus videret inter captiuos mulierem pulchram, relictâ gentilitate poterat eam accipere vxorem. Et hoc modo contraxit Dauid cum Tholomai filia regis Gesur: vt habetur lib. 2. c. 3. illas autem quas Esdras iussit eiici, fuerunt acceptæ à filiis Israël ex mala causa, scilicet, quia vxores Iudææ quæ cum eis venerant de captiuitate, ex labore itineris erant deturpatae: & propter hoc erant à maritis suis abiectæ, & quasi repudiatæ. Præterea illæ alienigenæ docebant filios suos aliqua ad ritum gentilitatis pertinentia. Ad secundum dicendum, quod ibi infra scilicet cap. 11. duo dicuntur de Salomone. Primum est, quod ardentissimo amore copulatus est alienigenis mulieribus. Aliud est, quod ad satisfaciendum eis coluit Deos earum, & ad hoc ædificauit templum, & quantum ad primum nominatur ibi filia Pharaonis, quæ fuit dilecta præ omnibus, vt dicunt Doctores Hebræi, & Catholici: non autem quantum ad secundum, quia reliquerat idololatriæ cultum, vt dictum est: alia vero quibus ædificauit templa non reliquerant, & istis idololatriis mulieribus coniunctus fuit Salomon in fenectute, vt ibidem dicitur. Si autem dicatur, quod eodem modo fecit pro filia Pharaonis, eo quod ibidem subditur,

Atque in hunc modum fecit Salomon vniuersis vxoribus suis alienigenis. Potest responderi per illud quod immediatè subditur: *Quæ adolebant thura, &c.* Et per hoc determinatur pro quibus mulieribus alienigenis fecit hoc, scilicet pro illis quæ non reliquerant idololatriam, vt dictum est. Et si dicatur, quod tunc filia Pharaonis rediit ad idololatriam, videns Salomonem idololatrare cum aliis vxoribus suis, per hoc non colligitur quin matrimonium cum ipsa à principio licitum fuerit.

ESTIVS. *Affinitate coniuinctus est Pharaoni regi Egypti: Accepit namque filiam eius.* Deut. 7. prohibet Dominus filiis Israël contrahere matrimoniū cum mulieribus alienigenis. Quin etiam infrà c. 11. reprehenditur Salomon, quod duxisset vxores alienigenas. Merito ergo quæritur vtrum Salomon, etiam peccauerit ducendo hanc filiam Pharaonis: Causa dubitandi est. Nam mox hoc capite subiungitur. *Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis patris sui.* Ac deinde scriptura initio regni Salomonis vehementer eum commendat, quam commendationem non merebatur, si statim initio regni tam graui de stabilis coniugij peccato Deum offenderet. Ad hanc igitur quæstionem, saluo meliori iudicio respondendum videtur, Salomonem eatenus non peccasse. Nam quod Deut. 7. lex prohibet, intelligendum principaliter est de alienigenis habitantibus in terra promissionis; quamuis etiam referatur aliquo modo ad alias nationes, vt patet 1. Esdræ 9. sed tamen cum hac exceptione; nisi scilicet alienigenæ illæ mulieres cultum gentilem relinquerent, & vnus veri Dei cultum amplecterentur. Et hanc exceptionem, etiam ipsa scriptura exemplis comprobatur: Sic enim Moyses duxit Sephoram Madianitidem, Booz, Ruth Moabitidem, Dauid, Maacha filiam Tholmai regis Gessur. Denique, & Salomon duxit Raab, quæ erat ex terra Chanaan. Sed omnes istæ ad cultum vnus Dei conuersæ erant. Et similiter omnino verisimile est Salomonem filiam Pharaonis initio regni sui non prius sibi copulasse, quam illa verum Dei cultum suscipere parata esset. Quod quia in aliis fœminis alienigenis postea non obseruauit, idcirco scilicet postea grauissimè reprehenditur.

MENOC. *Confirmatum est regnum in manu Salomonis.* Sublatis inimicis, aut quasi vinculis constrictis, ne se vnquam cum publico damno commouere possent.

Pharaoni regi Egypti. Pertinebat hæc affinitas ad confirmandum regnum, cum Egypti rex Pharaos, & finitimus esset, & valde potens. Regis autem nomen prodidit scriptura, vt videtur ex Eupolemo apud Eusebium lib. 9. de præparatione Exangelij c. vltimo, dictus fuisse Vaures. Sponfam credibile est Iudaica sacra professam, quare hanc coniugem ducendo non peccauit Salomon, qui nusquam in sacris literis hoc nomine reprehenditur, & colligi etiam potest ex iis, quæ paulò post dicuntur hoc capite, numero tertio. Dilexit Salomon Dominum.

In ciuitatem Dauid. In arcem Sion, in qua habitauit donec ædificato templo regiam vxori domum ædificauit, quam illi propriam esse voluit. Vide infrà capite septimo num. 8.

MENOC. *Populus immolabat in excelsis.* Vide dicta lib. 1. cap. 9. v. 2. num. 12.

LYRAN. *Dilexit autem Salomon, &c.* Hic consequenter ostenditur Salomonis deuotio erga Deum, & primò in cultu interiori qui potissimè consistit in actu dilectionis, secundum quod dicit August. in Enchiridio: Fide, spe, & charitate colitur Deus, & hoc notatur, cum dicitur. *Dilexit autem Salomon Dominum.* Secundò in cultu exteriori, cum dicitur. *Ambulans in præceptis Dauid.* Veruntamen, quia in hoc ad perfectionem eius non peruenit, ideo subditur.

Excepto quod. Licet enim hoc esset licitum illo tempore, vt prædictum est, tamen melius erat talia offerre in loco vbi erat Arca Dei. Dauid autem non legitur alibi immolasse, nisi ex specialitè mandato Dei in area Areuna Iebusæi, vt habetur suprà lib. 2. cap. vlt. sicut & Helias post ædi-

ficationem templi obtulit in monte Carmeli, vt dictum est.

Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis patris sui Dauid, excepto quod in excelsis immolabat. Scriptura his verbis Salomonem reprehendere videtur, quod immolauerit in excelsis. Interim, & Samuël legitur immolasse in excelsis, & alij alibi. Neque id omnino illicitum fuit (modo immolaretur Deo vero) eò tempore quo Arca Dei stabilem locum non habebat. Aliqui etiam existimant his verbis Salomonem non reprehendi, sed tantum significari, eum non immolasse coram Arca; propterea quod templum nondum esset ædificatum: rectè autem eum immolasse in excelsis Gabaon, eò quòd ibi esset tabernaculum, & altare holocausti, quæ fecerat Moyses, vt habetur 1. Par. c. 21.

Excepto quod in excelsis immolabat, &c. Hac in re excusari non posse à peccato Salomonem sentit Sanchez, in hunc locum: erat enim Domini præceptum Leu. 18. v. 4. & Deut. 12. 13. vt sacrificia fierent solum ante tabernaculum. Vide Riberam lib. 1. de Templo c. 2. Videtur Salomon reprehendi, inquit, Sa, vel sensus est, id tamen Dauid, quanquam licitum, numquam fecerat. Vide Pineda de rebus Salomon lib. 5. c. 5. n. 5.

Excepto quod in excelsis immolabat. Hic vsus in locis editioribus sacrificandi Deo inualecebat paulatim, eò quòd non esset certus vnus locus designatus, sed partim in Gabaon, partim Ierosolymæ sacrificaretur: à Prophetis verò in graui necessitate pluribus etiam aliis locis, ex singulari Dei dispensatione, vt dixi Iudic. vlt. v. 4. Horum imitatione populus, ad ritus gentilium plus æquo propensior, idem sibi arrogabat hinc inde. Sed Dauid toto regni sui tempore fortiter sese huic abusui, toties in lege vetito opposuit: & filio suo Salomoni, vt sese pari modo opponeret, in mandatis reliquit: *Vnde hic dicitur ambulasse in præceptis sui patris Dauid, excepto quod in excelsis immolaret.* Et hoc est peccatum quo omnes reges Israël, & Iuda peccasse dicuntur, præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam: Eccl. 49. v. 5. Nam alij omnes, aut immolauerunt in excelsis, aut certè cum possent & deberent, non sustulerunt excelsa. Dauid verò, vt iam vidimus, non tolerauit excelsa. *Ezechias, & Iosias illa etiam dissiparunt.* Porro hanc rationem sacrificandi in excelsis displicuisse Deo, etiam in Salomone, vel inde colligitur, quod obeunti varia excelsa, & in singulis plurimas hostias immolanti nusquam apparuerit, aut fauerit de celo Deus; sed tunc solum cum in Gabaon, hoc est, in legitimo loco, legitimum obtulit sacrificium, vt hîc dicitur v. 5. *Nam in Gabaon ea tempestate erat tabernaculum Domini, &c.* 1. Par. 21. v. 29. Idcirco excelsum Gabaon vocatur hîc v. 4. *Excelsum maximum,* non tam mole, quàm dignitate. Et is proprius designatus sacrificiis locus. Vnde simulatque ibi sacrificauit Salomon, Deus id sibi gratissimum accidisse, nocturna visione, donisque nobilissimis ei collatis, testatum fecit.

Abiit itaque Salomon. Cuius causa subditur.

Illud quippe. Non magnitudine molis, sed reuerentiæ, & honoris: quia ibi erat tabernaculum, & altare holocausti, quæ fecerat Moyses, vt habetur 1. Par. 21. Arca tamen Domini erat in Ierusalem, vbi adduxerat eam Dauid, vt habetur suprà lib. 2. c. 6.

Mille hostias. Ex quo apparet effectus suæ deuotionis.

Abiit in Gabaon, Gabaon, inquit D. Hieron. de locis Heb. *vnde Gabaonita supplices venerunt ad Iesum, erat olim metropolis ciuitas, & regalis Heuæorum, ceciditque in sortem tribus Benjamin, vbi Salomon hostias immolatis diuinum meruit oraculum.*

Illud quippe erat excelsum maximum. Alibi enim fuerant, vel erant adhuc excelsa in Cariathiarim, Ramatha, Bethel, Maspha, Galgala, Gabaa Benjamin, Silo, & Hebron. Erat autem maxima huius excelsi in Gabaon religio, quia ibi adhuc stabat Moyses tabernaculum.

VARIETAS LECTIONVM à Verf. 5. ad 15.

Vulg. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dena tibi.

Pag. Vifus est Dominus.

Sept. Rom. Pete aliquam petitionem tibi.

Reg. Et dabo tibi.

Cald. Reuelatus est, &c. pete quid dabo tibi.

Vulg. Et ait Salomon: Tu fecisti cum seruo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulauit in conspectu tuo in veritate, & iustitia, & recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem, & dedisti ei filium sedentem super thronum eius, sicut est hodie.

Malu. Fecisti benignitatem grandem, ambulauit faciebus tuus in fide, & obseruasti ei benignitatem grandem.

Sept. Sicut transiuit coram te.

Vulg. Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum, & introitum meum.

Malu. Et ego excullus paruus non cognoscam exire, & venire.

Vulg. Et seruus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari, & supputari non potest pra multitudine.

Sept. Quem elegisti populum tuum qui non numeratur.

Vulg. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum, quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum?

Pag. Cor intelligens vt iudicet.

Arias. Cor audiens, &c. & ad intelligendum inter bonum.

Caiet. Populum tuum grauem hunc.

Sept. Dabis cor ad audiendum, & diiudicandum populum in iustitia.

Reg. Cor sapiens.

Vulg. Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomoni

postulasset huiuscemodi rem.

Arias. Bonum fuit verbum in oculis Domini.

Malu. Quod postulauit verbum istud.

Vulg. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium.

Pag. Sed postulasti intelligentiam ad audiendum.

Sept. Rom. Ad exaudiendum iudicium.

Vulg. Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus fit.

Arias. Vt sicut tu non fuerit ad facies tuas.

Cald. Dedi tibi cor considerans.

Vulg. Sed & haec, quae non postulasti, dedi tibi: diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus.

Malu. Etiam grauitatem.

Vulg. Si autem ambulaueris in viis meis, & custodieris praepcepta mea, & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos.

Pag. Vt custodias decreta mea.

Malu. Constituta mea.

Sept. Multiplicabo dies tuos.

Reg. Producam.

Vulg. Igitur euigilaui Salomon, & intellexit quod esset somnium; cumque venisset Ierusalem, stetit coram Arca foederis Domini, & obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas, & grande conuiuium vniuersis famulis suis.

Malu. Et experefactus fuit, & ecce somnium, & ascendere fecit ascensiones.

Sept. Fecit conuiuium magnum sibi & omnibus pueris suis.

Cald. Maetauit victimam sanctitatum.

Arab. Et oblationes perfectas.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Dabis cor docile. Alij, Audiens, sapiens, intelligens. Cor docile idem forte quod dictum, & intelligens vt respondeat sapientiae, & intelligentiae, quam lib. 2. Par. c. 1. postulasse traditur his verbis. *Da mihi intelligentiam & prudentiam, vt ingrediar, &c.* Sed transtulit noster Vulg. optimè docile Heb. *לֵב שְׂמֵחַ leb someah*, id est audiens; nam reuera principis in ea praesertim aetate, in qua tunc erat Salomon, ea summa videtur esse sapientia, atque intelligentia, si se ab aliis regi sinat in quibus propter aetatem, & iudicij maturitas est, & vsu multiplex rerum experientia comparatur. Qui enim aliorum prudentiae obsequenter se praebet, ille Dominus est illorum iudicij, atque prudentiae, quibus omnino vratur pro suis. *Populum tuum hunc multum*, Alij, *Graum*. Caiet. dixit grauem (non onerosum, sed grauitate) eò quòd ascitus esset in populum Dei, sed grauis pro multo sumitur, vt haberet n. 20. v. 20. & alibi. *Intellexit quod esset somnium*. Heb. *Et ecce somnium*, & exponunt, quod somniauerat obseruabatur ei: Quasi dicat, non est oblitus somnij, sed caepit reputare quam magna sibi à Domino in somnio promissa.

ANNOTATIONES.

LYRAN. v. 5.

Apparuit. Hic consequenter describitur, quid deuotio Salominis meruit, & primò circa hoc ostenditur Dei concessio. Secundo in effectu ostensio, ibi: *Tunc venerunt*. Circa primum dicitur. *Apparuit autem Dominus Salomoni*, propter deuotionem praedictam. Et ex hoc patet quod supra dictum est, scilicet, quod licitum erat offerre sacrificia alibi, quam vbi erat Arca: & non solùm licitum, sed etiam meritorium: licet non tantum sicut in praesentia Arcae, sicut continentia coniugalis meritoria est, minus tamen quam vidualis, & virginalis.

Per somnium nocte dicens. Quia illa hora, anima intellectiua magis disposita est ad illuminationes diuinas percipiendas: vt pote cessantibus tumultibus, & quiescentibus sensibus exterioribus, per quae distrahitur intellectus.

Postula quod. Hoc non dixit Deus tantum ex merito Salomonis, sed principaliter ex merito David, qui pro eo orauerat, & ideo Salomon in responsione sua primò fecit mentionem de patre suo, dicens.

MENOC.

Apparuit. Qua forma scriptura non expressit,

A Postula quod vis vt dena tibi. Sciebat quid velle, sed voluit ea interrogatione attentionem renouari, & affectum ad rem praesentem applicari.

Tu fecisti cum seruo. Et patet litera ex praedictis vsque ibi.

Misericordiam magnam. Regem Israëlis constitucndo.

Sicut ambulauit in conspectu tuo in veritate. Quasi dicat, cui misericordiae ipse correspondit, vt qui ambulauit in conspectu tuo in veritate, & iustitia, & recto corde coram te.

Custodisti ei misericordiam tuam grandem. Vt ex ea non decideret, vt Saül, eiusque familia.

Ego autem. Id est, procedendi modum in tanto regimine: ideo subditur.

Sum puer paruulus. Adolescens.

Egressum & introitum. Quomodo scilicet gerere me debeam, & populum gubernare.

In medio est populi, quem elegisti. Hyperbolicè est locutus: ad denotandum magnitudinem multitudinis, quam-

LYRAN.

v. 6.

MENOC.

LYRAN.

v. 7.

MENOC.

LYRAN.

v. 8.

uis esset finita, & numerabilis simpliciter.

LYRAN. *Dabis ergo seruo tuo.* Id est, illustratum à te.
 V. 9. *Quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Quasi diceret, nullus sine tua speciali illustratione.

MENOC. *Cor docile ut populum, &c.* In Hebræo est Audiens, id est, obediens Deo.

LYRAN. *Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiuscemodi rem.* Quia petitio erat ordinata ad diuinum honorem, ad propriam salutem, & ad bonum populi regimen.

MENOC. *Animas inimicorum tuorum, sed postulaſti tibi sapientiam ad discernendum iudicium.* Vltionem, & mortem inimicorum.

TIRINVS. *Quia postulaſti verbum hoc.* Salomon sæpè ante id tempus, quin & eadem illa nocte proximè ante somnum orationi intentus, immemor aliarum rerum solam sapientiam à Deo postulasse videtur. Quod cum fecisset toto animo in eam curam intento, nil mirum, si quod proximè meditabatur vigilans, idem dormienti statim occurrerit. Deus verò cum tam ampla hinc promittit Salomoni dormienti, non respondet orationi, aut electioni ipsius quam habuit, aut habuisse sibi visus est in somnis, sed quam vigilans antè habuit huic simillimam. Vnde non opus est affirmare, quod affirmant Dionysius, Lyranus, & Salmeron, Salomonem in somnis absque operatione phantasmatum, vsus fuisse libero arbitrio & meruisse (licet ex diuino priuilegio id fieri potuisse sentiant Richardus de Media villa, & S. Bonauentura:) nam ante somnum ea omnia præstiterat quæ hinc de illo commemorantur, ita Sanctus Augustinus, Sanctus Thomas, & ferè alij Doctores.

LYRAN. *Et dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit.* Hoc est intelligendum respectu regum, qui fuerunt ante eum & post: de aliis autem hominibus plures fuerunt sapientiores: sicut Adam, qui fuit creatus in plenitudine scientiæ, prout dictum fuit GENES. 3. & Moses cui Deus loquebatur, sic solet loqui homo ad amicum suum, vt habetur Exod. 33. & Sanctus Paulus cæterisque Apostoli: & Ioannes, qui scripsit Apocalypsim, qui omnes fuerunt magis illuminati, quam aliqui in veteri testamento.

ESTIVS. *Et dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum.* Constat Salomonem, etiam ante hanc reuelationem diuinam, sapientem fuisse, sic enim ait ad eum pater, capite præcedenti,

Vir autem sapiens es, ut scias, &c. Dedit igitur ei nunc Deus cor sapiens, id est donum sapientiæ; quæ factum est, vt & prior sapientia augetetur, & cor eius dilataretur ad facile percipiendum, tam experientia quam studio maiorem sapientiam. In sapientia enim Salomonem profecisse, nec solum experientia, sed etiam studio ipse testatur Eccl. 1. & 2.

MENOC. *Vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Non tamen videtur dicendus sapientior Adamo orbis terrarum magistro, & perfectionum exemplari, ad quas in hac vita homo euehi potest. Nec obstat quod de summa Salomonis sapientia vniuersim pronuntiat, sæpe enim vniuersæ propositiones in scriptura cum aliqua exceptione accipiendæ sunt. Aliqui comparari tantum putant Salomonis sapientiam cum sapientia regum Israël, quare non Adamum tantum, sed alios etiam nonnullos, Mosen verbi gratia, Prophetas, aut Apostolos sapientiores existimant. Ita Lyranus, Caietanus, Vatablus, Emanuel Sa.

TIRINVS. *Dedi tibi cor sapiens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Comparatio fit non cum solis regibus Israël (vt putant Lyranus, Vatablus, Caietanus, & Emanuel Sa) sed cum omnibus prorsus totius orbis hominibus, sed vulgari modo procreatis. Et

A sermo est de sapientia omni naturali, quæ hinc infusa fuit Salomoni: non verò de omni supernaturali. Vnde non est necessum præferre Salomonem Adamo, vel Moyſi, vel plerisque Prophetarum, aut Apostolorum: multò minùs Beatæ Virginij vel Christo Domino: ita Sancti Iustinus, Clemens Alexandrinus, S. Augustinus, Philo, Pereira, & Sanctius. Nolim tamen ad solam æconomicam, & politicam sapientiam id restringere cum Caiet. nam capite sequ. vers. 33. dicitur etiam de plantis differuisse, à Cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, & piscibus. Item Sap. 7. vers. 17. de se ipse testatur, datum sibi à Deo ut sciat dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, consummationem, medietatem temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones: naturas animalium, iras bestiarum, cogitationes hominum, virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa. Quibus verbis medicam, & Phisicam omnem scientiam, item Geometricam, Chronicam, Astronomicam, etiam coniecturalem complectitur, ita præter iam dictos etiam Abulensis & Pineda. Addunt Iosephus, S. Hieronymus, & Epiphanius, Salomonem, etiam gratiam gratis datam à Deo habuisse, quæ & exorcismis, & herbis quibusdam ac radicibus demones vnde vellet expelleret. Qua de re vide S Thomam, & Victoriam, & Deltrionem de Magia.

Diuitias, scilicet, Paral. 1. dicitur. Substantiam, & gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante, nec post similis fuerit tibi. Hoc est intelligendum istis tribus simul concurrentibus, scilicet sapientia, gloria, & diuitiis: quia aliqui fuerunt eò potentiores, & magis gloriosi, sicut Alexander Magnus, & plus Imperatores Romani, qui dominabantur tobi orbi, aliqui diuitiores sicut Octauius, & Cræsus: deficiebant tamen à Salomone in sapientia.

Longos faciam dies tuos. Id non est factum, quia peccauit.

Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quod esset somnium: &c. Id est, intellexit quid significaret, & quod esset verum. Vnde magis propriè fit visio vel reuelatio diuina, quia frequenter fit in somnis, vt patet in multis locis sacræ Scripturæ.

Stetit coram Arca fœderis Domini. Scilicet, ad orandum.

Et obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas, &c. Quia ille locus erat conuenientior ad sacrificia quam Gabao, vt dictum est, & ideo post apparitionem Domini sibi factam, ibi obtulit.

Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quod esset somnium: cumque venisset Ierusalem, stetit coram Arca fœderis Domini, & obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas, & grande conuiuium vniuersis famulis suis. Quæle fuerit hoc somnium, & vtrum in eo meruerit desiderando, & petendo sapientiam, Vide D. Thom. 1. 2. qu. 113. art. 3. ad 2. & 2. 2. qu. 156. art. 5. ad 1. vbi etiam S. Augustinum allegat. Et videtur in eò Salomon meruisse, quia dicit scriptura: *Placuit ergo sermo coram Domino.* Vnde consequitur, quod fuerit somnium extraordinarium à Deo immissum, in quo sensus quidem fuerunt ligati, non tantum impeditus vsus rationis.

Intellexit quod esset somnium: cumque venisset Ierusalem, stetit coram Arca fœderis Domini. Scilicet diuinitus immissum.

Euigilauit Salomon, & intellexit quod, seu quod nam, esset somnium, scilicet diuinitus immissum, quale subinde Prophetis, & Patriarchis immitti solet, vt Adamo, Abrahamo, Iosepho: vel etiam aliis, vt Laban, Pharaoni, Nabuchodonosori. Intellexit verò id Salomon ex ipso effectu, & fructu inde consecuto, nempe maxima sui mutatione, ex sapientia quam sibi infusam sensit: quæque instar lucis, suo splendore seipsam statim prodidit.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers.* 16. ad 28.

Vulg. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo.
Arias. Mulieres meritoria, & steterunt faciebus eius.
Cald. Tabernaria vt iudicio contenderent ante regem.
Syr. Venerunt ad litigandum.
Vulg. Quarum vna ait: Obsecro, mi Domine: Ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperim apud eam in cubiculo.
Sep. Rom. In me Domine, &c. & peperimus in domo.
Cald. Peperi cum ea in domo.
Vulg. Tertia autem die postquam ego peperim, peperit & hæc: & eramus simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus.
Vulg. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte, dormiens quippe oppressit eum.
Pag. Quia dormiebat super eum.
Vulg. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocavit in sinu suo: suum autem, qui erat mortuus, posuit in sinu meo.
Pag. Surrexit media nocte, &c. qui erat apud me, & requiescere fecit eum, &c.
Malu. Accepit filium meum de reservatione mea, &c. curare fecit eum.
Sep. Sumpsit ex vlnis meis.
Vulg. Cumque surrexisset manè vt darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram.
Malu. Ad surgere facere filium meum, &c. & intelligere me feci ad eum in mane, & ecce non fuit filius meus.
Cald. Et contemplata sum eum in mane.
Vulg. Responditque altera mulier: Non est ita vt dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. E con-

trario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege.
Pag. Et loquebantur coram rege.
Arab. Faciebus regis.
Vulg. Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus viuit, & filius tuus mortuus est. Et ista respondit. Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit.
Vulg. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege.
Vulg. Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri.
Vulg. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad regem: (commota sunt quippe viscera eius super filio suo.) Obsecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi fit, sed diuidatur.
Pag. Et interficiendo ne interficiatis eum,
Arias. Quia incaluerunt miserationes eius.
Malu. Cræmata fuerunt inuiserationes eius, etiam mihi, etiam tibi non erit, discindite.
Vulg. Respondit rex, & ait: Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc est enim mater eius.
Malu. Et mori facere, non mori facietis eum.
Sep. Et morte non mortificetis eum.
Vulg. Audiuit itaque omnis Israël iudicium quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.
Arias. Timuerunt à faciebus eius.
Sep. Quia prudentia Dei in eo ad faciendum iustificationem.
Cald. Quod sapientia Dei esset in præcordiis eius.
Arab. Quia ius cognosceret, & æquè iudicaret.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

D*Væ mulieres meretrices, Alij, Tabernaria. Vide Concord. v. 1. c. 2. Iosue. Obsecro mi Domine, Alij, In me Domine, scilicet intende. Contendebant. Ex Heb. Loquebantur, sed non simpliciter, at ingeminando ea verba. Commota sunt viscera eius. Alij, Incaluerunt miserationes eius, ex amore, scilicet erga filium. Viscera enim pro miserationibus accipit.*

ANNOTATIONES.

- LYRAN. Ψ. 16.** **T***Vnc venerunt.* Hic consequenter ostenditur impletio promissionis factæ Salomoni, & primò quantum ad sapientiam, secundò quantum ad gloriam c. 3. tertio quantum ad opulentiam c. 10. Ista tamen tria sunt ita coniuncta, quod vnum perficit aliud, & è conuerso. Idèd nunc distinctè, tunc mixtim agitur de ipsis. Primum ostenditur per verum iudicium, quæ esset mater vera, & quæ ficta, per hoc quod vbi deficiebat humana probatio, sapienter recurrit ad inclinationem naturalem, quia vera mater afficitur ad filium, & patet litera paucis exceptis.
- MENO C.** *Meretrices.* Cald. Paraphrastes habet, *mulieres tabernarias*, sed verius est fuisse meretrices. Vide dicta Ios. c. 2. n. 1. satis etiam apparet fuisse meretrices, quia nulla maritorum mentio, imò profiteretur illarum altera nullum præter eas in domo fuisse, & licet meretrices ferè concipere non soleant, tamen hoc de omnibus verum non est, sed tantum de iis, quæ passim, & multis vulgant corpora.
- LYRAN. Ψ. 20.** *Et consurgens.* Intempestum, prout est substantiuum, est quarta hora noctis, sed prout est adiectiuum, idem est quod sine tempore, simpliciter, sed quia tunc non est tempus aptum ad operandum, operatione autem, & mora
- A** tempus cognoscitur, & distinguitur, vt habetur quarto Physicorum. In fine concluditur.
Intempeste. Media nocte, vt habetur Heb. Cald. & LXX. **MENO C.** Nox idonea furtis, & maleficiis.
Tulit filium meum. Ad quod furtum non proli amore, sed inuidia fuerat excitata, doleas sociam suam eo bono frui, quo ipsa se miserè priuarat.
Filio meo. Quem scilicet meum esse putabam. **MENO C.**
Diuidite, &c. Non sunt verba præcipientis ipsam infantis sectionem (nam diuidere infantem innoxium non licebat) sed iniungentis, seu ordinantis actionem qua se veluti ad huiusmodi sectionem satellites præpararent, vt hac ratione proderetur vera infantis mater: quæ eius sectionem non sustineret, sed viuum potius integrum aduersariæ suæ cederet. **ESTIUS Ψ. 25.**
Et timuerunt. Id est, diuinitus sibi datam. **LYRAN. Ψ. 23.**
Esse in eo, &c. Ultra modum aliorum hominum, & idèd tunc magis timuerunt eum quam ante.
Timuerunt regem. Admirati sunt. Sic timor accipitur Lucæ 7. 16. cum dicitur. *Accipit omnes timor, & magnificabant Deum.*

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

Recensentur principes, & præfecti Salomonis: mensæ apparatus, gloria, splendor, opes, sapientia.



Rat autem rex Salomon regnans super omnem Israël. 2. Et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis. 3. Elihoreph, & Ahia filij Sifa scribæ: Iosaphat filius Ahilud à commentariis. 4. Banaias filius Ioiadæ super exercitum: Sadoc autem, & Abiathar sacerdotes. 5. Azarias filius Nathan, super eos qui assistebant regi: Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis. 6. Et Ahisar præpositus domus: & Adoniram filius Abda super tributa. 7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israël, qui præbebant annonam regi & domui eius: per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant. 8. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim. 9. Bendecar, in Maces, & in Salebim, & in Bethfames, & in Elon, & in Bethanan. 10. Benhesed in Aruboth: ipse erat Socho, & omnis terra Ephraim. 11. Benabinadab, cuius omnis Nephath Dor, Tapheth filiam Salomonis habebat vxorem. 12. Bana filius Ahilud regebat Thanac, & Mageddo, & vniuersam Bethsan, quæ est iuxta Sarthana subter Iezraël, à Bethsan vsque Abelmechula è regione Iecmaan. 13. Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Auothair filij Manasse in Galaad, ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta ciuitatibus magnis atque muratis, quæ habebant feras areas. 14. Ahinadab filius Addo præerat in Manaim, 15. Achimaas in Nephtali: sed & ipse habebat Basemath filiam Salomonis in coniugio. 16. Banaa filius Hufi, in Aser, & in Baloth. 17. Iosaphat filius Pharue, in Issachar. 18. Semei filius Ela, in Benjamin. 19. Gaber filius Vri, in terra Galaad, in terra Schon regis Amorrhæi, & Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra. 20. Iuda & Israël innumerabiles, sicut arena maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes. 21. Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna à flumine tertæ Philistiim vsque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, & seruentium ei cunctis diebus vitæ eius. 22. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium. 24. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, à Thaphasa vsque ad Gazan, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu. 25. Habitabatque Iuda & Israël absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. 26. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium. 27. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti: sed & necessaria mensæ regis Salomonis, cum ingenti cura præbebant in tempore suo. 28. Hordeum quoque, & paleas equorum iumentorum, deferebant in locum vbi erat rex, iuxta constitutum sibi. 29. Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris. 30. Et præcedebat sapientia Salomonis, sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, 31. & erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezraita, & Heman, & Chalcol, & Dorda, filius Mahol: & erat nominatus in vniuersis gentibus per circuitum. 32. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinque & mille. 33. Et disputauit super lignis, à cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucris, & reptilibus, & piscibus. 34. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius.

VARIETAS LECTIIONVM à Vers. 1. ad 6.

Vulg. Erat autem Salomon regnans super omnem Israël.
Vulg. Et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis.
Septuag. Rom. Azarias filius Sadoc, sed nihil aliud addunt.
Reg. autem, Sacerdos.
Cald. Et hi sunt Magnates.
Arab. Hæc sunt nomina ducum ipsius.
Vulg. Elihoreph, & Ahia filij Sifa, scribæ: Iosaphat filius Ahilud, à commentariis.
Arias. Iosaphat commonefaciens.
Malu. Filij Sife numerantes, Iehosaphat recordari faciens.
 Tom. IV.

Cald. Præpositus super monumenta.
Arab. Præses à consiliis.
Vulg. Banaias filius Ioiadæ super exercitum: Sadoc autem, & Abiathar sacerdotes.
Sept. Super virtutem.
Vulg. Azarias filius Nathad, super eos qui assistebant regi: Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis.
Pag. Super præfectos.
Malu. Stationarios, &c. sodalis regis.
Sep. Rom. Et Ornia, &c. super assistentes.
Reg. vt Vulg.
Cald. Super Antesignanos.
Vulg. Et Ahisar præpositus domus: & Adoniram filius Ab-

da super tributa.
Malu Super contributionem.
Sep. Rom. Et Achisur erat œconomus, & Eliab œconomus, & Eliab filius Saph super familiam, & Adoniram

filius Aydon super tributa.
Reg. vt Vulg.
Cald. Super conuectores tributorum.
Arab. Abisar thesaurarius regis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Azarias filius Sadoc sacerdotis, Alij, Sacerdos. Vox צהן *cohen*, vel ad Sadoc referri potest, & sic erit filius Sadoc sacerdotis, & subaudi fuit primarius, vel primus, vel ad Azariam, & sic erit Abiathar sacerdos, vt is simul cum patre suo, fungeretur officio sacerdotis summi, vt antea Abiathar cum patre suo. *Super eos qui assistebant regi*, Alij, *Stationarios, praelectos*, nempe super eos qui in stationibus, & praefidiis erant, vel erat praefectus praetorianarum cohortium, nempe Cerethæorum, & Phelethæorum: Qui habent *super praelectos*; intelligunt super illos 12. praefectos, siue sitarchos qui curatores erant annonæ regiae, de quibus vers. 16. 2. Reg. cap. 8. *Præpositus domus*. *Sep.* explicant; *œconomus domus*, sed quæ sequuntur. *Et Eliab œconomus, &c.* defunt à Compl. & Reg. nec non ab aliis. Habent similiter Ornia, sed in Compl. habetur vt & in Vulg. Azarias.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** *Y. 1.* **E**rat autem. Hic agitur de gloria, & honore Salomonis, & primo in familiis, & subiectis, secundo in ædificiis c. 5. tertio in diuitiis. c. 10. Circa primum ostenditur, primo Salomonis gloria, secundo eius sapientia, ibi: *Dedit quoque Deus sapientiam*. Circa primum ostenditur, primo Salomonis gloria in ordine famulorum; secundo in multitudine subiectorum, ibi: *Iuda, & Israël innumera-biles*. Tertio in magnitudine expensarum, ibi: *Erat autem cibus*. Circa primum describitur ordo famulorum Salomonis cum dicitur.
- MENOC.** *Regnans super omnem Israël*. A principio scilicet regni, non sicut Dauid, qui tantum post annum septimum.
- LYRAN.** *Y. 2.* **Azarias filius Sadoc**. Ex hoc videtur, quod esset scriba cum aliis duobus sequentibus. Sed hoc non videtur verum, quia in Hebræo incipit alius versus, ibi: *Elihoreph, &c.* Et ideo in Hebræo sic dicitur: *Azarias filius Sadoc*.
- MENOC.** *Hi principes quos habebat*. Viri scilicet primarij, supremos magistratus in curia gerentes.
Azarias filius Sadoc. Hic cum reliquis duobus, qui statim nominantur, scriba erat. Quod munus esset scribæ diximus 2. Reg. 8. num. 17. Salianus hunc locum interpretans, docet scribarum munere contineri scientiam rectè legendi scripturas, cum olim literis tantum consonantibus scriberentur, & per notas, & mystica compendia literarum, tum etiam easdem scripturas intelligendi, & interpretandi.
- LYRAN.** *Y. 3.* *Elihoreph & Abia, &c.* Vnus ad scribendum acta temporum, alius pro literis regis.
- MENOC.** *A commentariis*. Vide dicta 2. Reg. 8. n. 16.
- LYRAN.** *Y. 4.* *Sadoc autem, &c.* Hoc videtur esse contra illud quod dictum est c. 2. quod Salomon eiecit Abiathar à sacerdotio, dicens. *Vade in Anathoth ad agrum tuum*. Dicendum quod ipsum reuocauerat, vt ministraret in templo, & viueret de altari, non tamen ad summum sacerdotium, & hoc fuerat prædictum Heli lib. 1. c. 2. *Futurum est autem, vt quicumque remanserit de domo tua veniat, vt oretur pro eo, & sequitur. Dicat, dimitte me obsecro, &c.*
- ESTIVS.** *Sadoc & Abiathar sacerdotes*. Queritur, quomodo hic inter sacerdotes etiam Abiathar ponatur, cum Salomon cum initio regni sui c. 2. dignitate sacerdotij videatur priuasse? Quidam responderet hunc Abiathar, qui hoc loco nominatur inter sacerdotes, alium esse ab eo, qui supra c. 2. legitur repulsus à sacerdotio. Sed hoc improbabiliter dicitur, quia nemo alius verisimiliter cogitari potest, qui hoc loco cum summo sacerdote nominetur, nisi, aut ille ipse Abiathar, aut fortè filius summi sacerdotis, qui non Abiathar, sed Azarias vocatur initio huius capituli. Proinde dicendum Abiathar non fuisse submotum simpliciter iure sacerdotij (quod excedebat auctoritatem regis) sed cum propter crimen læsæ maiestatis (vt dictum est supra cap. 2.) proscriptus esset, consequenter, Sadoc summo sacerdotio solus primo functus est. At vero cum peri-
- A** culum amplius nouæ conspirationis non esset, Salomone confirmato in regno, permissum quoque esse vt Abiathar ad ministerium templi rediret, vt haberet vnde viueret, sic tamen, vt non amplius prima dignitas ei deferretur, Et tunc impleta videtur propheta illa Domini ad Heli 1. Reg. 2. qua ait; *Futurum est autem, &c.*
- Sadoc & Abiathar sacerdotes*. Sadoc solus exercebat Pontificalia ministeria, Abiathar vero sacerdos dicitur, quia etiam si eiectus esset à Pontificatu, nomen tamen & dignitatem retinebat, sicut solent Episcopi, qui Episcopatu cesserunt.
- Sadoc & Abiathar sacerdotes*.] Nempe summi. At c. 2. audiuimus deiectum Pontificatu Abiatharum, & in exilium ablegatum. Vnde patet, non hic recenferi ordinem ministrorum à solo Salomone constitutorum, sed quosdã interferi qui à patre eius Dauide designati fuerant, licet post à Salomone, à suo gradu deiecti sint: vt contingit huic Abiatharo Pontifici, & quibusdam aliis. Quidam etiam per Anacephalæosin reperitis nominibus, & ministeriis: quidam denique per prolepsin, anticipata narratione commemorantur, verbi gratia Aen-Abinadab, v. 11. dicitur, *Tapheth filiam Salomonis habuisse uxorem: & Achimaas v. 15. habuisse Basemath alteram salomonis filiam in coniugio*: Quæ non nisi multis post annis contigisse potuerunt.
- Azarias filius*. Seruendo ei in palatio, Ra. Sa. tamen dicit, quod isti assistentes erant 12. præfecti de quibus postea agitur, qui prouidebant domui Salomonis de victualibus, & aliis necessariis. Sed primum dictum melius videbatur, quia isti præfecti non assistebant regi, sed magis erant in duodecim partibus regni sui dispersi.
- Zabud filius Nathan*. Id est, magnus, & honoratus sicut dicitur supra lib. 2. c. 8. *Filius autem David sacerdotes erant*. Non enim Nathan erat de genere sacerdotali, sed nutrierat Salomonem, propter quod filios eius honorabat.
- Super eos qui assistebant regi*. Qui regi aderant vt consiliarij, Præses regij consilij.
- Sacerdotes*. Vide dicta 2. Reg. 8. 18.
- Amicus regis*. Aliqui putant esse nomen muneris alicuius. Alij significari solum existimant Zabud regi charum, & amicum fuisse. Italicè dicimus. *Fauorito del Re*.
- Et Abiasar, &c.* Quia disponebat generaliter de his, quæ pertinebant ad domum Salomonis.
- Et Adoniram, &c.* Quia secundum eius ordinationem colligebantur, & de ipsis sibi ratio reddebatur. Cætera, quæ non sunt hic exposita de istis officiis, exposita fuerunt supra lib. 2. c. 8. in fine.
- Præpositus domus*. Is nimirum qui regis familiam, regis nomine moderatur. *Sep* œconomum vocant.
- Super tributa*. Præfectus tributis exigendis, & in regium ærarium inferendis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 20.

Vulg. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israël, qui præbebant annonam regi & domui eius: per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant.

Pag. Intererat vnumquemque ex eis alere.

Caiet. Erat cura alendi.

Malu. Innouatio in anno super vnum ad vniuersitare.

Septuag. Rom. Mensem in anno, erat super vnum præbere.

Reg. Vt vnusquisque subministraret.

Cald. Duodecim antesignani præpositi.

Syr. Qui regem, domum, & exercitum eius alebant.

Arab. Singuli ex his curatoribus fungebantur suo mense.

Vulg. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim.

Sep. Rom. Ben, filius Or in monte Ephrem vnus.

Reg. Benor.

Cald. In monte domus Ephraim.

Vulg. Bendacar, in Maces, & in Salebim, & Bethfames, & in Elon, & in Bethanan.

Malu. Filius Deker in Macats.

Vulg. Benhesed in Aruboth: ipsius erat Socho, & omnis terra Epher.

Sep. Rom. Filius Hefdi.

Reg. vt Vulg.

Vulg. Benabinadab, cuius omnis Nephath Dor, Tapheth filiam Salomonis habebat vxorem.

Pag. Pag. Omnis terminus Dor.

Arias. Omne Elima.

Caiet. In tota prouincia Dor.

Sep. Rom. Filij Aminadab, vniuersa Nephtador.

Cald. Cuius erant omnes regiones Dor.

Vulg. Bana filius Ahilud regebat Thanac, & Mageddo,

& vniuersam Bethfan, quæ est iuxta Sarthana subter Iezraël, à Bethfan vsque Abelmechula è regione Iecmaan.

Malu. Et omnis Bethsean, quæ reseruatio Tfarthannah.

Cald. Vsque ad planitiem Meholah.

Vulg. Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Auothiair filij Manasse in Galaad, ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta ciuitatibus magnis atque muratis, quæ habebant feras æreas.

Pag. Filius Gheber in Ramoth, &c. æ erant villæ Iair filij Manasse, &c. vectibus æreis munitæ.

Arias. Ei funis Aargob quæ in Basan.

Malu. Et transfugitorium æris.

Sep. Galaad hæc funiculus Ergab.

Vulg. Abinadab filius Addo præerat in Manaim.

Vulg. Achimas in Nephthali, sed & ipse habebat Basemath filiam Salomonis in coniugio.

Vulg. Baana filius Hufi, in Aser, & in Baloth.

Vulg. Iosaphat filius Pharue, in Issachar.

Sep. Rom. In Issachar, & præbebant præfecti sic regi Salomon, & omnia mandata ad mensam regis vnusquisque mensam suam non mutant verbum, & ordea, & paleam equis, & curribus ferebant ad locum vbi esset rex, vnusquisque iuxta ordinem suum.

Reg. vt Vulg.

Vulg. Semei filius Ela, in Benjamin.

Vulg. Gaber filius Uri, in terra Galaad, in terra Schon regis Amorrhæi, & Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra.

Pag. Et præfectus vnus qui erat in terra.

Malu. Et statio vna.

Vulg. Iuda, & Israël innumerabiles, sicut arena maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes,

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

In Elon, & in Beth Hanan, Alij ex Heb. Et Elon Bethanan. Vnde hi nomen vnus tantum vrbes existimant, quæ exponitur quercus domus pietatis, quæ simpliciter Elon dicitur. Vulg. cum aliis duas vrbes facit Elon & Berchanan. Benadinabab, cuius omnis Naphathdor, Alij, Filius Abinadab, cuius omnis regio tractus Dor. Id est, filius Abinadab præerat omni regioni Dor. Anoth Iair, Alij, Villas, pagos Iair. Anoth enim, id est, villæ, pagi. In omni regione Argob, Alij, Funis Argob. Vide Concord. Iosue 13. v. 26. Super omnia que erant in illa terra, Alij, Præfectus, statio vna. Et sensus est, tota illa terra continebatur in fide, & officio, vnica statione, seu præsidio militari, quamuis remota, & vltra Iordanem esset.

ANNOTATIONES.

LYRAN. V. 7.

Habebat autem, &c. Hic consequenter ponitur famulorum ordinatio exterius, videlicet duodecim præfectorum in diuersis partibus regni ad præbendum necessaria domui Salomonis, per singulos menses prouidentes: & patet littera vsque ibi.

LYRAN. V. II.

Filiam Salomonis. Hoc dicitur per anticipationem, quia Salomon adhuc non habebat filiam matrimonio aptam, sed quia iste erat industrius, propter hoc Salomon dedit sibi postea filiam suam.

MENOC.

Filiam Salomonis habebat vxorem. Idem statim dicitur de Achimaas num. 15. qui alteram Salomonis filiam duxit, sed hæc anticipata narratione dicuntur à sacro historico, nam hoc tempore Salomon nobiles filias habere non

potuit.

Gaber filius. Quantum ad vnam partem: quia in alia parte præerat Bengaber, vt dictum est, & quilibet habebat cum hoc alias terras adiunctas, vt patet in littera.

Iuda & Israël, &c. Hic describitur gloria Salomonis in multitudine populi sibi subiecti, sicut describitur Prou. 14. In multitudine populi dignitas regis, &c. idè quòd dicitur: Iuda & Israël. Hyperbolicè dictum est, ad denotandum excessum, & magnitudinem multitudinis: sicut dictum est cap. præced.

Comedentes. Quia non timebant de incurfu aduersariorum propter pacem sub Salomone datam.

LYRAN. IV. 9.

LYRAN. V. 20.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 21. ad 25.

Vulg. Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna à flumine terræ Philistiim vsque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, & seruientium ei cunctis diebus vitæ eius.

Arias. Accedere faciens munus.

Vulg. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, & sexaginta cori farina.

Arias. Et panis Salomon in diem vnum.

Sept. Rom. Et hæc erant necessaria in die vna.

Reg. Et hoc prandium.

Tom. IV.

Arab. Mensa vero Salomonis, & annona victus eius.

Vulg. Decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altitium.

Pag. Præter, &c. Gallinaceos impinguatos.

Arias. A caponibus faginat.

Vatab. teste, Alij. Præter aues peregrinas.

Malu. Decem boues creati ad solum, &c. de asino fero, & electis calcatis.

Alij. Præter aues castratas,

DDd ij

Sept. Rom. Decem vituli electi, &c. oues præter capreas electas, faginas.
Reg. Et volucres electas, & agrestes.
Ioseph. Centum agnos faginas.
Cald. Decem boues fagenæ, &c. præter aues faginas.
Arab. Præter ferinas, & venaticas.
Vulg. Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, à Thaphsa vsque ad Gazan, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu.

Arias. Et ipse dominans in omni transitu fluminis, &c. & pax erat ei ex omnibus transitibus.
Sep. Rom. Quoniam erat princeps trans flumen.
Vulg. Habitabatque Iuda, & Israël absque timore vlllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.
Cald. Sedebat in confidentia, sub fructu vitis suæ, & sub ficu ficus suæ.
Arab. A limite Danis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Decem boues, *Sep. Vitulos.* Quod quamuis cum re ipsa, & delictis faciat, non tamen cum voce originali בקר *ba-kar*, quæ proprie vaccam, aut bouem significat, & distinguitur à vitulo, qui vocatur פר *par*, cum iam lasciuire incipit. *Boues pingues*, *Alij, Creati*, *Heb.* אבטים *abiisim*: Quasi dicat præsepiani, vel stabulati, quibus in stabulo, & præsep de vberiori alimento prouidetur. *Malu.* legens creati explicat, id est, obesi, conspicui. *Centum arietes*, *Sep. Oues.* Licet צין *tsion*, *Interp.* oues reddat, nimirum cum de ouibus loquatur, hoc tamen loco cum de cibo agitur, sapienter reddit arietes: quippe arietina quam ouilla multò ad cibum opportunior. *Bubalorum.* *Alij, Asinorum ferorum*, id est, syluestrium, & sunt de genere ceruorum. *Et auium atrilium.* *Alij, Præter gallinaceos impinguitos, volucres electas, &c.* *Heb.* כרבורים *barburim*, & incertum est quodnam sit genus auium: hinc varia lectio. Præstat intelligere esse aues electas, vnde *Sep. Electas*, congruit cum radice ברר *barar*, quasi geminatis duabus primis litteris, vt barbar significet nitidissimam, & delicatissimam quamcumque auem, id est pinguisissimam.

ANNOTATIONES.

- LYRAN.** **A** flumine. In Salomone enim fuit completum quod A fuerat Abrahamæ promissum Gen. 25. *Semini tuo dabo terram à flumine Ægypti, &c.*
Offerentium sibi munera. Id est, tributa.
- MENOC.** *A flumine, &c.* Sensus est; Salomon incipiendo à flumine Euphrate, & progrediendo versus Ægyptum, habebat omnia regna intermedia terræ, etiam Philistiim, vsque ad terminum Ægypti. Vide S. August. in Iosue quæst. 21. tom. 4.
- TIRINVS.** *A flumine terræ Philistiim.* Hebraicè est, à flumine, scilicet Euphrate, & terra Philistiim, quæ adiacebat mari magno, seu Mediterraneo, vsque ad terminum Ægypti.] Nempe fluuium *Rhinocoruram*, seu *Rhinocorulam*, qui & *Sibor Ægypti*, & *torrens Ægypti*, & *torrens deserti* vocari solet. Habes ergo hic tres terminos extremos terræ promissæ, vnum à parte *Australi*, fluuium *Rhinocoruram*, sicut à *Septentrionali* erat mons *Libanus*: alterum ab *Occidentali*, terram Philistinorum, seu *mare Mediterraneum*: tertium ab *Orientali*, flumen *Euphraten*. Atque ita completam hinc vides diuinam promissionem factam Abrahamæ, Gen. 15. v. 18. *Semini tuo dabo terram hanc à flumio Ægypti, vsque ad fluuium magnum Euphraten.*
- LYRAN.** **Y.** 22. *Erat autem cibus Salomonis.* Hic consequenter describitur gloria Salomonis in magnitudine expensarum: & primò quantum ad victualia, cum dicitur. *Per singulos dies.* Corus est genus mensuræ continens 30. modios, apud Hebræos tamen modius est paruus, quia Ruth portauit
- sex modios hordei, vt habetur Ruth. 3. Simila est farina tritici delicatissima, & purgatissima, de qua fiebant panes pro rege, & aliis nobilibus personis.
Cibus Salomonis. Domus scilicet, & familia Salomonis. **MENOC.**
Triginta cori simila. Cum eorum decem Ephæ, siue triginta lata, quæ & modij dicuntur, contineat, & singula lata singulis hominibus in diem vnum sufficiant, sequitur panem, qui quotidie dabatur ad annonam Salomonis duobus hominum millibus, & septingentis suffecisse. Vide Cornelij à Lapide opusculum de ponderibus, & mensuris ad finem Pentateuchi.
Et auium atrilium. Id est, impinguitarum, & dicitur ab alo alis. Cætera patent ex prædictis vsque ibi. **LYRAN.**
Pascuales. Quasi dicat, non faginati, sed quales è pascuis redeunt. **MENOC.**
Bubalorum. De bubalis, vide dicta Deut. 14. v. 5.
Et habebat. Vbi describitur magnitudo expensarum in aliis, cum dicitur. **LYRAN.**
Taphsa vsque ad Gazam. Sunt termini latitudinis regni Salomonis, sicut n. 21. positi sunt termini longitudinis. Itaque Taphsa posita fuisse videtur vltra flumen Iordanis ad Orientem. **MENOC.**
Sub vite, &c. Quasi dicat, etiam ruri liberè agebant nullum timentes hostem. **MENOC.**
A Dan vsque Bersabee. Qui vt sæpè dictum est, extremi sunt termini regni Israëliti, Dan quidem ad Septentrionem, Bersabee autem ad Austrum.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 26. ad 29.

- V**ulg. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium.
Pag. Duodecim millia equitum.
Arias. Equilium equorum ad currum.
Malu. 40. mille equorum currui eius.
Vulg. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti: sed & necessaria mensæ regis Salomonis, cum ingenti cura, præbebant in tempore suo.
Pag. Alebant, &c. & omnem qui appropinquabat ad mensam vnusquisque in mense suo, & non deficiebant in aliquo.
Malu. Vniuersitabant stationarij isti regem, &c. vir in inuouatione sua non degregare facient verbum.
- Sep. Reg.* Et sufficiebant necessaria, &c. secundum omnia mandata, &c. non mutabant verbum.
Cald. Sustentabant Antesignani hi, &c. non differebant suppetere quidquam.
Arab. Hi curatores impensam faciebant pro Salomone.
Vulg. Hordeum quoque, & paleas equorum, & iumentorum, deferebant in locum vbi erat rex, iuxta constitutum sibi.
Pag. Ad locum vbi erat vnusquisque secundum regulam suam.
Arias. Et paleam, Dromedariis secundum iudicium suum.
Malu. Et hordea, & stramen equis.
Sep. Reg. Vnusquisque per ordinem suum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Quadragesima millia praeſepia equorū. Sed in Par. 2. c. 9. v. 25. habetur quod quatuor millia ſtabula, ſeu praeſepia equorum fuerint, & vnusquisque equus ſuum ſtabulum ſeu praeſepe habuerit, vt ſolent reges ad magnificentiam ſingulos equos in ſingulis praeſepibus, ſeu ſtabulis ſeorſim, & ſeparatim ab aliis habere, vt equi curules eſſent 40000. tot quot praeſepia, vt noſter in loco Par. expreſſit: at in Par. dicuntur 4000. praeſepia ſingularia. Vide Annot. *Paleas equorum, & iumentorum*, Alij, *Mulorum, dromedariorum*. Eſt Heb. רכש *recheſch*, quod ſecundum plures, eſt animal de equo- rum numero celerrimum Alij vero aiunt eſſe agmen iumentorum, vel mulorum ad deferenda onera, & commeatu in varia loca. *Iuxta conſtitutum ſibi*, Alij, *Secundum iudicium ſuum*, Alij, *Secundum regulam ſuam*, nempe vnusquisque pro- uidebat ſecundum debiti exigentiam.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
§. 26.

Quadragesima millia. Id eſt, pro curribus trahendis, & A huiusmodi operibus faciendis. 2. Par. 9. dicitur. *Habuit quoque Salomon, &c.* Et ſecundum hoc praeſepia hinc accipiuntur loca diſtincta pro quolibet equo, in vna tamen domo, ſicut ſolet fieri in ſtabulis, vbi inter equos ponuntur aliqua diſtincta vt pote ligna, vel huiusmodi, ne percutiant ſe mutuvel mordeant, & ne vnus comedat annonam alterius. Sciendum tamen, quod 2. Par. vbi translatio noſtra habet 40. millia equorum in ſtabulis, in Hebraeo habetur: *Quatuor millia praeſepia equorum*, & ſecundum hoc eſſet dicendum, quod praeſepia hinc accipiuntur pro domibus vbi plures equi cuſtodiuntur, ita quod de 40. millibus praeſepibus hinc poſitis, quatuor millia erant pro equis regis, & famulorum ſuorum in diuerſis partibus regni ſui, & triginta ſex millia pro equis aliorum ſuorum B ſubditorum, quæ dicuntur hinc eſſe Salomonis, eo modo quo bona ſubditorum dicuntur eſſe bona principis, quia poteſt ea accipere in neceſſitate.

Et duodecim millia equeſtrium, &c. Id eſt, diſpoſitorum ad equitandum.

MENOC.

Quadragesima millia praeſepia equorum currilium. Id eſt, quadragesima millia equorum, nam 2. Par. 9. n. 25. expreſſe dicitur. *Habuit quoque Salomon quadragesima millia equorum in ſtabulis.*

Duodecim millia. Scilicet praeſepiorum equeſtrium, quod eodem modo explicandum eſt, vt ſcilicet ſint equorum duodecim millia, vt eodem loco Paralipomenon habetur vbi legimus, *equitum duodecim millia*, totidem ergo equi.

LIRI NVS

Quadragesima millia praeſepia equorum currilium.] Seu

iugalium, quia iuga ſubeunt, & currus trahunt. Cùm enim *Philistei* ſubinde *triginta millia curruum*, ad bella ſecum traherent, 1. Reg. 13. v. 5. nolebat Salomon vel illis, vel vllis qui bellum aliquando mouere poſſent, ea ex parte cedere. Deinde ad rem ruſticam, ad templi, ad tot palatiorum conſtructionem, ad ſaxa, ad ligna, ad annonam conuehendam egebat ingenti numero tum equorum, tum curruum. Ad feſtum verò, ſeu pompam regiam, ad deuehendas, pro dignitate tot reginas, tot concubinas, ſeruiebant alij currus nobiliores, quorum numerum habes 2. Paral. 1. v. 4. *Facti ſunt ei mille quadringenti currus*, qui erant cum rege in *Ierusalem*, vti, & *duodecim illa millia equorum nobiliorum*, quibus & honorarij regis, & familiares vehabantur in comitatu regis ſaltem ſolemniore. Tanto equorum numero coaceruando putant plerique peccaſſe Salomonem, cùm id diſertim veritum eſſet Deuteronomij 17. verſu 16. *Cùm fuerit conſtitutus rex, non multiplicabit ſibi equos.* Et ideo tam *Iofue*, quam *Danid* ſubneruabant quos ex hoſte naſti ſunt equos, & currus incendio debebant. Et fortaſſe ſumptus nimij, de quibus *Iſraëlitæ* mortuo iam *Salomone* apud *Roboam* conqueruntur, tertij regum duodecimo, verſu quarto, ex pabulo tot equis ſubminiſtrando, magna ex parte ortum habuerunt. Vide *Serarium*, *Pinedam*, & *Sanctium*. *Abulenſis* tamen, & nonnulli alij *Salomonem* a peccato, ſaltem grauiori, vindicare conantur, partim ob bonam intentionem qua id fecit: partim ob neceſſitatem, vt ante expoſui.

VARIETAS LECTIONVM à Verſ. 29. ad 34.

Vulg. Dedit quoque Deus ſapientiam *Salomoni*, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris.

Pag. Et intelligentiam multam.

Malu. Quæ eſt ſuper labium maris.

Cald. Dilatationem cordis.

Syr. Mentis que capacitem tanta copia.

Arab. Dedit ſapientiam, & ſagacitatem atque prudentiam, & conceſſit ei omnem intelligentiam.

Vulg. Et præcedebat ſapientia *Salomonis*, ſapientiam omnium *Orientalium & Ægyptiorum*.

Pag. Amplior fuit.

Malu. Multiplicata fuit.

Sept. Rom. Et abundauit *Salomon* valdè ſuprà prudentiam omnium antiquorum hominum, & ſuper omnes prudentes *Ægypti*.

Vulg. Et erat ſapientior cunctis hominibus: ſapientior *Ethan* *Ezrahita*, & *Heman*, & *Chalcol*, & *Dorda*, filiis *Mahol*: & erat nominatus in vniuerſis gentibus per circuitum.

Sep. Et ſapuit ſuper, &c. ſapuitque ſuper *Gathan* *Zari-*

tem.

Cald. Et fuit nomen eius celebre.

Arab. Diuulgata eſt fama illius in omnia circumiacentia regna.

Vulg. Locutus eſt quoque *Salomon* tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque & mille.

Sep. Fuerunt Cantica eius.

Arab. Scripſit 3000. *Prouerbiorum*.

Vulg. Et diſputauit ſuper lignis, à *Cedro* quæ eſt in *Libano*, vſque ad *hyſſopum* quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de iumentis, & volucris, & reptilibus, & piſcibus.

Malu. Et ſuper calcatile, & ſuper piſces.

Syr. Vſque ad ſempiternum quod egreditur.

Arab. Vſque ad herbam.

Vulg. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam *Salomonis*, & ab vniuerſis regibus terræ, qui audiebant ſapientiam eius.

Syr. Et accipiebat munera ab omnibus regibus terræ.

Arab. Conueniebant apud *Salomonem*.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Latitudinem cordis, Alij, *Dilatationem*. Quod rectè *Syr.* explicat per mentis capacitem, id eſt, mentem multarum rerum capacem. A *Cedro* vſque ad *hyſſopum*, Alij, *Vſque ad ſempiternum*. Significat à maximo ad minimum diſputaſſe. *Hyſſopus* non eſt arbuſtum, ſed herba, ideo intermedia inter herbas, frutices, & arbuſta connumeratur. Ab *vniuerſis regibus terræ*. Addit *Syr.* *Accipiebat munera*, vel ab his legati ad eum mittebantur.

- LYRAN. **D**edit quoque Deus. Hic reuertitur scriptura ad declarandum sapientiam Salomonis, dicens: *Dedit quoque Deus sapientiam*, id est, cognitionem speculabilem.
- Et prudentiam multam, &c. In agilibus.
Et latitudinem, &c. Ad magnifice expendendum.
- MENOC. *Latitudinem cordis*. Id est, capacitatem.
Quasi arenam. Quasi dicat, capiendi penè infinita.
- TIRINVS. *Et latitudinem cordis*.] Id est, *magnanimitatem*, quæ sapientia, & prudentia suggerebant ex usu, seu communi, seu proprio fore, audebat confestim in opus conferre, nullo meru, nullo scrupulo retardante. Quomodo & de Alexandro Magno scribunt historici, ipsum & dubiis enodandis sapientissimum solertissimumque fuisse, & quod semel decreuisset, strenuè statim atque constanter executioni mandasse. Et sanè absque hac dote frustra videri possit omnis, & prudentia, & solertia, & sapientia: nam cui hæc bono, si non audeat quis uti?
- LYRAN. *Et præcedebat sapientia Salomonis, &c.* Qui studebant in cursu astrorum. *Et Aegyptiorum*, qui studebant in Philosophicis, ut dicit Philosophus 1. Metaphysicæ.
- ESTIUS. *Et præcedebat sapientia Salomonis, &c.* Hoc postremum quidam referre volunt tantum ad homines illius temporis. Sed ex cap. præcedenti patet ad omnes omnino homines omnium temporum referendum esse. Dicit enim Dominus ad eum: *Dedi tibi cor sapiens & intelligens, &c.* Caterum quod sequitur: *Sapientior Ethan Ezraita, & Han, & Chalcol, & Dorda filiis Mahol*. Author libri Tradit. Hebraicarum per Ethan Abraham intelligit, per Heman Moysen, per Chalcol Ioseph, per Dorda duodecim tribus. Sed profus commentitia, & coacta est illa interpretatio. Fuerunt autem quatuor isti hic enumerati, Leuitæ, & Cantores celebres. Nam ab Ethan intitularur Psal. 88. *Misericordias Domini, &c.* Et ritualis est: *Intellectus, seu sapientia Ethan Ezraita*. Quo titulo sanè commendatur eius sapientia. De Heman quoque mentio fit 1. Par. 25. Eius autem fratres fuerunt reliqui duo hic nominari. Hos itaque celebres ratione sapientiæ, nihilominus Salomon longè dicitur superasse.
- MENOC. *Sapientiam Orientalium, & Aegyptiorum*. Quorum sapientia in astrorum cognitione in primis versabatur.
- LYRAN. *Et erat sapientior, &c.* Illius temporis, licet aliqui ante eum, & post eum fuerint sapientiores, ut dictum est cap. præcedenti.
- Sapientior Ethan Ezraita*. Id est, de villa Ezrai: iste fuit Leuita, & Cantor, & ab eo intitularur Psal. 88. qui sic incipit, *Misericordias Domini*.
- Et Heman, &c.* Iste similiter fuit Leuita, & Cantor, ut habetur 1. Par. 25. & similiter alij duo sequentes, quia fuerunt fratres eius, & fuerunt valde sapientes, quod patet de Ethan in titulo Psal. præallegati: qui talis est: *Intellectus sue sapientia Ethan Ezraita*. Et idem probabile est de aliis.
- MENOC. *Ethan Ezraita, &c.* Cum Ethan inter cantores numeretur 1. Par. 15. 19. videntur etiam alij, qui cum eo hic numerantur, cantores, & musici fuisse, ut existimat Abulensis, & Pineda. Lyranus etiam eos cantores, & Leuitas fuisse ait.
- Heman*. Heman inter principes cantorum à scriptura numeratur 1. Par. 15. 19. c. 25. 4. quo etiam c. n. 5. dicitur.
- Videns regis in sermonibus Dei*. Fuit autem etiam hic Ezrahra ut patet ex titulo Psal. 87. & 88. Reliquorum qui hic numerantur, nusquam alibi meminit scriptura.
- Sapientior Ethan Ezraita*.] Qui & Poëta, & Musicus erat præcellentissimus, ut colligitur ex 1. Par. 15. v. 19. & ex titulo Psal. 88. qui inscribitur, *Intellectus Ethan Ezraite*. Et hinc verosimile est, ut etiam ex nominibus patet, tam hunc Ethan, quàm reliquos, quibus hic Salomon præfertur, Hebræos fuisse. Et ita docet Iosephus, & communiter Interpretes dicunt fuisse nepotes Patriarchæ Iudæ, uti dixi in eius Genealogia.
- Loctus est, &c.* Non continentur omnes in libro quem habemus parabolæ Salomonis, in quo sunt tantum nongenti quindecim versus in Hebræo, nec tamen quilibet versus semper facit vnâ parabolam. Dicitur enim ille liber factus à Salomone, non quia scripserit, sed quia verba notabilia frequenter diuersis locis, & temporibus dicebat: & aliqui sibi assistentes, & audientes redigebant in scripto, & postea ex diuersis scriptis fuerunt collecta, non tamen completè, quia in talibus collectionibus multa frequenter omittuntur.
- Et fuerunt carmina, &c.* In Heb. habetur. *Quinque & mille*. Secundum enim modum loquendi Hebraicum, quando duo numeri simul iunguntur, minor communiter præponitur, nec ista carmina omnia continentur in libro, qui dicitur Canticum canticorum.
- Parabolas*. Parabola est similitudo, & comparatio. Erat autem apud Hebræos Rabbinos frequens docendi modus per similitudines, & parabolas, quorum se consuetudini Christus Dominus accommodauit. Parabola autem sermonem obscurum significat, & ænigmaticum. Quare Matth. 13. 10. querentibus discipulis. *Quare in Parabolis loqueris?* Respondit Dominus, *Quia vobis datum est nosse mysteria regni calorum, &c.*
- Carmina eius quinque & mille*. Liber odatum Salomonis, quem ediderat, inquit Varablus, complectebatur mille, & quinque odas. Sept. habent. *Quinque millia*. Sed in Hebr. & Cald. est ut in vulgata nostra editione.
- Et disputauit, &c.* Quæ est arbor maxima.
- Vsq; ad hyssopum*. Quæ est herba parua, hoc est dictum, quod perfectè de istis arboribus disputauit determinando de naturis, proprietatibus earum, maximè de illis, quæ erant necessaria, vel viles vitæ humanæ in medicinis, & consimilibus.
- Et differuit*. Maximè in quantum veniunt in usum, & utilitatem hominum. Istæ tamen determinationes vel non sunt scriptæ, vel si fuerunt scriptæ, fuerunt combusta per Nabuzardan, nec fuerunt reparata per Esdran, sicut & de pluribus aliis dicitur à Doctoribus.
- Et disputauit super lignis à Cedro, &c.* Plenius explicatur hæc amplitudo scientiæ, & sapientiæ Salomonis, Sapient. 7. Itaque vide ibi.
- Disputauit super lignis*. De seipso idem Salomon dicit Sapient. 7. 20. didicisse se *naturas animalium, &c.*
- Vsq; ad hyssopum*. De hyssopo, vide dicta Ex. c. 12. v. 22.
- Ab vniuersis regibus terre*. Qui legationibus missis quaestiones, & ænigmata proponebant, id per alios facientes quod Regina Saba per seipsam fecit, quæ vltro venit, & sapientiam Salomonis suis auribus audiuit.



CAPVT QVINTVM.
SYNOPSIS.

Hiram rex Tyri submittit Salomoni ad templum Domino construendum cafores lignorum : quorum numerus recensetur, uti & latomorum, & baiulorum, & praefectorum.



1. Misit quoque Hiram rex Tyri, seruos suos ad Salomonem : audiuit enim quodd ipsum vnixissent regem pro patre eius : quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. 2. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens : 3. Tu scis voluntatem David patris mei, & quia non potuerit aedificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminetia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius. 4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum : & non est satan, neque occurfus malus. 5. Quamobrem cogito

aedificare templum nomini Domini Dei mei, sicut loquutus est Dominus David patri meo, dicens : Filius tuus, quem dabo pro te super folium tuum, ipse aedificabit domum nomini meo. 6. Praecepit igitur ut praecidant mihi serui tui cedros de Libano, & serui mei sint cum seruis tuis : mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris : scis enim quomodo non est in populo meo vir qui nouerit ligna caedere sicut Sidonij. 7. Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, laetatus est valde, & ait : Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. 8. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens : Audiui quaecumque mandasti mihi : ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis. 9. Serui mei deponent ea de Libano ad mare : & ego componam ea in ratibus in mari, vsque ad locum quem significaueris mihi, & applicabo ea ibi, & tu tolles ea : praebebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meae. 10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius. 11. Salomon autem praebat Hiram coros tritici viginti millia, in cibum domui eius, & viginti coros purissimi olei : haec tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. 12. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut loquutus est ei : & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo foedus. 13. Elegitque rex Salomon operarios de omni Israe'l, & erat indictio triginta millia virorum. 14. Mittebatque eos in Libanum decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis : & Adoniram erat super huiusmodi indictione. 15. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte : 16. absque praepositis qui praerant singulis operibus, numero trium millium & trecentorum, praecipientium populo, & his qui faciebant opus. 17. Praecepitque rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos : 18. quos dolauerunt caementarij Salomonis, & caementarij Hiram : porro Giblij praeparauerunt ligna & lapides ad aedificandam domum.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 1. ad 7.

Vulg. Misit quoque Hiram rex Tyri, seruos suos ad Salomonem : audiuit enim quodd ipsum vnixissent regem pro patre eius : quia amicus fuerat Hiram David omni tempore.

Sept. Rom. Misit, &c. Puetos suos ad vngendum Salomonem. *Reg. ut Vulg.*

Syr. Et benedixit ei.

Vulg. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens :

Vulg. Tu scis voluntatem David patris mei, & quia non potuerit aedificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminetia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius.

Arias. Vsque dare Dominum eos sub curuitatibus pedum eius.

Malu. Quia circumgyrauerunt eos, &c. Sub volis pedum.

Sept. A facie bellorum.

Arab. Donec subegerit Dominus omnes reges sub pedibus eius.

Vulg. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitu, & non est satan, neque occurfus malus.

Pag. Non est aduersarius.

Sept. Rom. Et non est peccatum malum.

Arab. Nec qui pernicioso sese animo mihi obiecit.

Vulg. Quamobrem cogito aedificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo dicens, filius tuus quem dabo pro te super folium tuum, ipse aedificabit domum nomini meo.

Vulg. Praecepit igitur ut praecidant mihi serui tui cedros de Libano, & serui mei sint cum seruis tuis : mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi, quamcumque petieris, scis enim quomodo non sit in populo meo vir, qui nouerit ligna caedere, sicut Sydonij.

Sept. Et mercedem seruitij tui tibi dabo secundum omnia.

Vulg. Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, laetatus est valde, & ait : Benedictus Dominus Deus hodie qui dedit David filium hunc sapientissimum super populum hunc plurimum.

Arab. Qui dedit filium prudentem.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

A *Vdinit quod vnxiissent eum Regem.* Sept. Rom. *Misit pueros suos ad ungendum regem.* Ita etiam Theodoret. sed intelligendi, non quod pueri regis Hiram vnixerint Salomonem in regem, iam enim vnctus fuerat, sed vt testimonium lætitiæ suæ ipsi impenderent de vnctione sua in regem. *Neque occursus malus.* Sept. Rom. *Neque peccatum malum,* sed in aliis Codic. Græc. est *ἀπὸ τῆς ἐπιπέρας τῶν ἐξ ἡμετέρων* Mercedem autem seruorum tuorum. Sept. Rom. *Seruitū tui.* Sed Reg. habent etiam *seruorum tuorum.*

ANNOTATIONES.

LYRAN.

v. 1.

M *Misit quoque.* Hic consequenter describitur gloria, seu magnificentia Salomonis in ædificiis; Et primo describitur materiæ præparatio; secundo domorum ædificatio, c. 6. tertio templi dedicatio, c. 8. quarto ædificantium remuneratio, cap. 9. Circa primum, auxilium Hiram primo requiritur: secundo conceditur, ibi: *Cum ergo audisset.* Tertio pactum præfigitur, ibi: *Præbebisque necessaria.* Quarto numerus operariorum describitur, ibi: *Elegitque rex:* Circa primum præmittitur reuerentia facta Salomoni ab Hiram rege Tyri per nuntios ab eo missos, cum dicitur.

Misit quoque. Propter quod Salomon confidentius requisituit eius auxilium dicens.

ESTIVS

v. 2.

Misit autem Salomon ad Hiram, &c. Per id quod opera gentilium & infidelium Tyrionum templum ædificatum sit, duplex mysterium insinuat fuit. Nam primò præfiguratum est gentilem populum potissimum ædificaturum Ecclesiam Christi, cuius templum illud Salomonis typus erat. Ædificauerunt enim Ecclesiam principaliter, primum doctores & pastores Ecclesiæ, quales ex gentilibus plurimi, & ferè omnes post Apostolos extiterunt. Deinde & omnes boni fideles ex gentilibus collecti, dum bonis operibus & sancta conuersatione etiam alios inuitant & adducunt, vt se tanquam lapides viuos ædificio spirituali Ecclesiæ adiungant. Altera autem mystica significatio est, non esse contemnendum, sed in vsum pietatis vertendum à nobis, si quid in ethnicorum scriptis, vel etiam factis vtile & laudabile reperitur, vt fecerunt præstantissimi quique Ecclesiarum magistri, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Thomas Aquinas, & alij, spoliis Ægyptiorum ornantes hac ratione tabernaculum Dei.

LYRAN.

v. 3.

Tu scis. Scilicet, de ædificatione domus Dei, prout habetur supra 2. lib. cap. 7.

Et quia non potuerit. Tum quia fuit prohibitus à Deo per Nathan, vt habetur ibid. Tum quia requirebatur maxima pars in regno Israël, tempore ædificationis: tum propter magnitudinem expensarum: tum propter multitudinem operariorum, vt patebit ex sequentibus, qualis non fuit tempore Dauid, & hoc notatur, cum dicitur:

A Propter bella imminetia. Cætera patent.

Non est satan neque occursus malus. Id est, nullum habeo aduersarium, neque qui mihi hostiliter occurrat.

Non est satan. Id est, aduersarius, qui conatibus meis obsistere aut possit, aut velit. Sic suprà 2. Regum 19. v. 22. Ioabum & Abisai vocabat Dauid *sathanas*: *Quid mihi & vobis filij Sarnia? cur efficitur mihi hodie in sathan?* Id est, cur importuno studio vindictæ de maledico *Semei* sumenda, aduersamini mihi, quo minus popularium animos parcendo ignoscendoque mihi demerear?

Nomini Domini. In Domini honorem.

Qui nouerit ligna cadere sicut Sidonij. Non negat Salomon impliciter se habere in populo suo, qui norint ligna cadere, sed ea in re Sidoniis maiorem peritiam tribuit.

Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde & ait: Benedi. &c. Hic consequenter petitio Salomonis conceditur, & patet littera vsque ibi:

Benedictus Dominus Deus. 2. Paralip. 2. vers. 12. expressè additur, *Deus Israel qui fecit celum & terram.* Ergo laudat rex Gentilis verum Hebræorum Deum. Putabant enim plerique Gentiles plura esse vera Numina ac veros deos: ac proinde ita colebant singuli suos patrios deos, vt tamen etiam alienos non contemnerent. Sic Philistæi 1. Reg. 4. v. 8. de arca dicebant: *Hi sunt Di, qui percusserunt Ægyptum omni plaga. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum?* Sic Darius Medorum & Babyloniorum rex Dan. 6. v. 16. *Deus tuus, quem colis semper. ipse liberabit te.* Et Machab. c. 3. v. 3. *Seleucus Asia rex de redditibus suis præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum,* in templo Ierosolymitano necessarios. Et Athenienses etiam ignotis sibi diis aras ponebant: & Romani suo *πατρίων* templo cauebant, ne vlli vsquam deorum suos etiam Romæ cultus deesset. Pari ergo animo Tyrius rex Hiram, licet *Herculem & Astarthen* coleret, tamquam patrios deos, quia tamen in Deo quoque Hebræorum reperit aliquid eximium & veneratione dignum, voluit etiam ipsum hinc laudare ac glorificare.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 8. ad II.

V *Vulg.* Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audiui quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis.

Malu. Faciam omne beneplacitum tuum, &c. in lignis fraxinorum.

Cald. Sufficiam omnem voluntatem tuam.

Arab. Iam intellexi Epistolam tuam, & ego facturus sum quod cupis & optas, & missurus ad te ligna pinea.

Vulg. Serui mei deponent ea de Libano ad mare: & ego componam ea in ratibus in mari, vsque ad locum quem significaueris mihi: & applicabo ea ibi, & tu tolles ea: præbebisque necessaria mihi, vt detur cibus domui meæ.

Pag. Dissoluere faciam ea ibi.

Malu. Descendere facient ea ibi, & dispergam ea ibi: & tu leuabis.

Sept. Rom. Ego ponam ea rates, &c. Excutiam ea ibi.

Cald. Ego ponam ea per rates, coniciam ea ibi, & tu sup-

peditabis necessitatem meam.

Syr. Tum in rates componam illa, ibi exponam ea, &c.

Vulg. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius.

Malu. Ligna fraxinorum.

Arab. Ligna pinea.

Vulg. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia, in cibum domui eius, & viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos.

Pag. Viginti coros olei compressi.

Arias. Contusi.

Sept. Rom. Et Machir domui eius, & viginti millia Bath olei contusi.

Reg. Viginti batos olei.

Cald. In sustentationem hominibus domus eius.

Syr. Et vicies millenos coros olei expressi. Ita & Arab.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Componam ea in ratibus. Alij, Ponam ea in rates in mari, vel per rates: Vnde hi indicant non posuisse ligna in ratibus, sed ipsa ligna in rates seu rates fecisse, ac in modum ratium disposuisse: aiunt enim דוברות *doberot* esse ligna seu arbores in ordinem, & seriem colligata, vt super aquas duci possent. Et applicabo ea ibi. Alij, dissoluere faciam ea ibi, dispergam ea, nempe ligna ipsa quæ in modum ratium inconditè connexa & colligata, mari deuecta fuerunt, ibi dispergam & dissoluam. Hæc enim est vis נפח *naphas* in cibum domui eius. Sept. Rom. Machir, domui eius. Idem habet Theodot. Ac putat significare mensuram. Interpres illius habet Maclet, quod satis conuenit cum dictione Hebræa, quæ tamen non significat mensuram, sed cibum. Viginti coros purissimi olei. Sept. Rom. 2000. bath olei confusi. Ita & Thodorerus. Istud autem βέθ alij interpretati sunt βάρων, (alias βάρων) Batus autem mensura est Palæstinæ continens 70. sectarios & 4. congios. Vbi habemus viginti olei, Syr. & Arab. habent, Vicies millenos coros olei. Ita etiam in aliquibus Bibliis antiquis Gallicis, sed nimia olei copia respectu tritici, tum hæc lectio aliis aduersatur: Totidem autem coros, nempe 20000. hordei & vini dedisse 2. Paral. 2. v. 10. scribitur.

ANNOTATIONES.

In lignis cedrinis & abiegnis. Id est, de genere abietis quæ est arbor alta, & recta & leuis & odorifera, nocens animalibus venenosis, vt dicit Isidor. & scribitur abiegnis aliquando per g, aliquando sine g, communius tamen cum g, In Hebræo habetur נעצי ברשים *Baaze Berosim*, id est, in lignis abiegnis, quanquam aliqui ligna, buxæ interpretentur.

In lignis cedrinis & abiegnis.] 2. Paral. 2. v. 8. plura petit Salomon, Ligna, inquit, mitte cedrina, & arceuthina, & pinea, de Libano. Nempe Libanus, vt aromatibus, sic & arboribus varij generis abundabat. Sed præ aliis petit Salomon pinos seu abietes: arceuthos, Septuaginta vertunt iuniperos: sed omnium maximè cedros: quæ vt roboris ac proceritatis sunt eximie, & odorata materia, sic ad venustatem dignitatemque palatiorum, quæ sibi viri principes ad splendorem atque delicias construebant, aptissima atque optatissima erant. Et licet Dauid ingentem istarum cedrotum copiam, vt & marmorum, ad templi fabricam comparasset, vnde 1. Paral. 22. v. 4. dicitur, Ligna quoque cedrina non poterant aestimari, quæ Sidonij & Tyrj deportauerant ad Dauid. Quia tamen Salomon longè ampliora & magnificentiora ædificia animo iam suo designarat adicere tum templo, tum palatio suo, suarumque vxorum, quam forma sibi à parente tradita requirebat, ideo & trabibus pluribus, & aliis nouis marmoribus egiuit.

Serui mei deponent ea de Libano. Id est, de sylua sic nominata.

Et ego componam ea in ratibus. Per subditos meos, quia rex non ponebat manum ad talia.

In ratibus in mari; vsque ad locum quem significaueris

A mibi, & applicabo ea ibi. Id est, in nauibus. Dicit tamen hic Rabbi Salomon, quod rates hic dicuntur plura ligna simul iuncta, quæ per homines desuper stantes per aquam reducantur de loco ad locum. Sed licet hoc vt frequenter fiat in fluminibus, vbi per cursum aquæ portantur, & per homines desuper stantes solummodo diriguntur: sed in mari quod est procellosum, & vbi homines vadunt secundum ventorum impetum, non videtur hoc bene possibile.

B Prebebisque necessaria mibi, &c. Hic consequenter pactum & fœdus inter duos reges disponitur, videlicet de recompensatione in victualibus pro lignis & labore, & hoc est quod dixit Hiram, Prebebisque necessaria mibi: vt detur cibum domui meæ. Quod Salomon libenter concessit, vnde subditur: Salomon autem prebebat Hiram viginti millia coros tritici, &c. Et subditur de fœdere inter eos cum dicitur.

Componam ea in ratibus. Arborum truncis (inter se colligatis vt remulco trahi possint, aut etiam à nautis remis agi.

Usque ad locum quem significaueris mibi. Locus destinatus fuit portus Ioppe, secundi Paral. 2. v. 16. inde autem ad Ierusalem aliqui nouem, alij duodecim (in quibus Adrichomius) horarum iter constituunt.

Domui meæ. Scilicet, quo alantur ij, qui tibi inferuient, quod clarius habetur, 2. Paral. 10. vbi legimus. Præterea operariis, qui casuri sunt ligna, seruis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti. De coro & sato, vide dicta cap. superiori, num. 22.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 12. ad 14.

Vulg. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni sicut locutus est ei, & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus.

Malu. Et exciderunt fœdus.

Vulg. Elegit que rex operarios de omni Israël, & erat indictio triginta millia virorum.

Pag. Et ascendere fecit tributum ex omni Israël, & fuit tributum 30. millia virorum.

Malu. Contributio.

Alij. Fecit ascendere summam, &c. Et erat summa.

Sept. Rom. Retulit rex tributum, &c.

Cald. Præposuit conuectores tributorum, &c. Et fuerunt

conuectores tributorum, &c.

Vulg. Mittebatque eos in Libanum decem millia per menses singulos vicissim, ita vt duobus mensibus essent in domibus suis, & Adoniram erat super huiuscemodi indictones.

Pag. Et Adoniram erat super tributum.

Malu. Decem millia in innouatione erunt, in innouatione mutationes, innouatione erunt in Libano, duabus innouationibus in domo sua, & Adoniram super contributionem.

Cald. Super conuectores tributorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

E Legit rex operarios de omni Israël. Alij, Ascendere fecit tributum: Putant enim דד mas, sumi pro tributo pecuniæ, quæ pro præmio dabatur 30000 Virorum, sed alij, Aimo & R. D. Kimhi confutant hanc expositionem per hoc quod sequitur. Misit eos in Libanum per menses singulos, nam cum 10000. per vnum mensem laborassent in Libano, vacabant, deinde illi per duos menses succedentibus eis aliis, vnde non malè vertunt qui legunt, & ascendere fecit summam, scilicet tot virorum.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **E**T percusserunt ambo fœdus. Scilicet, amicitia & societatis.
- LYRAN. **E**t erat indictio triginta millia virorum. Mittebatque eos in Libanum. Decem millia per singulos menses vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis. Et Adoniram erat. Id est, summa triginta millia virorum, qui sic disponebantur, quod decem millia per vnum mensem operabantur in Libano, & postea alia decem millia mense secundo, & alia decem millia in tertio, & sic duobus mensibus manebant in domibus suis, ut haberent aliquam quietem, & essent cum vxoribus & familiis, propriis operibus intendentes: præter autem istos qui scindebant ligna, erant alij ad portandum onera, & cædendum lapides in montibus, & hoc est quod dicitur.
- MENOC. **E**t erat indictio triginta millia virorum. Indictio, id est,
- A ij quibus iassum, & edictum ut operarij essent. Hæc autem triginta millia erant ex Israelitis, alia verò erant ex Profelytis. Illa triginta millia tantum in Libano laborabant, reliqua etiam alibi; illa quater in anno erant in opere, ista toto anno; illa ligna tantum cædebant, ista portabant, & lapides cædebant. Vide Num. 17. Paral. 2. num. 2. & 10.
- Elegit operarios de omni Israel.*] Sed præfectos & præpositos operum, quibus incumberebat curare nequando cessaret vel frigeret opus; nam ut dicitur cap. 9. versu 22. *De filiis Israel non constituit Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum & equorum.* Vnde qui hoc c. v. 15. dicuntur onera portasse, & latomi tot millia, erant ex Profelytis omnes, ut expressè affirmat lib. 2. Par. c. 2. v. 17.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 15. ad 18.

Vulg. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte.

Pag. Cædentes ligna in monte.

Calet. Octoginta millia cæforum.

Arias. Cædentis.

Malu. Excidentis.

Sept. Lapididarum.

Vulg. Absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium & trecentorum, præcipientium populo, & his qui faciebant opus.

Pag. Præter principes qui assistebant ipsi Salomoh qui erant super opus.

Malu. De principibus stationariorum Selomoh qui super ministeriale.

Sept. Rom. Ter mille & sexcenti præfecti.

Reg. Trecenti.

Cald. Præter magistros Antesignanorum.

Vulg. Præcepitque rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.

Lyran. Lapidem ponderosos.

Pag. Proficisci fecerunt lapides, &c. lapides dolatos.

Vatab. Politos.

Malu. Vulfionis.

Cald. Et eruerent lapides, &c. lapides cæfos.

Syr. Lapidem optimos ad ornandam domum lapidibus sculptis.

Arab. Quibus tegetetur ædes, & perfecta redderetur.

Vulg. Quos dolauerunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiram: Giblii præparauerunt ligna & lapides ad ædificandum domum.

Lyran. Porro Biblij siue Guebelim.

Arias. Et dolauerunt ædificatores.

Calet. Et finitores.

Sept. Rom. Parauerunt lapides & ligna tribus annis.

Cald. Et cæciderunt Architecti, &c. & cæfores & composuerunt.

Syr. Scalpsuerunt structores, &c. atque lapidicida.

Arab. Dolauerunt latomi, &c. quique præerant dolaturæ lapidum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Septuaginta millia latomorum. Alij, *Cædentes ligna in monte.* Verbum *צאב* *chatsab* ordinariè, & propriè de excisione lapidum exerceri solet, quamuis Isai. 10. v. 15. de cæsiõne lignorum dici videatur. Haud absurdè hîc intelligitur utrumque, latomos, & cæfores lapidum & lignorum. *Número trium millium & trecentorum.* *Sep. Rom. Sexcentorum.* Idem habetur in Paralip. sic aliqui conciliant ut 300. fuerint immediatè præfecti aliis operariis: alij 300. quibus illi præfecti rationem redderent, 300. præfecti ipsis operis, quod hîc dicitur & 300. alij præfecti ipsis præfectis. Quod in Paralip. & in Sept. additur. *Lapides, pretiosos.* Alij, *Ponderosos,* tales enim conueniunt fundamentis stabilendis: *Et quadrarent eos.* Alij, *Dolatos, lapides vulfionis,* id est, inquit Malu. *Detonfos. Porro Giblij,* Lyran. *Biblij & ait:* Est nomen plurale hominum sic vocatorum à ciuitate Bibli: secundum Latinos. Legit etiam Guebelim, & ait: Est nomen plurale hominum sic dictorum à ciuitate Guebel secundum Hebr. & forsitan fuit eadem ciuitas binomia. Aliqui hanc vocem deducunt à *גבול* *gabul*, quæ Hebr. significat terminare, & putant significat dolatores, lapidicidas, quoniam ad mensuram lapides, quasi ad terminum deducunt. *Cald. Cæfores* pro Giblim dixit. *Hi præparabunt ligna & lapides.* *Sept. Rom.* habent tribus annis, sed ab aliis Codicibus hoc abest.

ANNOTATIONES.

- LYRAN. **F**uerunt itaque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, &c. Secundi Paralipomenon secundo, numerantur isti simul: & ibidem dicitur: *Et inuenti sunt centum quinquaginta millia,* & intantum ascendunt isti duo numeri simul iuncti.
- MENOC. *Qui onera portabant.* In his aurigas, & nautas intellige, & alios huius generis artifices, qui tot & tantis operibus ad finem adducendis maximè erant necessarij, ut potè sine quibus opus ab eo susceptum perfici non poterat.
- LYRAN. **A**bsque præpositis qui præerant singulis operibus. Ne fierent negligenter.
- Número trium millium, &c.* Secundi Paralipomenon 2. dicitur: *Tria autem millia & sexcentos præpositos operum*
- populi.* Dicendum, quòd hic enumerantur præpositi, qui erant super operarios immediatè, videndo qualiter operabantur, & illi fuerunt tria millia 300. Trecenti autem qui excedunt hunc numerum, non erant immediatè super operarios, sed reddebatur eis ratio ab illis, qui immediatè præerant, & exprimentur in secundo Paralipomenon, quia quod omittitur in vno loco, in alio exprimitur.
- Número trium millium & trecentorum.* In 2. Paralipomenon cap. num. 1. ait sacer textus fuisse tria millia sexcentos, ratio diuersi numeri est, quia in Paralipomenon adduntur qui præfectis præerant, ut ex Hebræis aiunt Vatablus, Sa in Paralipom. Caletanus & Dionysius in 3. Regum.

Præcepitque rex vt tollerent lapides pretiosos in fundamentum templi, &c. Hebræi dicunt, ponderosos, tales enim lapides sunt apti pro fundamento.

Pretiosos. Id est, optimos, qui proinde non exigui essent pretij.

Lapides pretiosos. Non quales annulis aut coronis includuntur: sed quales ab Architectis ad splendida & lauta ædificia adhibentur, vt Parij lapides & porphyretici, & marmora omne genus. Quam magni fuerint eiusmodi lapides colligere licet ex c. 7. huius libri vers. 10. vbi fundamenta dicuntur fuisse de lapidibus pretiosis magnis, decemseue octo cubitorum. Quam magnitudinem etiam auget Iosephus: addiditque structuram totam etiam palatij Salomonis & filix Pharaonis ex marmore candido constitisse.

Porrò Gibly. Nomen est hominum sic vocatorum à ciuitate Giblos, vt dicunt expositores nostri. In Hebræo habetur גִּבְלִים *Giblim*, & est nomen plurale hominum sic vocatorum à ciuitate Gibil, vt dicit Ra. Sa. & potest esse quòd illa ciuitas fuit binominis, & similiter gens illa, & erat de regno Hiram.

Gibly. Ex Giblo vrbe Phœnicix.

Porrò Gibly. Hi orti videntur à Gibal, de quibus Psalm. 82. vers. 8. *Gebal & Amnon, & Amalec, cum habitantibus Tyrum.* Hi ferrandi & quadrandi lapides, & dolandi ligna peritiam præ aliis habebant, ac proinde à Salomone pretio conducti sunt è Phœnicia, inquit Emanuel Sa.

MENOC.
TIRINVS

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS.

Forma & fabrica templi Salomonis.

Actum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël, ædificari cœpit domus Domino. 2. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. 3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem

templi. 4. Fecitque in templo fenestras obliquas. 5. Et ædificauit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. 6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, vt non hærent muris templi. 7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur. 8. Ostium lateris medij in pariete erat domus dextræ: & per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium. 9. Et ædificauit domum, & consummauit eam: textit quoque domum laquearibus cedrinis. 10. Et ædificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis. 11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens: 12. Domus hæc, quam ædificas, si ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea: firmabo sermonem meum tibi, quem loquutus sum ad Dauid patrem tuum. 13. Et habitabo in medio filiorum Israël, & non derelinquam populum meum Israël. 14. Igitur ædificauit Salomon domum, & consummauit eam. 15. Et ædificauit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, à pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: & textit pauimentum domus tabulis abiëgnis. 16. Ædificauitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, & à pauimento vsque ad superiora: & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. 17. Porrò quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. 18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas & iuncturas suas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, vt poneret ibi Arcam fœderis Domini. 20. Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis: & operuit illud atque vestiuit auro purissimo, sed & altare vestiuit cedro. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis. 22. Nihilque erat in templo quod non auro tegetetur: sed & totum altare oraculi textit auro. 23. Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera: id est, decem cubitos habentes, à summitate alæ vnus, vsque ad alæ alterius summitatem. 25. Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus: in mensura pari, & opus vnum erat in duobus Cherubim, 26. id est, altitudinem habebat vnus Cherub decem cubitorum, & similiter Cherub secundus. 27. Posuitque Cherubim in medio templi interioris, extendebant autem alas suas Cherubim, & tangebant ala vna parietem, & ala Cherub secundi tangebant parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se inuicem contingebant.

28. Texit quoque Cherubim auro. 29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes. 30. Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus. 31. Et in ingressu Oraculi fecit ostiola de lignis oliuarum postesque angulorum quinque. 32. Et duo ostia de lignis oliuarum: & sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species, & anaglypha valde prominentia: & texit ea auro: & operuit tam Cherubim quam palmas, & cætera, auro. 33. Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos: 34. & duo ostia de lignis abieg-nis altrinsecus: & vtrumque ostium duplex erat, & se inuicem tegens aperiebatur. 35. Et sculpsit Cherubim, & palmas, & cælaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. 36. Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. 37. Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio: 38. & in anno vndecimo, mense Bul (ipse est mensis octauus) perfecta est domus in omni opere suo: & in vniuersis vten-silibus suis: ædificauitque eam annis septem.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 1. ad 4.

Vulg. Factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël, ædificari cœpit demus domino.

Pag. Mense Aprili.

Arias. Zif.

Malu. In innouatione Zin, ipsa innouatio secunda.

Sept. Rom. Factum est in quadregesimo, & quadringentesimo anno. Reg. vt Vulg.

Vulg. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.

Malu. Triginta cubitus surrectura eius:

Arias. Statura.

Sept. Rom. Quadraginta in cubito longitudo eius, &c. & quinque & viginti in cubito altitudo illius. Reg. vt Vulg.

Arab. Profunditas autem 30. cubitorum.

Vulg. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis templi: &

habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.

Malu. Et porticus super facies basilicæ domus.

Pag. Et vestibulum erat.

Sept. Rom. Et ipsum secundum faciem templi viginti in cubito longitudo eius in latitudinem domus secundum faciem domus, & ædificauit domum, & consummauit eam.

Cald. Ante templum domus.

Syr. Ante ostium domus.

Arab. Ante latitudinem domus.

Vulg. Fecitque in templo fenestras obliquas.

Pag. Fecit domui fenestras latas extrinsecus, angustas intrinsecus.

Arias. Fenestras prospectiuas clausas.

Caiet. Respicientes clausas.

Tigur. Fenestras, lumina videlicet valuata.

Sept. Rom. Obliquè prospicientes, occultas.

Reg. Cancellatas, secretas.

Symm. Sagittarias.

Cald. Clausas forinsecus, & operiebant vœstem domus quietis capita tigni cedrini.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

IN mense Zio. Alij, Zin, Zif. Legunt Hebræi Vif, quia pro Vau vocali cum puncto Cholem legunt vau consonantem sine puncto. Idem mensis Hebr. dicitur יָאִיר Iian, ab יָאִיר Ior, id est, lux, splendor, vnde Cald. vertit, *In mense aperitionis, siue splendoris florum*, eo quod isto mense, nempe qui partim respondet Aprili, partim Maio, germina & flores se aperiant, eorumque viror & decor tunc splendescat. Factum est octogesimo. Sept. Rom. *Quadregesimo*. Sed Compl. & Reg. vt Vulg. *Sexaginta cubitos*, Sept. Rom. *Quadraginta*. Hæc in scholio leguntur, ait Nobilius, in quibusdam Exemplaribus positum est πσσαεκαόντα 40. sed in Hexaplo, & aliis accuratioribus, ἑξήκοντα 60. altitudinis autem 30. Quidam quidem habent 25. cubitos, Hexaplum, triginta, sed 2. Paralipomen. 4. vers. 4. dicitur. Porro altitudo 120. cubitorum erat. Sed respondendum quòd altitudo templi vsque ad primam contignationem, siue vsque ad primum tabulatum erat triginta cubitorum, vt hic dicitur, altitudo vero eiusdem vsque ad summam contignationem, siue ad summum tectum, siue pinnaculum, erat 120. cubitorum vt habetur in libris Paralipomen. Erat enim quasi aliud ædificium supra templum, vbi repositi fuere templi thesauri, donaria, vota, Item vetus tabernaculum Moyse, & Dauidis altare. *Porticus*, Sept. Rom. *Ælam*: ἐλάμ, inquit Theodoretus, significat vestibulum.

Fecitque in templo fenestras obliquas, Alij, *Fenestras latas extrinsecus, angustas intrinsecus* Hebr. שַׁכְּעֻפִּים אֲתוּמִים schekuphim atumim, quæ variè redduntur, sed in eundem sensum, nempe quòd fecerit fenestras introrsum latiores, extrorsum angustiores. Fortè etiam cancellis obductas ideoque obliquas, vt vertit noster: vt videlicet plus luminis admitterent, quia vt Optici, siue perspectiui dicunt, in obliquis hisce fenestris radij solares venientes forinsecus interfecant se in superficie extrema fenestræ, vbi est locus angustior, ac deinde dilatantur, & longè lateque se per domum dispergunt, vnde Symm. pro obliquis vertit *Sagittarias*, quæ scilicet lumen quasi sagittæ emittunt: sic enim lux solis in domum intrat per modum pyramidis inuersæ.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
V. I.

Factum est igitur. Descripta materiæ præparatione, hinc consequenter agitur de domorum ædificatione. Et primò ipsius domus Domini; secundo regalis palatij capite septimo. Prima in duas, quia primò ponitur in-

choationis tempus, secundo ædificij modus, ibi: *Domus autem*. Circa primum dicitur.

Factum est igitur quadringentesimo & octogesimo anno. Ita quod annus egressionis in hoc numero includitur.

In anno

In anno quarto. Scilicet regni Salomonis, & hic annus quartus non includitur in prædicto numero: quia de illo transferat tantum vnus mensis, ideo subditur.

Mense Zio ipse. Hebraicè dicitur זיו, per, u, consonans, & profertur Zif, aliàs dicitur iiar, & correspondet partim Aprili nostro, & partim Maio, sicut patet ex his quæ dixi de primo mense Hebræorum Genes. 7. & Exod. 12. ipse mensis secundus apud Hebræos.

Regni Salomon. Hoc refertur ad id quod præceditur. In anno quarto.

Ad videndum autem hunc numerum per partes, posui hic subtus in pagina præsentis tres ordines. Primus continet nomina illorum qui præfuerunt successiuè populo Israel, ab anno egressionis de Ægypto inclusiuè, vsque ad quartum annum regni Salomonis exclusiuè. Secundus continet numeros annorum quibus quilibet eorum præfuit. Tertius continet loca scripturæ vnde hoc habetur. Sciendum tamen, quod duo scilicet Iosue & Samuel, quorum tempus non exprimitur in scriptura, & ideo intelligitur inclusum in tempore sequentium.

Nota vnamquamque linearum huius figuræ integraliter esse legendam.

<i>Primus</i>	<i>Secundus</i>	<i>Tertius</i>	<i>Primus</i>	<i>Secundus</i>	<i>Tertius</i>
ordo.	ordo.	ordo.	ordo.	ordo.	ordo.
Moses	40.	Exo. 17.	Iosue	40.	Indi. 3.
Othon.	40.	Indi. 3.	Abdenag.	80.	Indi. 3.
Debora	40.	Indi. 5.	Gedeon	40.	Indi. 7.
Abimel.	3.	Indi. 9.	Thola	23.	Indi. 10.
Iair	22.	Indi. 10.	<i>Sine iudice</i>	18.	Indi. 10.
Iephte	7.	Indi. 12.	Abessan	7.	Indi. 12.
Ahialon	10.	Indi. 12.	Abdon	8.	Indi. 12.
Samson	20.	Indi. 16.	Heli	40.	1. Reg. 4.
Samuel	40.	Act. 13.	Saul.	40.	Act. 13.
Dauid	40.	3. Reg. 2.	Salomon	40.	3. Reg. 11.

<i>Rectores.</i>	<i>Numero.</i>	<i>Loca.</i>	<i>Rectores.</i>	<i>Numero.</i>	<i>Loca.</i>
<i>an-</i>		<i>scriptu-</i>	<i>an-</i>		<i>scriptu-</i>
<i>num.</i>		<i>orum.</i>	<i>num.</i>		<i>orum.</i>
<i>ra.</i>		<i>ra.</i>	<i>ra.</i>		<i>ra.</i>

A securium, ferrarum aut aliorum ferramentorum strepitus. Hæc tamen marmora ab intus nulla ex parte apparebant, sed *tabulis & laquearibus cedrinis* (& *abiegnis* hinc inde) conuectita erant vndique etiam in *fornice & pavimento*. Hæc tabulæ in parietibus & fornice non erant planæ, sed variis *calaturis extrorsum protuberantibus* (quæ hic *anaglyphæ* vocantur) ornatæ, verbi gratia, figuris *Cherubinarum, palmarum,* & *similium* rerum. Sed neque hæc tabulæ aut *calaturæ cedrinæ* vispam patebant oculis: nam *aureis vbique laminis* tegebantur, ita inflexis, molliterque inductis, vt formas subiectarum calaturarum ad viuum exprimerent. Et ne quid apparet toto templo non aureum, etiam *aureis clavis laminas affixit* tabulis, quorum *singuli appendebant siclos quinquaginta*, Quin & altare marmorcum seu mensam, cui arca & Cherubini in oraculo insitebant, vestiuit simili modo primùm tabulis *cedrinis*, deinde laminis *aureis*. Duobus Cherubinis à Moyse iuxta arcam ex solido auro positis, adiunxit Salomon duos alios longè maiores *Cherubinos ex ligno oliuarum*, sed laminis *aureis* vndique tectos. Pondus verò auri, quod in sola domo interiore, seu in Sancto sanctorum, laminis aureis contegendo absumpsit, erat 600. *talentorum*. Vnde coniecturam facere licet de domo anteriore duplo altera maiore, in qua etiam pro vno candelabro posuit *decem candelabra*, pro vna mensa *decem mensas* propositiois panum, vt docet Ribera & alij.

C Nota. Licet hæc omnia sic auxerit Salomon, nihil tamen contra diuinum præscriptum egit: nam vt olim Moyses formam tabernaculi, sic Dauid huius templi ideam à Deo acceperat, 1. Paralipomen. 28. vers. 19. *Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me*. Et huic ideæ institit Salomon. Porro de *tabulatis* tribus seu *contignationibus* circum latera templi, vbi *exedra* erant, & *pastophoria*, seu cubicula sacerdotum pro custodia templi excubantium, item receptacula vasorum templi, & thesaurorum, & vestium sacrarum, quas illic induebant, exuebant & reponabant sacerdotes: de tribus atrijs, sub dio, vno sacerdotum, in quo erat *altare holocaustorum* decem cubitis altum, & *luter* sine labrum æneum, in quo sacerdotes & victimæ lauebantur: secundo, laicorum mundorum: tertio, immundorum & Gentilium: denique de palatiis plurimis vastissimisque tria illa atria cingentibus, quæ tempore obsidionis per Titum & Vespasianum binos capiebant Iudzorum dissidentium exercitus: de infinito numero vasorum & supellectilium templi: deque aliis eò spectantibus, quorum hic nulla iam mentio, vide quos suprà dixi, Villalpend Riberam & alios. Quamquam etiam ex iis quæ de tabernaculo Moisaico dixi, & in Ezechiele de templo dicturus sum, pleraque sat intelligi possint. Hoc solum hic adiungo, templum hoc à Salomone, in monte Moria, qui & Sion dictus fuit, eodem loco constructum fuisse, in quo iam olim Isaac à parente iugalandus procubuit, Genes. 22. & recens Dauid in area Areuna, sacrificium Deo ad pestem à populo diuertendam obtulit, 2. Paralipomen. 3. vers. 1. Id figurabat, Christum, qui per templum designabatur, esse verum Isaacum, qui mortis suæ sacrificio nocentissimam animarum pestem, peccatum, à populo diuertit. Ita venerabilis Beda, Angelomus & alij.

D Domus autem. Hic consequenter describitur forma aedificij. Et quia hoc intricatè describitur, & idem pluries repetitur, & aliqua hic omittuntur quæ 2. Paralipomenon suppletur, propter quod litera difficiliter intelligitur, ideo hic aliqua ordinatè præmitto de forma templi, vt intellectus literæ facilius possit capi. Sciendum igitur quod templum erat quædam domus magna, cuius longitudo protendebatur ab oriente in occidentem, & latitudo à meridie ad aquilonem; sicut & tabernaculum quod fecit Moyses. Habebat autem hæc domus 40. cubitos in longitudine, & viginti in latitudine intra parietes, & centum & viginti in altitudine, vt habetur 2. Paralipomen. 3. & ideo erat facta ad modum turris quadratæ; cuius duo latera sibi opposita, sunt longiora in triplo duo-

EE e

LYRAN. v. 2.

MENOC.

Anno quarto. Regni scilicet Salomonis. Mense Zio. Id est, Aprili. Caldæus habet, *Splendoris florum*.

Mensis secundus. Non regni Salomonis, sed anni cuiusque. Est autem mensis secundus habita ratione festorum, siue anni sacri, non autem secundo anni profani, qui Septembri ferè inchoabatur.

TIRINVS

Accuratam templi formam, si lubet, vide apud Ariam Montanum, Franc. Riberam, & Ioannem Baptistam Villalpandum, & alios Interpretes Ezech. Proph. Hic obiter solum indicatur, quæ ex parte diuersum fuerit hoc Salomonis templum à tabernaculo Moyfis. Cùm enim tabernaculum Moyfis non haberet in longitudine nisi 30. cubitos, in latitudine 10. in altitudine 10. templum Salomonis duplicatis omnibus longum erat 60. cubitos, latum 20. altum in Sancto sanctorum etiam viginti, in Sancto verò, seu in anteriore templo triginta. Ad instar tabernaculi distinguebatur in duas partes, non solo velo, sed & muro solido, in quo duo ostia maiora, & in maioribus istis duo minora ostiola, quibus ex anteriore templo (quod Sanctum vel Sanctuarium vocatur, eratque in longitudine 40. cubitorum) ingressus patebat in interius templum, quod erat Sanctum sanctorum, seu oraculum, & longum, & latum, & altum erat 20. cubitos, hoc est perfectè quadratum. Ante ingressum Sancti porticus erat coextensa fronti templi, profunda 10. cubitos, hæc porticus instar turris attollebatur ad centum viginti cubitos. Addit Iosuephus, etiam reliquam templi structuram, impositis variis aulis, aliisque cubiculis in eandem 120. cubitorum altitudinem paulatim in arcum tendendo elatam fuisse. totum templum ex marmore erat solido, iam antè in lapidicinis quadrato, dolato: & ad mensuram debitam comparato: vnde cùm in loco templi componerentur lapides, nullus auditus est malleorum,

bus aliis sibi oppositis, propter quod hæc domus aliquando vocatur turris, prout dictum fuit Genes. 33. Tectum verò desuper erat planum, secundum modum domorum Palestinæ, & ultra planitiem ascendebat quædam clausura in circuitu, permodum propugnaculorum, ad decorem & defensionem. In altitudine verò huius domus erant tres mansiones, inferior, propè terram, quæ erat deputata ad cultum diuinum; propter quod de ista scriptura facit mentionem, in aliis autem duabus, scilicet media & suprema, custodiebantur utensilia, vestes ministrorum, & cætera prætiosa pro templo necessaria, & ideo de illis duabus parua fit mentio. Inferior autem secundum longitudinem diuidebatur in duas partes inæquales: quarum prima quæ erat à parte Orientali, & in qua erat introitus templi, habebat quadraginta cubitos in longitudine, & dicebatur domus exterior, sine sanctum, in qua erat altare incensi, & mensa propositionis, & candelabra: alia autem habebat, viginti cubitos per quadrum, & dicebatur domus interior, vel Sanctum sanctorum, siue oraculum, in qua erant Arca & Cherubim, & propitiatorium, & diuidebantur istæ duæ partes pariete intermedio, in quo erat ostium ad ingrediendum ab vna ad aliam. Parietes autem huius domus erant de lapidibus, & à parte anteriori operati tabulis cedrinis, & super tabulas illas aureis luminis: & tectum eius, vbi incipiebat mansio media, à parte inferiori erat laqueatum Gallicè lambris, tabulis cedrinis simili modo operatis laminis aureis. Pavimentum vero fuit de pulchro marmore operato desuper tabulis abiernis secundum translationem nostram. Hebræi vero dicunt quod illæ tabulæ erant de buxo, quod est lignum durum, & forte ne cito putrescerent ex humiditate terræ: & operatæ erant desuper laminis aureis: ita quod mansio inferior, templi quæ erat deputata diuino cultui, erat cooperta auro ex omni parte. Altitudo verò huius mansionis erat triginta cubitorum, vbique à pavimento vsque ad primum solarium, quod erat mansio media secundum expositores catholicos: secundum Hebræos vero domus interior quæ vocatur Sanctum sanctorum, habebat tantum viginti cubitos in altitudine vsque ad primum solarium, ita quod altitudo eius erat breuior decem cubitis altitudine domus exterioris. Exterius vero erant tria deambulatoria in circuitu templi correspondentia tribus mansionibus prædictis, quæ erant ad decorem & ad templi defensionem ad modum propugnaculorum. Hebræi vero dicunt, quod non erant deambulatoria, sed tres ordines appenditorum quæ erant domunculæ circa templum, & idem dicit Iosephus, quod erant pro habitatione ministrorum, vnde frequenter nominantur hic, & in Ezechiel. & Paralipomen. i. domus laterales secundum Hebræos propter quod non erant in parte Orientali templi: quia ibi erat porticus, & erat qualibet altitudo quinque cubitorum, ita quod inferiores erant immediatæ super terram: & sic illi tres ordines iuxta altitudinem muri ascendebant per quindecim cubitos, & in quindecim cubitis superioribus de altitudine mansionis inferioris remanentibus, erant fenestræ ad illuminationem templi, de altitudine vero Sancti sanctorum secundum hoc remanebant tantum quinque cubiti superiores pro fenestris. In introitu vero templi erat porticus viginti cubitorum longitudine secundum mensuram latitudinis templi & latitudine decem cubito. quia tantum protendebatur ante templi introitum. Ista vero domus non potest figurari in plano: sed posui hic figuram fundamenti, & per ea quæ dicta sunt, possunt alia imaginari. His præmissis accedamus ad litteram exponendam: *Domus autem, quam edificabat rex Salomon Domino, &c.* Hic describitur forma & modus ædificij,

A & primo quantum ad templum & porticum, secundo quantum ad deambulatoria & dispositionem interiorem parietum, ibi: *Et edificauit.* Tertio quantum ad distinctionem domus interioris, ibi: *Edificauitque,* quarto quantum ad introitum & atrium, ibi: *Fecitque, &c.* Circa primum describitur mensura templi & porticus, & patet litera ex prædictis vsque ibi:

Et triginta cubitos in altitudine. Hoc videtur contradicere ei quod dictum est, quod templum in altitudine habebat centum viginti cubitos. Dicendum, quod hic accipitur altitudo templi quantum ad mansionem inferiorem quæ habebat triginta cubitos à pavimento vsque ad primum solarium, vt prædictum est: & super illam mansionem erat alia media, triginta cubitorum: & sic tota altitudo templi habebat centum viginti cubitos, prout habetur secundi Paralipomen. 3. Consequenter ostendit dispositionem fenestrarum, ibi:

Domus autem quam edificabat rex Salomon Domino, ESTIVS habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. Pugna- re cum hoc loco videtur, quod 2. Paralipomen. 3. dicitur templum hoc Salomonis fuisse altitudinis centum viginti cubitorum: tum etiam altitudo ista triginta cubitorum nullo modo, vt videtur, fuisset spectabilis. Itaque quod hic dicitur de altitudine triginta cubitorum, intelligendum est, non de tota templi altitudine, pertingente videlicet vsque ad summum seu fastigium templi, sed de altitudine eius à pavimento, vsque ad primum seu infimum tabulatum, seu ambulacrum, supra quod erat aliud tabulatum similiter altitudinis triginta cubitorum, atque inde vsque ad summum ipsius templi altitudo adhuc erat sexaginta cubitorum. Et sic tota altitudo templi complectebatur centum viginti cubitos, quod 2. Paral. 3. exprimitur.

Habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine. Sermo est de vacuo templi spatio, scilicet parietibus, nam si geminum vndique murum comprehendamus, longitudinem habuit centum cubitorum, latitudinem verò ferè sexaginta. M ENOS

Triginta. Quod eodem modo de interiori templi conceptu intelligendum est, nam si crassitiem murorum comprehendas, erat quinquaginta, vt Villalpando placet Tom. 2. lib. 5. cap. 14.

Porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi, &c. Pars hæc templi etiam vestibulum dicitur. Symmachus etiam vocat propyleum, quasi dicat, quod ante portas Sancti, & Sancti sanctorum, positum est, sanctus Hieronymus hanc porticum ita describi posse putat Ezech. octauo. *Tectum atrium, quod inter templum, & altare erat.*

Fecitque in templo fenestras obliquas. Hic accipiuntur fenestræ pro aperturis muri ad recipiendum lumen, quæ erant strictiores in exteriori superficie muri: & latiores in interiori, vt lumen transiens magis diffunderetur intra domum: & sic linea transiens ab exteriori superficie ad interiorem, non veniebat directe ad angulum rectum, sed oblique ad angulum obtusum, sicut apparet in fenestris Ecclesiarum & ædificiorum quorum muri sunt spissi. L YR AN

Fecitque in templo fenestras obliquas. Pars interior templi, quæ oraculum dicitur, siue Sancta sanctorum, fenestris omnino caruit. Nec lumen aliunde, quàm ex porta recipere poterat. Vide Villalp. in cap. 41. Ezech. lib. 4. cap. 34. Pined. de reb. Salom. lib. 5. cap. 5. num. 142. Salian. anno 5. Salom. num. 42. In reliquo verò templo fenestræ erant, quas scriptura obliquas vocat, quia exterius angustiores erant, interius verò latiores. M ENOS

VARIETAS LECTIONVM *Verf. 5. & 6.*

Vulg. Et edificauit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu.

Pag. Edificauit iuxta parietem domus thalamum, &c. Et fecit thalamos per circuitum.

Arias. Fecit appendices circum.

Caiet. Edificauit, &c. Et fecit thalamos per circuitum.

Lyran. Edificauit appendicia in inferiori parte templi exteriorius.

Vatab. Fecit appendices per circuitum.

Malu. Edificauit, &c. Staturam ad parietem domus circuitu basilicæ, & loquutoria, & fecit costas circuitu.

Sept. Rom. Dedit parietem domus melathra per circuitum templo, & ipsi Dabit.

Reg. Fecit trabes per gyrum templo, & oraculo, & fecit latera.

Cald. Super parietes domus prominentium in circuitu, gyravitque parietes domus, circumcirca templum & domum propitiationum.

Syr. Peribolos edificauit circumquaque parietibus domus cinxit templum.

Arab. Cellas extruxit, tam templum, quam sanctuarium, in quo petebatur indulgentia, cinxit, &c.

Vulg. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum

tum forinsecus, vt non hærent muris templi.

Pag. Thalami inferioris, &c. quia interstitia in muro restricto, vbi capita ponerentur trabium erat domui per circuitum extra parietes domus.

Arias. Quia imminutiones dedit domui, circum foris pro non apprehendere in parietes domus.

Caiet. Latus subter, &c. quia deficientias dedit domui.

Vatab. Si quidem contractiones vel contracturas.

Malu. Statura inferior, &c. quia diminutiones dedit domui, &c. Ad nequaquam obtinere in parietibus domus.

Sept. Rom. Quoniam interuallum dedit domui, &c. Vt non hærent muris domus.

Reg. Quia distantiam dedit.

Cald. Appendicis interioris, &c. Quia proiecturam fecit in medio forinsecus ab appendicibus, vt capita tignorum quiescerent super prominentias, & non tigna transirent parietes domus.

Syr. Et infimi quidem periboli, &c. Murulos enim fecit domui,

Arab. Tum porticus fecit ædi circumquaque, & super has quoque fecit tria loca prospectui accommodata, id est, podia pensilia, vnum super aliud iuri quidem podij latitudinem fecit, &c. Fecit etiam ædi extrinsecus proiecta per ambitum, vt parietum alter alteri per tigna firmus hæreret.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Ædificauit super parietem. Alij, *Iuxta, vel circa*, quamuis dictio *על ghal* significet super, sed contextus ostendit hîc significare iuxta. Simili modo dicitur de Christo Domino, Luc. 4. Stans supra, id est iuxta illam, imperauit febris. *Tabulata.* Alij, *Appendices, &c.* Vocem singularem *עיצוי* *iatfiagh* variè reddunt interpretes, straturam, thalamum, appendicem, deambulatorium, & aiunt edificium fuisse circum parietes templi exterioris constructum, quasi stratum seu substruccionem, seu ambitum cubiculorum, seu camerarum in circuitu templi, vbi erant thalami, trichinia, lecti, dormitoria, pro ministris templi. *Et oraculi.* Alij, *Sanctuarij oraculi.* Hebræ est, דביר *debir*, significat partem anteriorem templi, in qua reposita erat arca fœderis. Dicitur est hic locus Sancta sanctorum, oraculum, adytum, loquutorium, eod quod ibi Deus loquebatur & responsa dabat. *Et fecit latera in circuitu.* Alij, *Appendicos, costas, &c.* Hebr. צלעות *tselagoth*, cum de ædificiis usurpatur, aiunt significare substruccionem, quæ lateribus ædificij adherent. Quasi structuras laterales duas. Hebræi aiunt esse ligna quæ egrediuntur seu prominent e pariete, super quæ ponuntur capita trabium.

Trabes posuit per circuitum, Alij, Diminutiones, contractiones, deficientias, &c. מרעהו *migreghoc*, hæc significat. *Et non hærent muris templi.* Alij, *Ad non apprehendere in parietibus domus.* Subaudi capita trabium, id est ne trabes hærent parietibus templi.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
5.

Et edificauit. Hîc consequenter agitur de dispositione deambulatoriorum, quæ erant circa templum, & de solaris quæ erant in templo, & de dispositione parietum interiorum, & primo de ambulatoriis, cum dicitur. *Et edificauit, &c. parietem templi.* Ad cuius intellectum sciendum, quod secundum expositores nostros ex transuerso templi transibant trabes in tribus locis, scilicet in tribus summis mansionum, ita quod trabes inferiores portabant primum solarium, & mediæ secundum, & tertiæ tectum domus, quod desuper erat planum, vt dictum est. Et trabes istæ erant ita longæ, quod transibant ultra murum exteriorius in vtroque latere templi, & super illam partem, trabium quæ prominebat exteriorius, erant tabulæ fortes protensæ secundum longitudinem templi, & super illas tabulas poterant homines deambulare, & ideo dicebantur deambulatoria: & in parte exteriori erat quædam clausura procedens in altum, ne ambulantes caderent. Et ambulatoria ista erant inæqualis latitudinis: quod dupliciter poterat fieri. Vno modo quod trabes superiores essent longiores mediis vno cubito, & similiter mediæ inferioribus sicut aliqui dicunt. Alij autem dicunt & melius vt videtur, quod quamuis trabes ea portantes essent æqualis longitudinis, tamen murus templi à parte exteriori erat restrictus vno cubito plus in secundo deambulatorio quam in primo, & similiter in tertio quam in secundo.

Tom. IV.

Ado, & sic deambulatorium primum habebat quinque cubitos latitudinis, medium vero sex, & supremum septem, secundum modum figuratum in columna interiori in margine exteriori, prout potest in plano figurari. Sciendum etiam quod ista deambulatoria vocantur in litera, tabulata & latera, & patet litera ex dictis vsque ibi.

Edificauit super parietem templi tabulata per gyrum. **MENOC.** Nomine tabulatorum, cubiculorum ordines tabulatis distinctos intelligit, nam templum gemino pariete cingebatur, & inter parietes spatium erat latitudinis quinque cubitorum, in quo spatium cubacula erant intra vtrumque parietem inclusa. Horum cubiculorum vsus erat, vt in illis reponeretur templi supellex, vel thesauri, in eaque se reciperent sacerdotes. Ab inferioribus cubiculis ad superiora per cochleam in crassitie murorum fabricatam ascendebatur, de qua vide infra num. 8.

In parietibus domus. Dicitur in parietibus, quia ad vtrumque parietem tabulatum pertinebat, illisque hinc & inde innitebatur.

Fecit latera in circuitu. Vterque templi paries, de quo diximus, ad maiorem fabricæ firmitatem, per certa interualla, lateribus siue costis (sic enim in textu Hebræico appellantur, vt etiam à Septuaginta) quas antas, siue antenas vocant Architecti, muniuit. Hæc latera siue costæ, latæ erant quatuor cubitos, & vno cubito extra murum.

E E e ij

eminebant. Ita aliqui. Veriustamen videtur hæc latera fuisse parua cubicula inter muros intercepta, de quibus numero præcedenti. Vide dicta Ezechiel. capite 41. numero 6.

LYRAN. *Trabes autem, &c.* Quia trabes, vt dictum est, transibant vltra murum exterius.

Vt non hærent muris templi. Istud non refertur ad trabes secundum istam expositionem: quia cum transirent per medium muri, necessario ei inhærebant, sed refertur ad tabulas super trabes positas, quæ sic erant positæ, quod non iungebantur muro templi immediatè: tamen illud spatium quod erat immediate inter murum & tabulas, erat ita paruum, quod homines ambulantes non possent ibi cadere, nec pes hominis intrare. Sed ad quid dimitteretur tale spatium inter tabulas, & murum, non videtur, propter quod alij dicunt & melius, vt videtur, quod hoc refertur ad cancellos deambulatoriorum impediendum casum ambulantium à parte exteriori: & sic distabant à muro templi secundum longitudinem trabis extra murum prodeuntem, vt sic deambulatoria haberent latitudinem conuenientem. Secundum vero Hebræos qui non ponunt ista deambulatoria, sed appenditia seu domunculas laterales, vt prædictum est, sic est intelligendum: quod iuxta muros templi in parte exteriori erat vnus ordo appenditorum, quorum altitudo erat. 5. cubitorum, & cum murus templi eleuaretur à terra per 5. cubitos erat restrictus à parte exteriori per vnum cubitum: & in spatio illius cubiti prominentis erant capita trarium vbi terminabatur primus ordo appenditorum quantum ad altitudinè suam: & alia capita trarium sustentabantur ab exteriori parte parietis appenditorum, & iterum eleuato muro templi 5. cubitis, murus iterum & ampliè restrictus vno cubito, vbi ponebantur capita trarium appenditorum mediorum, & eodem modo de tertiis appenditiis: & sic latitudo appenditorum mediorum erat cubitorum 6. & latitudo tertiorum septem, propter maiorem restrictionem muri & templi in ascendendo: & sic tres ordines appenditorum ascendebant iuxta murum templi per 15. cubitos vt suprascriptum est, & tectum superius erat planum, & portabatur à parte exteriori per parietem exteriorè appenditorum, sicut figuratum est in columna præcedenti. Et secundum hanc in-

attentionem Hebræorum sic exponatur litera: *Et edificauit superpa. templi.* Id est, appenditia, quæ sic nominantur, eo quod erant de tabulis vt parietes minus spatij occuparent, & dicunt super parietem templi: quia trabes tegentes primum tabulatum, & medium, & tertium, erant super vnum cubitum muri templi, vbi murus in ascendendo erat sic retractus siue restrictus, vt prædictum est. *Per circuitum tem. & ora.* Id est, exterioris domus & interioris, ita quod ista appenditia erant circa templum in tribus partibus, scilicet in duobus lateribus templi, & in parte Occidentali, vbi erat oraculum, in parte verò Orientali non erant appenditia: quia ibi erat porticus, vt dictum est. *Et fecit la.* Est replicatio eiusdem, quia illa appenditia dicuntur latera: quia erant in lateribus templi. *Tabularum quod subter erat.* Id est, appenditium quod erat immediatè super terram, erat minus medio in latitudine vno cubito, & medium superiori vno: quia retractio siue restrictio muri ampliabat medium & superius, vt prædictum est & secundum hoc trabes erant breuiores trabis medijs vno cubito, & trabes medij minores trabis superioribus vno cubito. *Trabes autem fuit in domo, &c.*

B Istæ sunt trabes de quibus dictum est immediatè, quæ erant positæ super murum templi in parte exteriori, & sic quod non intrabant murum: & hoc est quod vocatur hic, non inhærente muro: sed stabant super cubitos vbi murus erat retractatus, vt dictum est.

Tabulatum quod erat subter, &c. Tres erant istarum cellularum ordines, & superior ordo semper inferiore latior vno cubito, idque vel quia templi muri post decem cubitos semper reducuntur & in reductionibus istis (quæ eminentiæ dicuntur Ezech. 41. 6. ab alijs contractiones, siue imminutiones murorum) cellæ superædificatæ sunt, vt vult Arias, & Theodoretus, & alij.

Trabes autem, &c. Trabes quæ à muro ad murum pertinebant, quibus superponebantur tabulæ, quæ cubiculorum pauimentum faciebant.

Forinsecus. Posuit forinsecus, id est, super reductiones murorum.

Vt non hærent muris templi. Scilicet per foramina, vt fit, sed niterentur ipsa prominentia parietis.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 7. ad 10.

Vulg. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur.

Pag. Lapidè perfecto, & proficisci factò à monte.

Malu. Lapis pacificus admotio, &c. Et succisorium, & omne vas ferri.

Sept. Rom. Lapidibus ex rupe excisis illaboratis ædificata est.

Reg. Lapidibus integris.

Cald. Lapidibus perfectis ordinationis.

Syr. Perfectè elaboratis, qui deuehebantur, &c. Adeo non scalprum.

Vulg. Ostium lateris medij in pariete erat domus dextræ: & per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.

Pag. Ostium thalami medij.

Arias. Appendicis mediæ, ad humerum domus dexterum.

Caiet. Ad armum.

Malu. Ianua costæ mediæ ad scapulam, &c. Et in cochleis ascendunt super mediam, & de media ad tertios.

Sept. Rom. Quod subtus sub humero domus dextro, & cochlearis ascensus, &c. Ad tertia conclauia.

Reg. In culmen tertium.

Cald. Porta appendicis inferioris aperta erat in latere domus dextro, &c. Ab inferiori ad superiorem per viam appendicum.

Syr. Ostium periboli mediani erat in latere domus meridionali, & per cataractam ascendebant.

Arab. Medianæ porticus ianuam fecit, &c. Fecitque gra-

du ligneos, per quos ascendebatur.

Vulg. Et edificauit domum, & consummatuit eam: textit quoque domum laquearibus cedrinis.

Pag. Textit tignis excauatis instar fossarum trabibus cedrinis.

Arias. Testudinibus & ordinibus cedrinis.

Caiet. Costis cedrorum.

Tigur. Concamerauit ædem fornicis in modum ordinibus asserum cedrinorum.

Vatab. Dorhis, & ordinationibus.

Malu. Cantheriis & ordinationibus in cedris.

Alij. Posuit contignationem vnã demissiorem, & aliam per ordinatas cedros.

Sept. Rom. Laquearibus textit cedris.

Cald. Operuit trabibus cauatis & supra illas erat ordo multiplex capitum tignorum cedrinorum.

Syr. Fistulis cedrinis ferra fortis.

Arab. Laqueauit pulcherrimis asseribus pineis.

Vulg. Et edificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis.

Pag. Edificauit thalamum cum omni domo, & apprehendebat domum.

Cald. Edificauit latus iuxta domum, quinque brachiorum altitudo eius.

Malu. Edificauit straturam, & obtinuit domum in lignis, &c.

Tigur. Ambitus hærentes ædi lignis cedrinis.

Sept. Rom. Edificauit ligamenta per totam domum, & conclusit colligaturam in lignis.

Reg. Confundebat tabulata in lignis.
 Cald. Edificauit cameram vltra totam domum.
 Syr. Edificauit peribolos, &c. Connexuit trabibus ce-

drinis.
 Arab. Fecit podia circa totam ædem, confirmauit trabi-
 bus pineis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DE lapidibus dolatis, atque perfectis. Alij, De lapide proficisci facto à monte, &c. Id est, talibus lapidibus, quæ les ablati fuerunt dolati & parati è lapidicina, transferebantur ad ædificandum. *Ostium lateris medi.* Alij, *Thalami medi, appendicis media,* Vide superiorem Concord. *In medium cœnaculum.* Hebr. non est cœnaculum. *Texit quoque domum.* Alij, *Contignauit laquearibus cedrinis,* Alij, *Testudinibus, & ordinibus cedrinis, costis cedrorum, &c.* Id est, textit partem superiorem ædis trabibus leuiter incuruis & fornicatis, hoc est instar fornicis incuruatis, vel arcuatis, quæ videbantur contra pondus insurgere, & tabulis cedrinis super trabes illas dispositis. *Et operuit domum.* Alij, *Apprehendit,* pro inunxit muros.

ANNOTATIONES.

LYRAN. **Y. 7.** **D**Omus autem. Hic ponitur modus ædificationis quantum ad dolationem lapidum, quæ facta fuit in lapidicinis, & non in loco ædificationis, & ideo sequitur.

Et malleus, &c. Id est, martellus scindens cum quo sculpuntur lapides.
Non sunt audita in do. Domini cum ædi. &c. Quod est intelligendum de instrumentis ad dolationem lapidum pertinentibus, non autem de instrumentis pertinentibus ad coniunctionem, & cæmentationem lapidum. Aliqui autem dicunt, quod lapides illi incidebantur sanguine cuiusdam vermis habente ad hoc virtutem, sicut lapis adamantinus scinditur sanguine hirci, & sic non erat ibi sonitus saltem notabilis.

ESTI V S. *Et malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.* Id intelligendum est tantum de instrumentis, quæ pertinebant ad secanda aut dolanda ligna, aut lapides, quæ ferè ferrea sunt, non autem de instrumentis aliis necessariis ad coniunctionem & compositionem lignorum, trarium, & lapidum inter se. Quale opus fieri potest sine magno & notabili sono instrumentorum. Itaque industria artificum, & prudentia Salomonis commendantur, quod ad tantum opus lapides & ligna tam exactè prius alibi aptarentur, vt in ipso loco templi sine vilo fere strepitu coniungerentur & compaginantur. Mysticè significatur, quod electi in hac vita, quæ est præparatoria ad cælestem illam Dei domum, multis aduersitatibus, velut quibusdam tursionibus exercentur, vt in futura vita, in cælesti templo, ab omni pressura & aduersitate liberi summa pace & quiete perfruantur. Hinc illud in hymno Ecclesiastico. Tursionibus pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis, &c. Et rursum in Apocalypsi capite 7. & 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & non erit amplius neque clamor, &c.*

MENOC. *Malleus, & securis, &c.* In monte enim, ex quo excidebantur, ita concinnabantur, & poliebantur lapides ad normam sibi ab Architectis datam, nihil vt postea opus fuerit instrumentis in templo ad eos reliquæ fabricæ coaptandos.

LYRAN. **Y. 8.** *Ostium, &c.* Ostium quod erat in medio lateris templi. *In pariete erat domus dextra, &c.* Id est in pariete dextro templi. Et hic erat paries meridionalis qui erat dexter egressibus de templo. Iosephus tamen dicit, quod erat

A in angulo muri in parte orientali. Et per cochleam id est, ascensum tortuosum, qui Gallicè vocatur, Vits.

Ascendebant in medium cœnaculum. Et à medio in tertium, id est, in mediam mansionem templi, & superiorem.

Texit quoque domum laquearibus cedrinis. Gallicè, lambris.

Ostium lateris medi, &c. Sententiâ est templum præter portas tres, quæ erant in vestibulo, habuisse etiam aliam portam secretiorem in latere medio, siue in anteriori: *de media, quæ erat in parte dextra templi,* hoc est, in ea parte, quæ meridiem spectabat, *Caldæus, Porta,* inquit, *appendicis inferioris aperta erat in latere domus dextro, &c.*

In medium cœnaculum, &c. Ad medium tabulatum, & à medio ad tertium, quod summum erat.

Laquearibus cedrinis. Nam vt infra dicitur num. 18. **MENOC.** *Omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.* **Y. 9.**

B *Et edificauit tabulatum super omnem domum, quinque cubitis altitudinis.* Istud erat tabulatum tertium, de quo supra dictum est, & isti quinque cubiti erant in circuitu, ne homines caderent, facta ad modum propugnaculorum, quæ ascendebant in altum per quinque cubitos, exceptis locis vbi erant cancelli, seu propugnacula, vbi homines poterant se apodiare, & respicere inferius.

Tabulatum super omnem domum. Tectum fastigiatum, non planum, vt fieri solebant in Palæstina. Ita verò factū ad maiorem loci religionem, ne liceret in tecto ambulare, & versari, vt fiebat in tectis profanorum ædificiorum, ita hunc locum explicat Villalpandus in cap. 41. Ezechielis cap 23 & Sanchez in hunc locum. Salius tamen anno Salomonis quinto, num. 81. vult hoc tabulatum fuisse peribolum, quia circa summum tectum erat ad prohibendum casum, & præbendum commodum apicandi, ambulandi, aut orandi, locum. Hic peribolus etiam dicebatur pinnaculum templi, Matth 4. vt cum Saliano sentiunt Eucherius, Angelomus, Lyranus, Richardus ab ipso citati, & alij.

Operuit, &c. Scilicet suprema tecti superficies, seu planities cedrina erat.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 11. ad 15.

Vulg. Et factus est sermo Domini ad Salomonem dicens.

Cald. Et factum est verbum prophetiæ à Domino cum Salomoh.

Vulg. Domus hæc, quam ædificas, si ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea: firmabo sermonem meum tibi, quem loquutus sum ad Dauid patrem tuum.

Pag. Si ambulaueris in decretis meis, &c. Statuam verbum meum tecum.

Malu. Surgere faciam verbum meum.

Cald. Stabiliam.

Arab. Absolutum reddam regnum tuum.

Vulg. Et habitabo in medio filiorum Israel, & non derelinquam populum meum Israel.

Malu. Et scenitabo in medio.

Cald. Ponam maiestatem meam, &c. & non elongabo.

Vulg. Igitur edificauit Salomon domum, & consummauit eam.

Vulg. Et edificauit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, à pavemento domus vsque ad summitatem parietum, & vique ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: & textit pavementum domus tabulis abiegnis.

Pag. Vsque ad parietes contignationis.

Arius. Edificauit, &c. costis cedrorum.

Malu. Vsque ad parietes tecti speculabiles reddidit ligno

de domo & speculabile reddidit solum domus in costis fraxinorum.
Sept. Rom. Edificauit, &c. per ligna cedrina, &c. & vsque ad trabes laquearibus textit coniunctè lignis ab intus, & circumdedit internum domus in costis abiegnis.

Reg. Textit interiorē partē domus in abiegnis lateribus
Syr. A fundamentis eius vsque ad cælum eius, obduxit eam ligno intrinsecus.
Arab. Parietes ædis complanauit lignis pineis.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Æ *Dificauit parietes domus intrinsecus tabulatis Cedrinis.* Alij, *de costis cedrorum, &c.* Noster sensum huius versus ex Hebr. accuratè reddidit. Alij verba expressere. *Operuit lignis.* Alij, *Speculabiles fecit.* Verbum *פָּאָרַץ* *tsippab*, propriè est secundum aliquos speculabile facere, & ideo, quia hæ tabulæ cedrinæ erant tersæ, leuigatæ & positæ quasi specula in quibus se quis videre & speculari posset, ideo Malu. reddidit, speculabiles fecit.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET factus est sermo Domini ad Salomonem.* Post talem A
v. 11. consummationem domus,
MENOC. *Firmabo sermonem meum, &c.* Effectum dabo, implebo.
v. 12. *Et edificauit.* Hic describitur dispositio parietum tem-
LYRAN. pli à parte interiori: qui erant operi tabulis cedrinis vs-
v. 15.

que ad primum solarium: vt dictum est supra.
Et textit. Quod erat de pulchro marmore, vt prædictum est.
Tabulis. Hebræi dicunt, buxinis, vt prædictum est.

VARIETAS LECTIONVM. à Vers. 16. ad 18.

V *Vlg.* Edificauitque viginti cubitorum ad posteriorē partē templi tabulata cedrina, & à pauimento vsque ad superiora: & fecit interiorē domum oraculi in Sanctum sanctorum.
Pag. Edificauit ei quod erat intra oraculum, vt esset sanctitas sanctitatum.
Calet. Edificauit ei intrinsecus dauir.
Malu. Edificauit ei de domo loquutorio.
Sept. Rom. Edificauit 20. cubitos à summo muri lateris vnū à pauimento vsque ad trabes, & fecit e Dabir in sanctum, &c.
Reg. A summitate domus laterum cedrinorum.
Vulg. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.
Pag. Ipsa est templum exterius quod est ante oraculum.
Arius. Templum interius.
Calet. Ipsa templum antè.
Malu. Ipsa basilica faciebus meis.
Sept. Rom. Fuit in templum ad facies ipsius dabir.
Reg. Ipsum templum ante faciem oraculi.
Cald. Ipsa est templum quod erat contra illud oraculum.

Arab. Istam ædem interiorē fecit 20. cubitorum.
Vulg. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas & iuncturas suas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete.
Pag. Et tabulæ cedrinæ, quibus tegebatur domus intrinsecus, depictæ erant picturis instar fundæ, & cholocynthidarum, & cælaturis instar florum.
Arius. Et apertiones florum, omnia cedrus.
Figur. Porro asseres ipsi cedrini extrudebant nodos prominentulos, floresque apertos.
Malu. Et cedrus ad domum in facies fundibulario colocyntidarum.
Alij. Sculpturam pomellorum habebant, atque cælaturas florum.
Sept. Reg. Sculptit cælaturas, & extensas laminas.
Cald. Sculptit visionem ouorum, rosarum, & liliorum.
Syr. Cælata erat encarpis scutulis ac liliis.
Arab. Contabulauit eam lignis pineis & insculpsit tabulis figuras pomorum, Narcissi, ac liliorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Æ *Dificauit 20. cubitorum, &c.* Alij ex Hebr. *Aedificans 20. cubitos à lateribus templi tabulis cedrinis,* Quasi dicat, ad 20. cubitos laterum templi, tabulis cedrinis fecit diuortium quo distinguebatur oraculum à reliquo templo. *A pauimento vsque ad muros.* Hoc est transversæ tabulæ, quæ ponebantur, vtrumque murum & latus contingebant. *Et fecit interiorē domum.* Alij, *Et edificauit intra,* scilicet tabulas. *Oraculum.* Alij, *Loquutorium, Dabir.* Vide suprâ. *In Sanctum sanctorum.* Alij, *Vt esset Sanctitas sanctitatum.* Abstracta in Hebr. indicant aliquid eminentissimum & excellentissimum. *Pro foribus Oraculi,* Alij, *Ante Oraculum.* Alij, *Ad facies meas intrinsecus,* quod ad porticum refertur, non ad oraculum.

Habens tornaturas. Alij, *Depictæ erant picturis instar fundæ, &c.* Hebr. *מִקְלָגָתִי Miklagath,* significat incisuram, sculpturam, sed in modum fundæ factam. Vide Concord. vers. 9. c. 19. Exod. *Et iuncturas suas fabrefactas.* Alij, *Colocynthidarum, Cucurbitarum, &c.* Hebr. *פִּקְעֵיִם pekaghim,* significat folliculos figuræ oblongæ rotundæ in modum colocynthidis, siue oui oblongi. Ita Cald. *Et cælaturas eminentes,* Alij, *Apertiones florum:* Huiusmodi enim cælaturæ erant ad modum florum apertorum, qui foras egredi videbantur.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *Edificauitque.* Hæc est tertia pars principalis huius
v. 16. *cap.* vbi primo describitur distinctio domus interioris ab interiori per parietem medium cum dicitur: *Edificauitque, &c. posteriorē par.* Id est, ad Occidentalem partem, vbi enim erat domus interior, & secundum Hebræos habebat tantum 20. cubitos à pauimento vsque ad primum solarium, itaque erat breuior in altitudine 10. cubitis, secundum vero doctores catholicos, altitudo vtriusque domus erat æqualis vsque ad solarium, sed 20. cubiti, qui hîc describuntur, erant mensuram parietis diuidentis domum interiorē ab exteriori, qui as-

pendebat in altum 20. cubitos tantum: & 10. cubiti remanebant aperti inter parietem istum & solarium: vt fumus ascendens de altari incensi, quod erat in domo exteriori iuxta hunc parietem, transfret intra domum interiorē per aperturam illam.

Edificauitque viginti cubitorum. Spatium scilicet viginti cubitorum edificauit, & ornauit tabulis cedrinis vt esset oraculum siue Sancta sanctorum. **MENOC.**

Posteriorē partē templi. Nam Sancta sanctorum erat interior, & extrema pars templi occidentem versus.

LYRAN. Porro. Id est, domus exterior : quæ vocatur templum, A 6as.
 17. eo quod tenebat duas partes longitudinis templi.
 MENOC. Pro foribus. Quia domus exterior erat immediatè iuxta
 ostium domus interioris.
 Ipsam templum. Ea pars templi, quæ inter vestibulum,
 & Sancta sanctorum.
 LYRAN. Et cedro omnis. In parietibus, & tecto: vt frequenter
 18. iam dictum est.
 Habens tornaturas. Id est, subtiliter, & artificiosè fa-

Et celaturas eminentes. Quia imagines Cherubim, &
 palmarum variarum picturatarum, erant sculptæ in tabu-
 lis illis, vt habetur infra. Et laminæ aureæ desuper posi-
 tæ erant sic factæ, vt apparentur illis sculpturis.
 Et cedro omnis domus, &c. Hic locus apud Vatablum ita MENOC.
 vertitur. Porro assères isti cedrini, qui erant intus in ædes ex-
 trudebant nodos prominulos, &c.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 19. ad 22.

Vulg. Oraculum autem in medio domus, in interiori
 parte fecerat, vt poneret ibi Arcam fœderis Do-
 mini.
 Pag. Parare fecit.
 Malu. Et loquutorium in domo domus de in facies appa-
 ruit.
 Sep. Ad dandam ibi Arcam testamenti.
 Cald. Intrinsecus composuit.
 Vulg. Porro oraculum habebat 20. cubitos longitudinis,
 & 20. cubitos latitudinis, & 20. cubitos altitudinis: &
 operuit illud atque vestiuit auro purissimo: sed & altare
 vestiuit Cedro.
 Arias. Operuit auro concluso.
 Lyran. Auro sagiorum.
 Caiet. Et in faciebus debir viginti cubitorum longitu-
 do.
 Malu. Et speculabile reddit illud auro clauso, & specula-
 bile reddit altare Cedro.
 Sept. Rom. Et fuit altare ad faciem dabit, & circumdedit,
 &c.
 Cald. Ante domum oraculi, &c. obduxit auro bono.
 Syr. Frontis Sanctuarij longitudo erat 40. cubitorum. Ita
 & Arab. Altare contabulauit asseribus operibus.
 Vulg. Domum quoque ante oraculum operuit auro purif-

simo, & affixit laminas clauis aureis.
 Pag. Textit domum intrinsecus, &c. & clausit pessulis au-
 reis parietem qui erat ante oraculum, & textit illud au-
 ro.
 Arias. Textit auro concluso, & vestiuit catenis auri ad fa-
 cies tabernaculi.
 Caiet. Transiuit in catenis auri quod ante debir.
 Malu. Et speculabilem reddidit Selomoh denuo, dein fa-
 cies auro clauso, transire fecit in clausulis auri faciebus
 loquutorij
 Sep. Rom. Totam domum operuit auro vsque ad consum-
 mationem vniuersæ domus.
 Cald. Donec tota domus perficeretur, totumque altare,
 quod erat in oraculo textit auro.
 Arab. Deinde posuit Salomon in interiori parte domus
 super parietes laminas optimi auri, & ianua domus San-
 ctuarij fecit laminas, easque obduxit auro obrizo.
 Vulg. Nihilque erat in templo, quod non auro tegere-
 tur: sed & totum altare oraculi textit auro.
 Pag. Et omnem domum operuit auro, donec perficeretur
 tota domus, & totum altare, quod erat in pariete ex-
 teriori oraculi, &c.
 Arias. Et totum altare quod oraculo textit.
 Malu. Et omnem domum speculabilem reddit auro.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Viginti cubitos altitudinis. Syr. & Sep. 40. cubiti altitudinis. Scio Hebræos aliquos existimare adytum, siue da-
 bir eiusdem altitudinis fuisse cum æde, nempe 30. cubitorum, supra vers. 2. hîc autem intelligit de ea parte al-
 titudinis, quæ obducta erat tantummodo auro, nam 20. cubiti tecti erant tantum auro, Alij decem erant,
 (forfan inferiores, & Arcæ propinquiores) tecti auro, & lapidibus prætiosis, sed vnde hoc sciuerunt, sicut Syr. & A-
 rab. quod habuerit 40. cubitos altitudinis? Auro purissimo, Alij, clauso, quod sic dictum volunt: quasi igni traditum,
 & conclusum ad purgandum, id est purgatissimum, vel quod ob bonitatem, & præstantiam soleat claudi. Et affixit la-
 minas clauis aureis, Alij, Clausis pessulis aureis parietem, vestiuit catenis auri. רתיקות rathikot significat clausuras, clau-
 stra, vincula, ligamenta, catenas, funes, vectes, pessulos, repagula. Nota quod cum superius dictum sit, malleum, secu-
 rim, & ferrum non esse audita in templo, & tamen hîc dicitur quod affixit laminas clauis aureis, quod sine malleo, &
 sonitu vix fieri potest sic debes intelligere quod hoc non debet intelligi de clauis, qui cum plurimi essent, debebant
 malleo affigi, nisi velis dicere vertiles clauos illos fuisse, & vertilia foramina quibus inferendi erant in sola eorum gyra-
 tione, sine malleatione suis locis infingerentur. Lyran. habens, vestiuit auro sagur, dicit sagur esse nomen loci in quo est
 aurum purissimum.

ANNOTATIONES.

LYRAN. IN interiori parte fecerat, &c. Dicitur autem interior B
 19. pars, quæ erat remotior ab ingressu templi.
 MENOC. In medio domus. Id est, intra domum, vt statim expli-
 catur.
 LYRAN. Et viginti cubitos. In hoc differunt Hebræi à nostris Do-
 20. ctotibus, dicunt enim quod tota altitudo oraculi vsque
 ad solarium, erat 20. cubiti tantum. Nostri vero dicunt
 quod isti 20. cubiti erant altitudo parietis diuidentis ora-
 culum, à domo exteriori, & 20. cubiti desuper remane-
 bant aperti, vt supra dictum est.
 Sed & altare vestiuit Cedro. Id est, tabulis cedrinis, &
 loquitur de altari incensi, quod erat intra tabernaculum,
 & erat interius de lapide, & tectum desuper cedro, &
 super cedro laminis aureis opertum, secundum quod po-
 stea dicitur.

Altare vestiuit. Thymiamatis, quod erat ante Sancta MENOC.
 sanctorum.
 Operuit auro purissimo. Ne quis tamen putaret inau- MENOC.
 rasse tantum, addit laminas aureas clauis aureis, ad cedri- V. 21.
 nas tabulas fuisse confixas.
 Sed & totum, &c. Et dicitur altare oraculi, non quia LYRAN.
 esset intra oraculum quod dicitur Sanctum sanctorum, V. 22.
 sed extra in domo anteriori: sicut declaratum fuit plenius.
 Exod. 30. Sed pro tanto dicitur altare oraculi: quia fumus
 inde ascendens intrabat oraculum per aperturam, quæ
 erat super parietem diuidentem oraculum, & domum ex-
 teriorem, vt prædictum est.
 Altare oraculi. Althare thymiamatis, quod dicitur al- MENOC.
 tare oraculi, quia erat non intra ipsum oraculum, sed an-
 te.

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 23. ad 29.*

Vulg. Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis.

Pag. De lignis pineis.

Malu. Fecit in loquutorio, &c. ligna olei decem cubiti surrectura eius.

Sep. Rom. Magnitudo mensurata.

Syr. Fecit in Sanctuario duos, &c. ligneos mensuræ.

Vulg. Quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera; id est, decem cubitos habentes, à summitate alæ vnius, vsque ad alæ alterius summitatem.

Pag. A summitatibus alæ vnius.

Malu. De extremitatibus.

Sep. Decem à parte alæ eius, vsque ad partem alæ eius.

Cald. Ala Cherub vnius.

Vulg. Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus: in mensura pari, & opus vnum erat in duobus Cherubim.

Pag. Mensura eadem, & incisio eadem.

Sep. In mensura vna, consummatio vna vtrisque.

Syr. Eadem statuta vtriusque.

Vulg. Id est, altitudinem habebat vnus Cherub decem cubitorum, & similiter Cherub secundus.

Malu. Surrectura Cherubi vnius, decem in cubito.

Vulg. Posuitque Cherubim in medio templi interioris; extendebant autem alas suas Cherubim, & tangebant

ala vna parietem, & ala Cherub secundi tangebant parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se inuicem contingebant.

Malu. In medio domus anterioris.

Sep. Et alæ eorum in medio domus tangebant ala alam.

Vulg. Texit quoque Cherubim auro.

Malu. Speculabiles reddidit auro.

Vulg. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.

Pag. Texit picturis instar fundarum, &c. & cælaturis florum intrinsecus, & extrinsecus.

Arias. Parietes domus circumducens effigiauit apertiones cælaturarum Cherubim, &c. & emissiones florum.

Caiet. Cælauit apertionibus gemmarum.

Malu. Fundibulauit apertionibus fundibulationum.

Sep. Rom. Omnes parietes domus in circuitu cælatos scripsit scriptura Cherubim, & palmas interiore, & exteriore.

Reg. Sculpsit in stylo Cherubim, & palmas.

Cald. Ambiuat figuris, & sculpsit, &c. funiculis liliorum.

Syr. Cinxit encarpis, cælauit scutulibus.

Arab. Sculpsit figuras pomorum eisdem cælauit figuris pomorum auratorum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

DE ligno oliuarum, Alij, De lignis pineis. Sed omnes alij habent vt *Vulg.* Aliqui Codices Græci legunt, *Ex lignis cupressinis. Vnum erat opus, Alij, Eadem incisio,* eodem modo, & eadem mensura facti. *Sculpsit variis cælaturis, Alij, Instar fundarum.* Vide superius. Et torno, addidit, id est tornatura, siue opere tornatili, quo per tornum res in figuram orbicularem tornantur, & rotundantur: sub torno tamen quamuis cælaturam, & sculptram accipe, vnde *Vatab.* vertit. *Calaturis, & sculpturis:* Tornus enim idem est quod scalprum, instrumentum quo res cælantur, & sculpsuntur: *Et picturas varias, Alij, Apertiones florum,* *Cald.* vocat illos flores lilia: *Quasi prominentes de pariete, & egredientes, Alij, Intrinsecus, & extrinsecus.* Id est, tam intus in adyto, quam extra in exteriori templi parte.

ANNOTATIONES.

LYRAN.
v. 23.

ET fecit in oraculo. Hic consequenter agitur de duobus Cherubim existentibus intra oraculum, & altitudo cuiuscumque erat decem cubiti: & singulæ alæ quinq; cubiti: & sic erant positi in oraculo, quod ala vnius protensa tangebant parietem Meridionalem oraculi, & alia ala attingebat ad medium oraculi, & ala alterius similiter protensa tangebant parietem Aquilonarem, & altera ala protensa in medium oraculi, tangebant extremitatem alæ alterius, & sic protensio alarum erat secundum totam latitudinem oraculi. Inter istos autem duos Cherubim sub alis eorum erat Arca testamenti, & duo Cherubim quos fecerat Moyses: & benè poterat ibi capi cum vectibus suis: quia Arca testamenti habebat in longitudine duos cubitos, & in altitudine cubitum, & dimidium, spatium autem inter duos Cherubim erat ferè decem cubitorum, vt patet ex prædictis, & alæ eorum distabant à terra quasi per octo cubitos, vt patet similiter ex dictis. Et ex his patet litera vsque ibi.

MENOC.

Et fecit in oraculo duos Cherubim, &c. Non se mutuo aspiciabant Cherubim, sed facies habebant versas ad domum exterioram, siue ad Orientem, terga ad Occidentem, & alas habebant quinque cubitorum singulas, extensas versus Meridiem, & Septentrionem, ita vt ala exterior vnius tangeret parietem Meridionalem, interiores verò alæ amborum sese attingerent, regentes Arcam cum propitiatorio, & regentes etiam duos Cherubim aureos, quos fecerat Moyses, & ibi similiter positi erant, vt ait *Abulensis quæst.* 18. in 25. cap. *Exod.* & *Ribera de Templo* lib. 2. c. 6.

Decem cubitorum altitudinis Quæ planè gigantæa magnitudo est, quæ tamen ad magnificentiam pertinebat, &

A ipsius Dei magnitudinem æstimandam erigebat.

A summitate alæ vnius, &c. Quod de duabus interioribus alis intellige, quæ se summitatibus tangebant, vt explicatum est num. 23.

Opus vnum erat, &c. Idem opus, & eodem modo factum.

Texit quoque Cherubim auro. Id est, laminis aureis. Duo vero Cherubim quos fecit Moyses, erant toti de auro, quia erant valde parui respectu istorum. Forma autem Arca testamenti, & duorum Cherubim quos fecit Moyses, descripta fuit *Exod.* 25. Et ex hoc intelligi potest forma duorum Cherubim, quos fecit Salomon, quia eiusdem formæ fuerunt, sed maiores.

Et omnes parietes, &c. Hic reuertitur ad descriptionem parietum templi, & pauimenti: & patet litera ex dictis.

Variis cælaturis, & torno. Humiliter dicimus, quod *di mezzo, ò di basso relieuo,* hoc est enim quod hoc versiculo subditur, quasi prominentes.

Cherubim & palmas. Alternatim positas. Effigies Cherubim ex Villalpando, & Saliano erat huiusmodi. Effigiem habebant vnam totius corporis compositione erecta, non brutorum in morem in terram prona, & abiecta. Erant autem facies, siue formæ unicuique quatuor, non autem capita, vt plerique putauerunt, id enim esset monstrum idolo horribilius, & loco sancto indignissimum, sed vnusquisque vnico tantum capite, & vultu erat, erat tamen quaternis formis, seu figuris, animalium insignitus: facies hominis videbatur in vultu, brachiis, manibus, cruribus, & corporis erecti habitu, facies leonis apparebat in ceruicibus, armis, & pectore iubatis, facies aquilæ in alis, facies vituli in bifidis pedum ungulis.

MENOC.
v. 24.

MENOC.
v. 25.

LYRAN.
v. 28.

LYRAN.
v. 29.

ME

Apparebat ergo Cherub iuuenis alatus, leonino exuuiio, A bus tegebant inferiora corporis sui: quasi thorace vestitus, & vngulis vituli calceatus. Quaternis porro alis ornabantur, duabus volabant, & duabus tegebant inferiora corporis sui: *Picturas. Cælaturas.*

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 30. ad 32.*

Vulg. Sed & pauimentum domus textit auro intrinsecus, & extrinsecus.
Malu. Et solum domus speculabile reddidit auro ad infacies, & ad foris.
Sep. Pauimentum domus, &c. intimæ & extimæ.
Cald. Fundamenta domus.
Vulg. Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis oliuarum, postesque angulorum quinque.
Pag. Et ianuz oraculi fecit ostia de lignis pigneis, superliminare, & postes erant quinque laterum.
Arias. Fecit fores, &c. postes, pentagona.
Caiet. Et postes à quinta.
Malu. Aries, postes, quinta.
Alij. Erant superliminare quam postes quintuplices.
Sept. Rom. Fecit ianuas ex lignis iuniperinis.
Reg. Et limina quintuplicia.
Cald. Fecit portæ templi superliminaria, è lignis oleæ quadraliterata.
Syr. Fecit postes è ligno oleoso, firmis validisque para-

stadibus.
Arab. Porro ianuz Sanctuarij adaptavit.
Arias. De ligno pineo cælaturis ornato, & in lateribus eius, in vnoquoque scilicet latere valuarum, posuit quinque cubitos de ligno valuarum, quod & arcuatum fuit, extulit eam quinque, & fecit ei postes crassos.
Vulg. Et duo ostia de lignis oliuarum: & sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species, & anaglypha valde prominentia: & textit ea auro: & operuit tam Cherubim quam palmas, & cætera auro.
Pag. E lignis pineis, & cælauit in eis cælaturas instar fundarum, &c. & speculabiles reddidit auro.
Sep. Reg. Et duas portas de lignis abiegnis, & sculpturæ super eam insculptæ, &c. & extensæ laminae, &c. & descendebat aurum.
Cald. Sculpsit, &c. funiculos, & lilia.
Arab. Fecit duas valuas pulcherrimas, de ligno pineo cælaturis ornato, sculpsitque Narcissos, &c. maiori auri copia Cherubim, & palmis applicata.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Intrinsecus, & extrinsecus, *Sep. Domus intima, & extima.* Sanctum Sanctorum erat intrinsecus, siue domus intima, sanctum autem erat extrinsecus, siue domus extima. *Postesque singulorum quinque.* Alij, *Superliminare, & postes à quinta.* Id est, fecit parua ostia ex eisdem lignis, eaque pentagona, id est quinque angulos, & totidem postes habentia. *Et anaglypha,* Alij, *Cælaturas, apertiones florum.* Anaglypha vox est Græca significans imagines, & picturas à superficie parietis, tabulæ, vel ostij extantes, & prominentes.

ANNOTATIONES.

MENOC. *Intrinsecus, &c.* Tam in templo interiori, quàm exteriori.
LYRAN. *Et in ingressu.* Hic consequenter agitur de ingressu Sancti Sanctorum, cum dicitur.
Fecit duo. Et dicuntur ostiola, quia erant parua respectu ostiorum quæ erant in introitu templi. Erant autem sic situata, secundum aliquos, quod vnum erat prope latus Aquilonare, in pariete diuidente sanctum, & Sanctum Sanctorum. Secundum alios vero duo ostiola erant in eadem parte parietis; vnum in vna superficie parietis, alterum in altera, ita quod quando erant clausa, videbatur paries, quasi continuus ex vtraque parte.
Postesque angulorum. Quia postes vbi situata ostia erant, sic erant dilatati, quod superficies eorum, secundum longitudinem suam, habebat quinque angulos.
MENOC. *Postesque angulorum quinque.* Postis est latus ostij, siue arrectarium portæ, unde ostium pendet, quasi post ostium stans. Fortasse dicuntur postes hoc loco *angulorum quinque*, quia superliminare, siue, vt Vitruuius vocat, hyperthyrum, non erat planum, & iacens, sed acuminatum, & figuram Delta maiusculi referens. Fauet huic interpretationi quod ex Hebræo verti potest, *superliminare, & postes quinque laterum*, vt est in Bibliis *Pag.* nam *ל'א איל*,

quod est in textu Hebraico superliminare significat, vt etiam ex aliis docet Ribera de Templo lib. 2. c. 8. quamuis tam ipse, quàm alij Interpretes, quos vidi, postes angulorum quinque velint fuisse in modum columnæ quinqueangulæ.

Et sculpsit, &c. Eo modo, sicut dictum, supra de interiori parte parietum templi. **LYRAN.** *V. 32.*

Et anaglypha, &c. Id est, cælaturas prominentes. Et dicitur ab *אַוּי*, quod est sursum, & *אַלְפָּה*, quod est sculpo.

Et textit ea auro, &c. Eo modo, sicut dictum est supra, de sculpturis existentibus in parietibus templi primi.

Anaglypha. Sunt cælaturæ asperæ, & eminentes è plano, quales sunt florum, & plantarum, & animalium expressæ figuræ. **MENOC.**

Fecitque in introitu. Hic agitur de ostiis in introitu templi, cum dicitur. **LYRAN.** *V. 33.*

Postes de lignis. Id est, quatuor angulorum, & in hoc differebant a postibus oraculi.

Postes quadrangulatos. Fuerunt ergo in portis maioribus valuæ geminæ, quarum limina, postes, & superliminare, quadrangularem figuram referebant. Vide dictum. **MENOC.** *num. 31.*

VARIETAS LECTIONVM à *Vers. 33. ad 35.*

Vulg. Fecitque in introitu templi, postes de lignis oliuarum quadrangulatos.
Pag. Fecit è lignis pineis.
Arias. Ex quarta.
Malu. Ad quartam.
Sep. Reg. Et fecit vestibulo templi limina de lignis iuniperinis porticus quadrupliciter.
Syr. Cuius parastades fuerunt, &c. simpliciter, & quadratæ.
Arab. Idem præstitit in lateribus ianuz templi, quatuor videlicet cubitos ex ligno oliuarum in vtroque latere fecit, postes simplices ex ligno minimè cælato quadrato.

Vulg. Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: & vtrumque ostium duplex erat, & se inuicem tegens aperiebatur.

Pag. Et duo latera ostij vnus rotunda, & duo latera ostij secundi rotunda.

Arias. Duæ costæ ostij vnus volubiles, & duæ sculpturæ ostij secundi rotundæ.

Malu. Et duæ fores ligna fraxinorum, & duæ costæ valuæ vnus deuolutiones, & duæ fundæ foris secundæ deuolutiones.

Alij. Erant in vtroque latere ianuz vnus cælaturæ, & similiter in duobus lateribus ianuz alterius erant cælaturæ.

Sep. Rom. In vtrisque ianuis erant ligna abiegnæ duæ pli-

ca ianua vna, & cardines earum, & duæ plicæ ianua secunda.
Arab. Fecit illi duas valuas, & vnamquamque ex duabus illis valuis bipartitam fecit per fibulas flexibilem.
Vulg. Et sculpsit Cherubim, & palmas, & cælaturas valde eminentes: operuit omnia laminis aureis, opere quadro ad regulam.
Pag. Et cælauit cælaturas instar fundarum, &c. & cælaturas florum, operuitque auro directo quæ erant sculpta.
Arias. Apertiones florum, &c. super impressum.
Caiet. Et apertiones gemmarum, & vestiet auro directo super cauatam.
Vatab. Super id quod insculptum erat.

Malu. Fundibulatit Cherubim, &c. & speculabiles reddet auro rectificato super caracterem.
Sep. Rom. Volubilia insculpta Cherubim, & palmæ, & expansæ laminæ, & operta auro deducto super sculpturam.
Reg. Quæ voluebantur insculptæ Cherubim, &c.
Cald. Et sculpsit, &c. figuram fasciarum, & liliorum, & obduxit auro extenso figuram.
Syr. Insulpsit scutulas, &c. obduxitque auro pulcherrimo cælaturæ.
Arab. Fecit gemina portæ vnus latera cælata figuris Narcissorum, & Cherubinarum.
Cald. Cardines ostij vnus rotundi.
Syr. Vtrumque latus ianue vnus erat cælatum.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Fecit postes quadrangulatos, Alij, *Ex quarta ad quartam.* Id est, postes tetragonos, nempe quatuor laterum. *Duo ostia altrinfecus,* Alij, *Et duo latera ostij vnus rotunda,* &c. Id est ex opere tornatili facta: sed *Vulg.* posuit illud altrinfecus, vt indicaret quod vnum ostium erat ex vno latere, alterum ab altero priori respondens, & obuersum, & vtrumque ostium duplex erat, & se inuicem tenens aperiebatur. *Sep. Duæ plicæ, ianua vna, & cardines earum,* &c. Id est, vtrumque ostium erat plicatile, & habebat vertebrae (ita *Arab.* cum ponit fibulas flexibiles) quibus vna pars tenebat aliam, erantque in eis duæ plicaturæ, vt vertunt *Sep. Heb.* גלילימ *gelilim*, id est, valuæ volubiles, ita *Arias*, siue conuolubiles. *Operuit laminis aureis opere quadro ad regulam,* Alij, *Operuit auro directo quæ erant sculpta.* Id est, direxit aurum ad operiendum eo sculpturas, vel cauatas partes incisuræ, siue sculpturæ, vocat *Vulg.* opere quadro ad regulam, id est, ad mensuram ipsius sculpturæ.

ANNOTATIONES.

LYRAN. *ET duo ostia de lignis abiignis.* Hebræi dicunt, *buxi-* A *Duo ostia magna,* quæ totam portæ latitudinem clau- M ENOC
nis. *Altrinfecus.* Ista autem ostia magna erant, & erant in medio parietis Orientalis ipsius templi, & in medio duorum ostiorum erat postis fortis, vbi clauderentur: idè dicuntur esse altrinfecus: quia vnum erat ex parte illius postis, & alterum ex altera.
Et vtrumque. Quod exponitur dupliciter. vno modo quod vnum erat in superficie exteriori muri, & alterum in superficie interiori, sicut dictum est de ostiis oraculi. Alio modo, quod vtrumque ostium esset de duabus partibus copulatis adinuicem fortiter, ita quod vna pars ostij posset claudi, altera remanente aperta: & sic, quod quando totum aperiebatur, vna pars esset iuxta spissitudinem muri, alia iuxta latus eius: sicut videmus in ostiis quæ apud nos dicuntur fracta. Et idè sequitur.
Et se inuicem. Quia vna pars alteri copulabatur modo prædicto.

VARIETAS LECTIONVM à Vers. 36. ad 38.

V*Vulg.* Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.
Pag. Lapidum dolatorum, & ordine trabium cedrinarum.
Arias. Trabium excusarum.
Malu. Tres ordines vulsionis.
Sep. Rom. Tres ordines non dolatorum, & ordinem fabricæ Cedri in circuitu.
Reg. Tres ordines perpolitos.
Cald. Tribus, &c. lapidis boni, & vno ordine rigni lignorum.
Syr. Lapidum sectorum, & ordinem epystiliorum cedrinorum.
Arab. Atrium, &c. ædificio solidissimo, fecitque tres margines lapideas, marginemque de lignis pineis.
Vulg. Anno quarto fundata est domus Domini in mense

Zio.
Pag. In mense Aprili.
Malu. In luna Ziu.
Vulg. Et in anno vndecimo, mense Bul (ipse est mensis octauus) perfecta est domus in omni opere suo: & in vniuersis utensilibus suis: ædificauitque eam annis septem.
Pag. Et in mense Octobri completa est secundum omnia ad eam pertinentia, & secundum omnes regulas suas.
Arias. Et ad omnia iudicia sua.
Sep. Rom. Et ædificauit velamen atrij ipsius Ælam domus, quæ ad faciem templi.
Cald. Mense quo congregantur nouæ fruges, &c. cum omnibus ornamentis, & structuris.

CONCORDIA ET EXPOSITIO LITERALIS.

Tribus ordinibus lapidum politorum. *Sep. Rom.* *Non dolatorum,* sed aduersantur omnibus aliis lectionibus habentibus, vel lapides politos, vel dolatos, bonos. Quare *Malu.* vocat hos lapides vulsionis, vide supra. *In mense Bul.* Alij, *Mense Octobri* בול dicitur *Heb.* à נבל *nabal*, marcescere, attenuare, cadere, quod eo mense quæ è terra nascuntur marcescant, & folia de arboribus cadant. *Cald.* autem habet. *Quo congregantur nouæ fruges.* *Secundum omnes regulas suas,* Alij, *Secundum omnia iudicia sua.* Id est, dispositiones, normas, & rationes eius. *Sep. Rom.* aliter habent, quæ etiam in aliquibus Codic. Græcis leguntur, sed cum aliqua varietate: sed quæ hîc habemus, in ipsis *Sep. Rom.* leguntur in initio huius capituli.